R. BIBLIOTECA NAZIONALE CENTRALE V. E. II
8
54 B
21
ROMA

Digitized by Google

Digitized by Google

8_51_B 21

[illegible] scriptori
[illegible] equilibus
[illegible] catalogum sanctorum
[illegible]

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

19. i'

6.5.22.

12 12
f d
18 4

SERMONVM

QVADRAGESIMALIVM

IOANNIS FERI,

Concionatoris Mogunt.

LIBRI DVO.

Alter in Ionam prophetam,

Alter de filio Prodigo:

Ad quos Euangelia, non tam doctè, quàm piè ſunt accommodata.

Nuper recogniti, cum Indice ampliſsimo ditati, ac diligentius excuſsi.

8. 54. B2

Coll Rom Soc Jes: Cat. inscr.



VENETIIS, apud Ioan. Bariletum. M D LXVII.

REVERENDISSIMO D. D. IOAN. TRIVISANO,

IVRIS VTRIVSQVE DOCT.

Miſeratione diuina Patriarchæ Venetiarum, Dalmatiæque primàs ampliss.

F. Raphaël de Maphæis Venetus, Seruita, ſacræ Theologiæ profeſſor
S. P. D.

NATVRAE *proprio quodam munere (Reuerendiß. Præſul) ita profectò, ad omne munificentiæ genus, natus es, ut præſtanti ac ſingulari laude dignus, ab omnibus mirificè diligaris, & obſerueris. Ego uerò non tantum liberalitatem tuam conſpicuam, & beneficentiam eximiam, quam mihi adeò præſtitiſti, ut te patronum ſemper, te patrem, te obſeruantiſſimum undiq; meritò appellare debeam, contemplor; quantum præclara uitæ tuæ inſtituta, ſummam prudentiam, integritatem maximam, Doctrinam humani Diuiniq́ue iuris nitentem, pientiſſimam Religionem, ac uirtutes alias, propè Diuinas, non poſſum Deum Opt. Max. non precari,*

vt ſublimior fiat hæc tua amplitudo (qua ſtemmatum tuorum gloria, & precipua Venetorum admiratione) flores. Nec quidem id ſatis arbitror, nam tua erga me officia tāta ſunt, vt totis viribus enitar aliquid reſpondere, ne apud ingratum hominē ea collocaſſe intelligas. Hoc mihi (ampliſſimè Antiſtes) maxima animi propenſione cogitanti, venit in mentem; Hæc Ioānis Feri Concionatoris ornatiſſimi, nec ſatis unquam laudati Quadrageſimalia quę in vnum contuli, à multis erroribus correcta, cum rerum principalium annotatione locupletiſſima, tibi dicare, & conſecrare. Atque eo libentius etiam mihi facturus viſus ſum: quo te huius Diuinæ lectionis ſtudium maximè delectari exploratum habeo. Nihil enim iſto vberius, Nihil ſuauius, Nihil ad animi labefactāti moleſtias leuandas accommodatius, Nihil deniq; in hoc pernicioſiſſimo tempore (quod expetiuit Sathanas, vt cribraret ſicut triticum) tuæ pietati congruentius; qua cupis vniuerſos homines per veram pœnitentiam ad normam ſalutis, & diſciplinæ peruenire. Sic fauſtè tui celeberrimi nominis ſplendore, hoc opus diffusè illuſtratum, magis atq; magis, & lectoribus placebit, & Diuini eloquij Concionatoribus erit commodius, meique animi ſenſus erga magnitudinem tuam inſpicies; non vt me, quantum obſtringor, perſoluere putem (id enim quonā pacto aſſequi poſſim, non uideo.) Sed his affectibus ſignificem, quàm tibi iure debeam; Cęterum Ioā. Bariletæ Typographi peritiſſimi meam hanc actionem, ſæpe ac ſæpius efflagitanti, ſatisfaciā. Suſcipias igitur

(præſtan-

(præſtantiſſime Pontifex) ea qua ſoles humanitate lucubrationem hanc, eamque cum tuum animum maximis occupationibus oppreſſum ſenties, ipſumq; non nihil releuare cupies, tibi legi procurabis. Quod ſi tibi non ingratum fuiſſe intellexero, maiora ac præſtantiora ſub fœlicibus tuis auſpiciis emittam. Vale, Venetiis ex Conuentu Sancti Iacobi à Iudaica pridie Idus Decembris. M D L X V I.

RERVM

AC SENTENTIARVM NOTABILIVM,

quæ ſparſim in hoc opere tractantur, Index.

De litera A.

ABiicere veſtimentum 66
Abiectus eſſe à facie Dei 51
Abrahæ promiſſio 149
Abuſus ieiunii ſi tollitur, non erit ieiunii amplius calumniator 6
Accedere ad pœnitentiam oportet cum omni fiducia 172
Accolaſti parabola ſpeculum humanæ vitæ 116
Acta ſanctorum in exemplum non ſemper trahenda 26
Ad interiora nauis deſcendere indicium eſt malæ conſcientiæ 21
Adoleſcentia imperita 102
Ad amicos pertinet hæreditas 80
Admonitiones quid faciant 1
Admonitio ad Eccleſiæ paſtores 163
Ad ſe reuerti quid ſit 122
Adulti interdum adhuc & ſenex caret ingenio. 103
Affectus erga proximum 35
Agar quorum typus gerat 132
Ambitio pſeudoapoſtolorum 77
Amici Chriſti 161

Amithai

Amithai vidua Sareptana 8
Amplitudo Dei 54
Amplectenda miſericordia 172
Applicatio ad Chriſti paſſionem 83
Apoſtolorum eſt cœnam apparare 135
Apoſtoli ſortibus vſi ſunt 26
Animus humanus ſine Deo labitur 109
Annuntiatio Virginis, boni nuntii eſt dies 54
Annulorum dignitas 133
Annulus quid in ſacris deſignet ibidem
Attendenda eſt paſſio Chriſti quatuor modis 86
Auditio verbi Dei 63
Auctor peccati quis 102
Auerſio à Deo omnia amittit 110
Ardua res, aliorum vitam reprehendere 13
Arionis fabula 40
Armat Deus creaturas ad vltionem inimicorum ſuorum. folio 37
Aſſyrii comparatione Iſdraëlis ſunt iuſtiores. 58

B

BAptiſmus ſpiritualis 164
D. Bernardi concio in ſynodo 156
Bonitatis Dei obſeruatio 94
Bona mutatio 104
Bonorum vis vnde 165
Bonus paſtor ibidem

C

CAini & Abelis hiſtoria, iudæorum & Chriſti typus. folio 144
Calciamentorum nomine quid accipiendum 133
Caſtigatio eleemoſyna 173
Caſtigatio diuina miſericordiæ ſignum 18
Cauſa paſſionis Chriſti 86
Caro reſiſtit naturaliter verbo Dei 14
Cenſuræ vſus in prima Eccleſia 78

Carnis & ſanguinis proprietas 122
Cenſores ſeueri qui aliena crimina ſed non ſua cogitant. folio 27
Charitas in proximum exercenda 82
Cibus animæ Euangelium 166
Cibus Chriſti communis 136
Ciuis longinquæ regionis 114
Cipriani tempore indignis communicantibus, accidens: folio 77
Clamor efficacia 67
Clamoris ad Deum efficacia 46
Clamor gentium quid indicat 19
Claues Eccleſiæ 173
Confeſſio cur odioſa 27
Chriſtum à patre reſuſcitari oportuit 142
Chriſtus, quo affectus ad paſſionem acceſſerit 69
Chriſtus omnes figuras legis impleuit 70
Chriſtus profertur Moyſi 2
Chriſti paſſionis & reſurrectionis adumbratio in Iona. 74
Chriſtus agnus 145
Chriſtum eſſe Deum ſimul ac hominem 101
Chriſtus in cruce pro noſtra reconciliatione orauit 89
Chriſtus in Iona ſignificatus tam nomine quàm progenie 83
Chriſti paſſio attendenda vt exemplum 70
Chriſtus dupliciter ſumitur 136
Chriſtus prodigus 140
Cogimur etiam inuiti Deo ſubiici 18
Compaſſio nautæ erga Ionam 37
Concionator ad inſtar medici 1
Concio euangelica etiam eſt comminatoria 2
Conditor Niniue quis 8
Confeſſione nihil melius poſt peccatum 27
Confeſſionis commoditates 30
Confidentia ſui periculis plena 10
Confidentia acolaſti unde 124
Conſolatores oneroſi 31

Con-

Conſcientia mala 82
Comminationes Dei adiunctam conditionem habent 72
Contemplatio in ſumptione Euchariſtiæ 81
Conciliorum neceſſitas 162
Conciliis ſolis iuuari poteſt eccleſia ibid.
Contrariis contraria curantur in verbi incarnatione 55
Contra Deum non eſt murmurandum 153
Contritio vera 125
Conuerſio à bono ad malum cur 104. 105
Conuerſio Niniuitarum admiranda 64
Cor eſt in medium animali 49
Creatura cedit, ubi operatur Deus 91
Creſcentibus diuitiis malitia creſcit 8
Crux via ad cælum 159
Crucis Chriſti effectus 85
Culpam amiſſam aperire neceſſe eſt 124
Curioſitas vitanda 51
Cygnus fuit Chriſtus in Cruce. 140

D

DAuid deriſus præſignabat Chriſtum 144
Deus cur à nobis confeſſionem exigat 25
Deum patrem familias appellamus 101
Deo nihil impoſſibile 56
Deus quando ſuos punit, quod intendat 38
Deus erga nos vtitur lenitate 146
Deum naturaliter notum 19
Deus neminem cogit 107
Deo nihil amicabilius 105
Dei potentiæ & bonitati omnia aſcribenda 93
Deum proniorem ad miſerendum quàm ad puniendum. 11
Deus reſpicit fidem 72
Deus quid dederit propter inſcitiam noſtram 103
Dei voluntas nedum verbis, ſed etiam ſignis externis oſtenditur 95
Diabolus abolere cupit pœnitentiam, & cur 4

Diabolum triplex genus hominum poſſidere 120
Diabolus quæ obiiciat impedimenta ſalutis 110
Diabolus non ceſſat auertere homines ab Eccleſiæ ordinatione 163
Differentia inter pios & impios 97
Dolor parturientis quid deſignet 159
Diſceptatio de fide, & opere non parua 71
Diuina virtute fuit reſurrectio Chriſti 142
Dona Dei varia 107
Domus Dei ditiſſima 105
Dormire ſopore graui quid ſit 22
Dupliciter Deus eſt præſens 13
Duo filii Dei 102
Duo hominum genera ibidem

E

EBrio comparatur peccator 118
Eccleſia quando eſt mulier ſterilis 160
Eccleſiæ dolores ibidem
Eccleſia cum publicis peccatoribus olim agebat 79
Eccleſiæ ſtatus 162
Eccleſia nullo tempore caruit pœnitentia ac ieiunio 5
Eccleſia cathedralis doctorem habere debet 168
Eccleſia doloris cauſæ 160
Eccleſia ſemper grauida ibidem
Eleemoſynæ ignoſcentia genus 173
Elephanti natura 82
Eliſeus propheta typus & imago paſſionis & reſurrectionis Chriſti 144
Et coniunctio uariatur 8
Equitas iudiciorum Dei 97
Euangelii vis 91
Euangelium de muliere parturiente, cur in Eccleſia tempore Paſchali legatur 159
Euangelium de tentatione Chriſti cur in prima dominica legatur 5
Euchariſtia confert gratiam & auget 78

Euchariſtiæ

Euchariſtiæ ſacramentum quid ſit 74
Exageratio Ionæ cur orta 49
Exemplum veri pœnitentis 33
Exempla bonorum & malorum proponantur 134
Exemplum incarcerati 49
Exercitatio à ſomno triplex. 22

F

FAmes verbi Dei 113
Fames verbi Dei quomodo ſeipſam alit 114
Feſtum Paſchæ læta dies 87
Flagellis non immutatur cor hominis niſi adſit ſpiritus Dei 59
Falſus intellectus circa inſtitutionem ſacramenti 78
Fides fugata in aduerſis euaneſcit 23
Fides in Iona quid efficiat 32
Fides in omnibus primum & vltimum eſſe debet 62
Fides in tentationibus quantum poteſt 57
Fides quid ingerat menti 123
Fides vera ſemper operoſa 62
Fides noſtra quid credat 99
Filii Dei officium 152
Filii non ſunt omnes, qui ſunt in domo patris 121
Filiorum Dei differentia 102
Fructus confeſſionis Ionæ duplex 28
Fortitudo Samſonis in Chriſti reſurrectione viſa 145
Fructus paſſionis Chriſti lætus 138
Fructus peccati peſſimi 112
Fugere Deum eſt in maius iudicium currere 18
Fur mercenarius. 155

G

GAudium reſurrectionis 158
Gaudium Apoſtolorum origo & complementum 140
Generatio mala quæ 3
Gentium Deo eſt curæ 10

Gentes

Gentes gratiam recipere admirantur Iudęi 149
Gentes per minorem natu intellectę 148
Gentiles edocti a Deo 17
Gratia dignos ſe iudicant phariſei propter ſua merita 161
Gratia nemini eſt percluſa 120
Gratia præueniens in Prodigo filio 222
Gratia cooperans 123
Gratia conſumans ibidem
Gratiarum actio 81
Gratiam cur Deus peccatoribus præſtet 12
Gratiam Dei in vacuum non recipere quomodo 6
Grauitas crucis vnde. 165

H

HÆreticus fur 155
Hiſtoria de Iona Chriſtus ad ſuam paſſionem & reſurrectionem refert 145
Hiſtoria de reſurrectione Chriſti in Quatuor conſiſtit 88
Hoſtes fortiſſimi quatuor 39
Hominis appellatione Deũ in ſcripturis ſępe deſignari. 101
Homines cur appellemur 116
Hominum conditio in his quos iudicium Dei premit 31
Hominem nunquam Deus derelinquit 41
Hominis tentati pictura 49
Homines cur tot in tentatione ſuccumbunt 53
Honorem deferemus Iudęis, quia nobis priores 151
Hortantur Iudęi adhuc, vt in domicilium patris intrare velint 151
Horrendum eſt incidiſſe in iram Dei 50
Hypocritę inuenti ſunt Iudęi omnibus temporibus. 151

I

IEiunium ſuum fundamentum habet in ſcripturis 5
Impellentia ad malum tria 104
Impiorum concurſio fęlix 57
Impiis nihil magis terribile quàm reſurrectio Chriſti 91
Imago Chriſti 155

Impii

Impii impiè viuentes quomodo facti 157
Impiorum prima plaga 21
Impii Deum præſentem neſciunt, nec credunt 13
Inſcitiæ periculum 103
Inſolita terrorem inducunt 37
In ſuſceptione ſacramenti cautè agendum 76
In ſeueritate Dei miſericordia apparet 39
Inſano comparatur peccator 118
Indui ſacco 66
Iniquiores in peccatorem non ſimus 153
In tentationibus fidem obiicere oportet 39
Incipere aliquid ſine verbo Dei non debemus 58
In agro eſſe, quid ſignificet 148
In Deo fidendum, non in creaturis 96
In Chriſto debemus lætari 93
Inferni troppus 48
In tribulatione quid faciendum 54
In aduerſis bene de Deo ſperandum 94
In mare diſcit Ionas quod in terra non didiſcerat 18
Ionas in ventre ceti tres dies ſtetiſſe quo modo intelligitur 56
Ionas quomodo à facie Domini fugere ſit intelligendũ 13
Ionas clamaſſe de ventre inferi, quomodo intelligendũ 48
Ionas ſolus docet, quid in paſſione Chriſti cogitandũ 83
Ionæ interpretatio ibid.
Ionas cur in mare miſſus, cauſa, fructus & vſus dicitur 84
Ionas fuiſſe de Geth 8
Ionas quo tempore prophetauit 75
Ionas de numero electorum 97
Ionæ prædicatio nunc congruit 4
Ionas fugiſſe non excuſatur 15
Ionas ad paſſionem Chriſti nobis deſeruit 71
Ionas cur ad gentes miſſus 8
Ioſeph ad Chriſtum collatio 144
Ioſue vſus eſt ſorte 26
Ioppem portum 18
Ira non bona 94
Irrucre

Irruere in collum prodigi declaratur 127
Iudęi fratres noſtri ſunt 151
Iudaicus populus non penitus repudiatus 150
Iudæ terribile exemplum 79
Iudęi per maiorem natu intelliguntur 148
Iudęorum ac gentium diſpar ratio ac natura ibid.
Iudęos liuore & inuidia peccaſſe 149
Iudęorum obſeruationes in Paſchate 92
Iuſtè ob vnius peccatum multi puniuntur 18
Iuſti officium 154
Iumenta etiam puniuntur. 67

L

LApis eſt Chriſtus 91
Lapides precioſi in pectore ſummi Pōt. deſignatio. 168
Lauare pedes diſcipulorum, qui ſignificat 81
Læta martyrum mors cur fuit 32
Lætum nuntiū affert Dominica quarta Quadrageſimę. 42
Lib. arb. in reuerſione ad Deum, quas partes habeat 123
Literis carens non poteſt eſſe aptus officiis ſacris 168
Lolium in Eccleſia ortum, ex neglectu conciliorum 162
Loqui de Euchariſtia quam difficile 74
Luxum annonæ caritati cauſam dare. 113

M

MAgnum eſt in tentatione ſcire quid agendum 44
Magnitudo ciuitatis Niniue deſcriptio 60. 61
Mala exorta ignorato quis ſit Deus 19
Mala conſcientia iræ ad Deum trepidat 44
Malitia cordis humani 96
Malitia huius temporis 77
Malorum omnium cauſa eſt abuſio Euchariſtiæ 75
Malum his qui præter Deum, aliquid requirit 109
Marones non deeſſent ſi fuiſſent Mæcenates 168
Memoria bonorum peccatorem affligi 121
Menſam diuitum communem eſſe debere 137

Mercenarii

Mercenarii apud Deum, qui 121
Mercenarius dignus eſt mercede ſua 169
Metum ſeruile, quid caſtigat 125
Metu pœnitentia eſt agenda 68
Miniſtrorum opera cur Deus in Eccleſia vtatur 132
Miniſtrorum neceſſitas 131
Miraculum 41
Mirabilia in reſurrectione Chriſti 88
Mira hominum inſania 25
Modus ſeuerior pœnitentiæ 174
Mos ſcripturæ 56
Mortuos ſolo verbo excitare nihil potėtius in Chriſto 50
Moyſes ad Pharaonem vmbra fuit Chriſti reſuſcitati 144
Mundus contemnit exhortationes 1
Murmur quod gratia Dei à Iudęis ad gentes tranſiuit 95
Mutatio mala. 104

N

NAturalis negligentia, quid pariat 77
Nauigatio pręſens vita eſt 42
Nautæ ad cultum ueri Dei veniunt occaſione Ionæ 38
Neceſſitas quædam fœlix 121
Neceſſitas confeſſionis ponderatur 128
Nemo excluditur à domo Dei 105
Nemini ſeipſum occidere licet 37
Nihil difficilius extorqueri poteſt ab homine, quàm confeſſio 24
Nihil ſolatii eſt impiis. 24
Niniue Metropolis Aſſyriæ 8
Niniue ciuitas Dei 60
Notitia Dei quid pariat 20
Nouatiani hæretici 128
Nouatiani pœnitentiam non admittunt 4
Numerus conuiuarum quando erit completus. 150

O

OBſeſſo comparatur peccator 118
Obſeruatio ſuper verbum Manducemus 136

Obſeruatio ad intellectum prophetarum 7
Occurrere reſipiſcenti quando Deus dicitur 126
Oſculi ſignificatio 127
Omnes Euangeliſtæ de reſurrectione Chriſti diligenter ſcripſerunt 92
Omnia in Chriſti reſurrectione mutata 88
Omnes dies phani 98
Opera aſpicit Deus 72
Opera quæ Deo placent ibid.
Opibus nulla eſt adhibenda fides 110
Opinio, Ionam inuidiſſe gentibus 14
Oratio Chriſti exaudita 89
Orationis conditio 46
Oratio neceſſaria 108
Orationis vis in tentatione 44
Originale peccatum baptiſmo tollitur 78
Oues ſunt Chriſtiani. 156

P

PAſcere quàm difficile ſit 167
Paſcha Chriſtianorum 92
Paſcha Iudæorum vmbra paſchæ Chriſtianorum 87
ad Paſſionem accedendum; ordine quo Chriſtum acceſſit. folio 73
Paſſio Chriſti lætum nuntium 84
Paſſionis Chriſti typus fuit Ionas 86
Paſſio Chriſti admirabilis 137
Paſchalis diei læta feſtiuitas 139
Paſſio Chriſti duo potiſſimum exigit 138
Paſſio Chriſti peccata noſtra abſorpſit 141
Paſſio Chriſti attendenda vt donum 70
Paſſio Chriſti quomodo audienda 59
Paſſio Chriſti omnium bonorum theſaurum 59
Paſſio Chriſti ſpeculum noſtræ miſeriæ & iudicii diuini contra peccata 84
Paſtores & miniſtri taxantur 134

Paſtorali

Paſtorali officio modo nil contemptibilius 167
Paſtores mali plus damnum adferunt, quàm omnis multitudo tyrannorum & hæreticorum 161
Paſtor eſt Deus 146
Paſtorum malorum vita 161
Paſtorum negligentia 78
Pſalmus XL explicatur 141
Pſalmi LXVIII applicatio ad Chriſti paſſionem 89
Patientia Dei 77
Pauper & egenus Chriſtus 141
Peccata cognoſcere principium pœnitentiæ 119
Peccantes in omnes creaturas delinquunt 128
Peccata actualia pœnitentia tolluntur 78
Peccata aſcendunt coram Deo 11
Peccatoris officium 154
Peccatum hominis in quo differat à peccato mali ſpiritus. folio 114
Peccator à triplici ſomno excitatur 22
Peccator variis ærumnis ſubiectus 113
Peccata aduerſus decem præcepta 174
Peccatorum diſcrimen 173
Peruerſus animus hominis 113
Perniciosa res eſt peccatum 25
Perdita per peccatum poſſunt recuperari 57
Peruerſitas in nobis, ex nobis eſt 26
Periculum in mora 124
Periculum ſummum citra pœnitentiam ad communionem accedere 79
Pœnitenti quomodo cibus parandus 135
Pœnitentia coacta non eſt pœnitentia 2
Pœnitentia ad doctrinam Chriſtianam pertinet 99
Pœnitentia omni herba amarior 98
Pœnitentia cur odioſa ibid.
Pœnitentia multorum damnatur 68
Pœnam commereri quis quadrupliciter poteſt 27
Pœnitentiæ multæ diffinitiones 4
Pium eſt ſanctorum opera in meliorem partē accipere 14

Piſci permittitur Ionam conſeruare, non deuorare 40
Poſt confeſſionem quid faciendum 33
Potentia Dei 41
Porci qui appellentur 116
Porcos paſcere quid ſit 117
Prædeſtinatio Dei infallibilis 15
Prædicatori quid dicitur 11
Prædicatio Ionæ breuis ſed inſignis 43
Prædicationis Ionæ fructus 62
Prædicatio Ionæ breuiſſima 61
Prædicandi munus in Elcleſia neceſſarium 166
Prædicatio incipienda à terrore 61
Præparatio ante ſumptionem ſacramenti 80
Præceptum Iudæorum ne comederent carnes agni crudas ſignificatio 76
Primaria cauſæ inſtituendæ publicæ ſatisfactionis pœnitentiæ 171
Prophetis quid Deus præcipiat 11
Prouidentia Dei in gentibus admirata 19
Proprio operi debetur pœna. 28

Q

Quadrageſimæ quare aduerſamur 1
Quadrageſimæ inſtitutum à veteribus obſeruatum. folio 1
Quadrageſima non caret ſuo ſolatio 43
Quatuor per ordinem mandat Rex Niniue 66
Quatuor venti concurrentes ad inuicem 86
Quatuor prophetas ſuis nominibus expreſſos à Chriſto quid indicat 9
Quatuor Ionas facit fide inſtructus 32
Quatuor de Iona aſſerit ſcriptura 88
Qui impiè viuunt nomen Dei amittunt 60
Quid retrahat à publica pœnitentia 170
Quos olim excommunicant Eccleſia 171

Recedere

R

Recedere à Deo 110
Reges nunc etiam ianuas occludunt verbo Dei 66
Regionis longinquę nomine quid intelligendum 110
Regula cum peccatoribus ſeruanda 36
Repugnare Deo, nunquam eſt bonum 94
Res magni non ęſtimatur dum habetur 29
Reſipiſcentia peccatoris delectari omnes electos 101
Reſipiſcentia non eſt omnium 120
Reſponſio Dei facta Ionæ 96
Reſurrectio Chriſti quid ſecum ferat 143
Reſurrectio Chriſti vitam nobis attulit 141
Reſurrectio eſt verbum ſalutis 93
Reſurrectio Chriſti impiis triſtis 143
Reſurrectio Chriſti piis læta ibid.
Reſurrectionis hiſtoriæ typus Cain & Abel 144
Rex qualis & quantum ſit Chriſtus 69
Rex Niniue antequam videat Ionam credit. 65

S

Sacerdotale officium exigit ſcientiam 168
Sacietas ferociam parit 110
Sacramentum altaris, velut menſa ornata 130
Sacramento Euchariſtiæ nil maius 75
Sacramentum Euchariſtiæ quomodo ſumendum 80
Sacramenti Euchariſtiæ abuſus 74
Salus noſtra in reſurrectione Chriſti ſita 92
Samaritanæ conuerſio ad eundem finem quo nautæ peruenerunt tendit 38
Sanare paralyticum in probatica piſcina quid in Chriſto arguat 12
Secreta ſatisfactio 173
Securitas in domo patris 110
Sedere in cinere 66

Serui Chriſti 161
Seueritas Synodi maiorum 155
Senior filius durus 146
Seruire cupiditatibus miſerrima ſeruitus 101
Similitudo de filio Prodigo ſola, poteſt indicare quid ſit pœnitentia 100
Similitudo prodigi quadrat ad ſacram Synaxin 131
Symphonia quid ſit 149
Synodi tempore Eccleſia eſt velut mulier parturiens 160
Siliquarum nomine quid accipiendum 117
Spes neceſſaria 119
Sortes à Deo temperantur 25
Solis exemplum accommodatum 55
Sortiri in ſe non eſt malum 26
Subſtantiæ nomine quid nobis Deus diuidat 107
Succeſſores Apoſtolorum & non imitatores qui appellentur 161
Surgere & ire ad patrem 124
Status parabolæ de filio Prodigo 100
Studia ſunt erigenda 168
Stola innocentiæ Symbolum. 133

T

Ternarius numerus 90
Terrores præcendunt in conuerſione peccatoris 3
Tharſis mare 13
Tharſis Ciliciæ 13
Tharſis Indiæ 13
Tiranni damnantur 36
Tria ad inobedientiam Ionam induxerunt 16
Tria exigit Deus a prophetis 11
Tribus diebus, & tribus noctibus lacuiſſe Chriſtum in terra 90
Temperantia non eſt idem quod ieiunium 67
Triplicem parabolam adducit Chriſtus 101
Totus Chriſtus in altari 75
Typus impiorum confeſſorum. 30

Vanitas

V

VAnitas 53
Venialia peccata per orationem remittuntur 173
Venti inuſitati motus à Deo 19
Verbum Dei ad Reges & principes nõ peruenire malum eſt 65
Verbum Dei ad antipodas perueniſſe nobis prẹſagiũ eſt 9
Verbum Dei non perſona confert 8
Verbum Dei ſola gratia Niniuitis mittitur 10
Verbum Dei nulli parcit 11
Veritas 53
Vetus & nouũ teſtamẽtũ ſunt duo ſerui in domo Dei. 149
Videre Dei 71
Villa quid & in villam mittere 115
Vis confeſſionis Ionæ 28
Vino vendibili non opus eſſe ſuſpenſa hedera 85
Virtutes Dei in caſu Ionę cognoſcendæ 7
Vitulus ſaginatus. Chriſtus 135
Vocabulum Chriſtiani vnde 116
Vocatio & doctrina Chriſtiana 17
Voluptas ceu venenum corpori quando 117
Voluntas Dei ſemper impletur 18
Voluntas peruerſa 105
Vſus paſſionis Chriſti 86
Vota clamantium ad Deum exaudiuntur 45
Vrſi imỹnanes Veſpaſianus & Titus 144
Vmbra hederæ 96
Vulgi confeſſio declaratur. 28

Finis rerum notabilium.

INDEX SERMONVM
in Ionam prophetam.

Exordium in die Cinerum. i.
Dominica I. quadrageſimę. 4.
Feria IIII. 9.
Feria VI. 12.
Dominica II. 16.
Feria IIII. 20.
Feria VI. 25.
Dominica III. 29.
Feria IIII. 34.
Feria VI. 38.
Dominica IIII. 42.
Feria IIII. 47.
Feria VI. 50.
In die annũciationis Marię 54.
Dominica de paſſione 59.
Feria IIII. 63.
Feria VI. 64.
Dominica palmarum 68.
Feria IIII. 73.
Feria V. 78.
Exordium in paſſione Dñi. 82.
Feria VI. Paraſceues 85.
In die Paſchæ 87.
Feria III. Paſchæ. 92.

Index ſermonum de filio Prodigo.

Feria IIII. Cinerum. 98.
Dominica I. quadrageſimę. 104.
Dominica II. 108.
Dominica III. 112.
Dominica IIII. 116.
Dominica in Paſſione 120.
Dominica Palmarum 125.
Feria V. in Cena Domini. 129.
Feria VI. Paraſceues 137.
In feſto Paſchæ 139.
Feria II. 146.
Feria III. 151.
Dominica II. poſt Paſcha. 155.
Dominica III. 157.
Dominica IIII. 163.
De pœnitentia ex D. Auguſtino. 171.

Indicis finis.

z

ARGVMENTVM IN IONAM Prophetam, per Baltaſſarum Gittelium.

QVi tibi conſcius es peccati, mente reuolue
Mortalis iugi, quod modo habes ſpecimen.
Exemplum datur his, quos uitæ pœnitet actæ
Perperam Ionas, quo conreſipiſcere eant.

CAPVT I.

Mergitur hic pelago, deglutit eum quoque grandis
Piſcis, præparat huic hunc Deus officio.

CAPVT II.

Ventre recluſus agit uaſto, noctéſque diéſque
Treis, Deus hunc terræ reddit ad euomitum.

CAPVT III.

Grandi præco datur Niniue, Domini quoque iuſsis,
Hanc quadraginta ſtare diebus ait;
Pœnitet ad uocem Rex illius, abs ſolióque
Cum ueſte eiicitur purpurea in cineres;
Ieiunant homines, uoces ad ſydera tollunt:
Fortiter & pecudes, quum cibus hiſce deeſt.

CAPVT IIII.

Triſtatur Ionas, quàm uiuere, uultq; mori plus,
Scitq; Panompheum propitium eſſe Deum;
Poſt umbram læto creat huic hederam, ruituram
Solis mox æſtu, uerme latente ſub hac;
Æſtuat à Phœbo Ionæ caput irradiante,
Iratus rurſum concupit ergo mori;
Ad mortem uſque quidem dolet, increpat hunc Deus ergo,
Cur Niniuen doleat ſtare, iubente Deo:
Differat à læua quo dextera neſciolorum, huic
Viginti centum millia ſunt hominum;
Plurium & his: trium habens iter hæc urbs ecce dierum
Saluatur Niniue, propitiante Deo.

ARGVM.

ARGVMENTVM IN EVNDEM per Rod. Gual. Tugurinum.

I

MIttitur ad Niniues celeberrima mœnia Ionas:
Imperium Domini ſed tamen ille fugit;
Horrida tempeſtas de nauibus eiicit illum:
Excipit hunc cæco bellua uentre ferox.

II.

Piſce latens celebrat Domini pia munera Vates,
Et ſummi cantat tot beneſacta Dei.
Euomit abſorptum cæco de gutture cetus:
Redditur & terræ, qui modò præda fuit.

III.

Alta ſubit Niniues fortis ſub tecta Prophetes,
Et quæ ſint urbi fata futura, docet;
Ocyus hi Dominum uotis precibusq; fatigant,
Nulláque, quæ fuerat pœna parata, uenit.

IIII.

Diſplicuit querulo Domini clementia Vati,
Dum famæ metuit damna nociua ſuæ.
Huic Deus oſtendit fruticis per damna ruentis,
Quàm non ſit iuſti pectoris ille dolor.

IN IONAM PROPHETAM QVADRAGESIMALE DOCTISSIMVM, IOANNIS FERI.

SERMO I. PRO EXORDIO QVADRAGESIMAE.

VIRI Niniuitæ *ſurgent in iudicio cum generatione hac, & condemnabunt eam, quia pœnitentiam egerunt ad prædicationem Ionæ. Et ecce plus quàm Ionas hic. Matt. 12.*

Cùm mecum conſidero, ad quid tempus hoc Quadrageſimæ inſtitutum, quomodo etiã iam inde ab exordio à ueteribus obſeruatum ſit: è regione autem intueor, quàm idipſum tempus abominabile factum ſit præſenti mundo, neceſſarium iudico, hunc primum ſermonem ab oratione auſpicari, vt ſcilicet Deus per ſpiritum ſuum corda noſtra emolliat, incuruet, & ad ſe trahat, deique nobis eam mentem, quæ ipſum timeat. Hoc ni fiat, fruſtrà video me laboraturum, in ea potiſſimùm re, quam nunc intendit Eccleſia. In aliis quidem rebus non parum faciunt admonitiones & exhortationes, excitant enim dormientes, vrgent pigros, animum reddunt timidis, confirmant audaces, id quod maximè in rebus bellicis videmus. Nec dubium eſt, ante tempora noſtra etiam in rebus ſpiritualibus plurimùm profuiſſe admonitiones, alioqui non tam crebrò eiſdem uſi fuiſſent patres, & maximè tempore Quadrageſimali. At nunc in tantam leuitatem mundus excreuit, ſic omnes ad pietatẽ exhortationes contemnit, vt nè audire quidem eas dignetur, id quod vel maximè hoc tempore videmus. Nullum tempus anni magis auerſamur, quàm Quadra-

geſimam, inuiti adrepimus, imò manibus, pedibusq́ue obnitimur, fugimus, ac differimus quàm diu licet, nihilq́ue non attentamus, quò à ceruicibus noſtris Quadrageſimam abiiciamus: nec attendimus, quòd breue ieiunium, lætum Paſcha, & paruum laborem æterna præmia ſequentur. Nec alia cauſa eſt, quòd ita auerſamur & odimus Quadrageſimam, quàm quòd ſtatim in exordio cantatum eſt: Emendemus in melius, quòd ignoranter peccauimus. Item, Immutemur habitu in cinere & cilicio: ieiunemus & ploremus ante Dominum. Item, Vtamur ergo parcius uerbis, cibis & potibus, ſomno, iocis, & arctius perſtemus in cuſtodia: Vitemus autem peſſima, quę ſubruunt mentes uagas, nullumq́ue demus callido hoſti locum certaminis. Dicamus omnes cernui, clamemus atque ſinguli, ploremus ante iudicem, flectamus iram vindicem, &c. Hæc (inquam) ſimiliaq́ue verba ita nos abſterrent à Quadrageſima, vt facilius quis in bello decem millia animaret ad pugnam, quàm in pace decem homines ad pœnitentiam: cùm tamen in bello pericula, & ſæpius etiam certa perditio ſit, hîc autem in pœnitentia nullum periculum, ſed infinitus fructus. An non autem miſera res eſt, hominem & Chriſtianum, verbis perſuaderi poſſe ad ſuamipſius perditionem, & non poſſe perſuaderi ad ſuamipſius ſalutem? Quid faciemus hominibus iſtis? aut quibus tandem mediis dura ipſorum corda emolliri poſſe putabimus? Reuera unum illud remedium eſt,
Eze. 36. orare Deum, vt cor lapideum ab eis auferat, & cor car-
2. Tim. 4 neum tribuat. Non minus autem inſtandum eſt opportunè, importunè, nec ideo tacendum aut diſſimulandũ, quòd pœnitentia plæriſque odioſa eſt. Si enim medicus non ceſſat pharmaca ingerere, etiam ſi ægroto non placeant: cur nos ſermonem pœnitentię intermitteremus, propterea, quòd carnales eam auerſentur: imò eò fortius inſiſtendum. Ob eam cauſam etiam ego hunc ſermonem, non blandis, ſed admodum terribilibus & minacibus verbis auſpicatus ſum, ſi fortè vehementius

mouere poſſent. Ea (inquam) verba propoſui, quibus olim Chriſtus incredulos & obſtinatos Iudęos, & arguebat & territabat, propterea, quòd pluſquàm Ionā, imò & Ionę & omnium Prophetarum Dominum habebant, videbant, audiebant, nihilominus tamen permanebant tam in infidelitate quàm in peccatis. Ea itaque verba paucis nunc explicabo, eademque opera & ad Quadrageſimam, & ad enarrationem Ionæ viam mihi ſternā, &c. Sic igitur apud Matthæum legimus: *Matt. 12* Cùm CHRISTVS diu in Iudæa prædicaſſet in ſynagogis, in templo, in plateis, in domibus, magniſque miraculis oſtendiſſet, verba ſua, Dei verba eſſe, Iudæi tamen quaſi nihil vnquam talium vidiſſent, petebant ſignum aliquod è cœlo fieri. Fingebant enim ſe libenter velle credere, ſi ſcirent à Deo eſſe quæ loqueretur. His motus CHRISTVS, vehementi ſpiritu dixit: Generatio mala & adultera ſignum quærit, & ſignum non dabitur ei, niſi ſignum Ionę Prophetę. Sicut enim fuit Ionas tribus diebus & tribus noctibus in ventre ceti, ſic erit filius hominis tribus diebus & tribus noctibus in corde terræ. Et paulò poſt, Viri Niniuitæ ſurgent in iudicio, &c. Hæc verba ſtatui per hanc Quadrageſimam ſingulis ſermonibus inculcare auribus veſtris, non diffidens fore, vt Deo proſperante per crebrā inculcationem tandem etiā in corda penetratura ſint, non minus quàm gutta ſępe cadens, quātumuis durum cauat lapidem, quod ſi fieret, verè Chriſtianam Quadrageſimam acturi eſſemus. Verùm hic obiiciet quis, Verbum quod propoſuiſti, comminatorium eſt: Atqui non decet Euangelicum prædicatorem minis & terroribus homines ad pœnitentiam adigere, cùm pœnitentia nulla Deo placeat, niſi voluntaria. Audi me frater, Scio Chriſtum longè alium eſſe predicatorem, quàm Moyſes fuit, Euangeliumque longè aliam eſſe doctrinam, alioque modo tradendam, quàm lex fuerit: Interim tamen etiam ſcio, quòd Chriſtus, quantumuis prę dicator gratiæ ſit, non tamen ſemper & erga quoſlibet

ſe amicum & iucundum oſtenderit, imò ſæpius etiam indignatus, arguit & cõminatus fuit incredulis, id quod
Pſal. 44. Euangelia apertè teſtantur. Verum quidem eſt, quòd Chriſtus in ſuo officio ſpecioſus eſt & fuit præ filiis hominum, gratiaque diffuſa ſit in labiis eius: quid autem quòd multi homines eam gratiam negligunt & contemnunt, multi irrident & blaſphemant, multi item abutuntur ad omnem leuitatem? Num & his ſemper conſolatoria proponenda ſunt? Nequaquam. Nec enim Chriſtus, nec Paulus hoc fecit. Imò huiuſmodi hominibus Chriſtus auſus fuit dicere: Vos ex patre diabolo
Matt. 23. eſtis, Ioan. 8. Item: Væ vobis Phariſęis, &c. Item:
Matt. 21. Auferetur à vobis regnum Dei, &c. Imò auſus fuit
1. *Cor.* 5. eoſdem flagellis etiam è templo deturbare, quemadmo
1. *Tim.* 1. dum & Paulus eiuſdem farinæ homines diabolo tradere audebat. Vnde igitur nobis hæc prærogatiua veniret, vt qualeſcunque eſſemus in vita, nemo tamen auderet, niſi læta quæque, proponere? Erras frater, ſi putas tempore gratiæ nihil niſi lęta prædicari debere, idque quibuſuis hominibus & qualeſcunque ſint. An non le-
Pſal. 17. giſti quod Dauid de Deo dicit: Cum ſancto ſanctus eris, & cum peruerſo peruerteris? Quòd ſi ex audito Euangelio peruerſi efficimur, cogimur meritò pati, vt & Chriſtus nobis peruertatur, ac pro Euangelio nihil niſi indignationem, iram, minas ac tonitrua ingerat, quibus ſuperbiam & impœnitentiam noſtram cõterat & frangat. Deinde & illud ingenuè fateor, pœnitentiã coactam, non eſſe pœnitentiã, ſed meram hypocriſim, nec vllam pœnitentiam Deo placere, niſi quæ & voluntaria ſit, & ex amore deſiderioque iuſtitię fit. Interim tamen etiam ſcio, paucos homines eò peruenire, vt ex amore, & deſiderio iuſtitiæ pœniteant, niſi prius lege, minis, & terroribus adigantur in agnitionem propriæ miſerię. Potens quidem eſt Deus, in momento cor hominis ab iniquitate ad amorem iuſtitiæ immutare, id
Act. 9. quod in Paulo creditur factum. At hæc non eſt communis via, qua nos ad pœnitentiam adducit. Nec ſem-

per

per Deus facit miracula. Communis autem via eſt, quòd per timorem ducit nos ad pœnitentiam & amoré iuſtitiæ. Huc pertinet quod Eſaias dicit: In tribulatione ſua inquiſierunt te. Sicut enim mulier quæ cócepit, cùm appropinquauerit ad partum dolens, clamat in doloribus ſuis, ſic & nos facti ſumus: A facie uel timore tuo concepimus, & quaſi parturiuimus & peperimus ſpiritum ſalutis. In hunc modum & Dauid dicit: Circundederunt me dolores mortis, &c. &, In tribulatione mea inuocaui Dominum, &c. Vides Dauidem per terrores ad pœnitentiam perductum. Huc pertinet ꝙ Ioannes pœnitentiam perſuaſurus, ſic dixit: Genimina viperarum, quis oſtendit vobis fugere à ventura ira? Pœnitentiam agite, nam ſecuris ad radicem poſita eſt, &c. Huc pertinet etiam viſio illa Heliç, qua ſucceſſiuè vidit primò ſpiritum vehementem, deinde commotionem, deinde igné, vltimò ſibilum auræ tenuis. In conuerſione enim peccatoris, primò præcedunt terrores legis & comminationum. Hos ſequitur commotio & perturbatio hominis, poſteà ſequitur ignis conſcientiæ, poſtremò venit ſibilus auræ tenuis, vox ſcilicet Euangelii dicentis: Lazare veni foras. Item, Fili confide, remittuntur tibi peccata tua. Hic enim ſibilus niſi ſequatur, nihil proſunt priora. Non enim in ſpiritu Dominus, nec in commotione, nec in igne. Omnia.n. hæc patiuntur etiam impii & deſperantes. Et tamen communiter pręcedunt pœnitentiam ueram & remiſſionem peccatorum. Quæ cùm ita ſint, nemo miretur, quòd ego quoque minaci verbo vſus ſum & vti velim in poſterùm, imò optarim, vt omnes homines à peccatis abſterrere poſſem, & ita territos reddere, quemadmodum Petrus fecit, cùm vna die animæ circiter tria millia fidei ſe ſubderent dicentes: Quid faciemus viri fratres? Bonus hic terror eſſet, qui nos ad pœnitétiam, imò ad Deum duceret: Alioqui ſolet etiam diabolus terrere, ſed tantùm vt ad deſperationem adigat. Hæc igitur dicta ſint his, qui tempore gratiæ nihil aliud ꝗ

Eſa. 26. *Pſal. 17.* *Matt. 3.* *3. Re. 19* *Ioã. 11.* *Matt. 9.* *3. Re. 19* *Act. 2.*

conſolatoria prædicanda eſſe contendunt, qualeſcunq; etiam ſint homines. Quòd ſi quis indignum putat verbum quòd Chriſtus contra Iudæos dixit, in Chriſtianos torqueri obſecro conſideret, qualis iam ſtatus ſit Eccleſiæ & Chriſtianiſmi. Bone Deus, an non luce clarius in nobis verificatur illud: Lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras, quàm lucem. Item illud: In propria venit, & ſui eum non receperunt. Item illud: Viderunt, & oderunt & me, & Patrem meum. Item illud: Quoties uolui congregare filios tuos, & noluiſti? Itemque illud, Cantauimus vobis, & non ſaltaſtis, &c. Cùm igitur in tam multis Iudæos imitemur, non mirum, ſi etiam audire cogimur, quod illi audierunt. Ex his igitur vides, præfatum verbum Chriſti etiam ad nos pertinere. Hoc ſi dedignaris, ſi pudet te Iudæis comparari, ſtude eſſe Chriſtianus. & nihil ad te pertinebunt ea verba. Sed ad rem. Viri Niniuitæ (inquit Chriſtus) ſurgent in iudicio cũ generatione hac, &c. Quæris, quæ ſit iſta generatio, in quam Chriſtus hæc dixit? Tunc quidem erant Iudæi, nunc autem ſunt omnes, qui audiunt, vident, ſciũt, propria nimirum dictante conſcientia, quid Chriſtus exigat, & tamen neque credunt, neq; ſequuntur. Quid his comminatur Chriſtus? Iudicium nec qualecunq;, ſed extremum illud omnium terribiliſſimum, inſuper etiam damnationem. Quid autem terribilius comminari potuiſſet? Sed qualenam erit iudicium? Tale (inquam) vbi & propria conſcientia hominẽ rerum aget, & Deus ipſe ſententiabit, denique & omnes creaturæ miſerum condemnabunt. Viri (inquit) Niniuitæ ſurgent in iudicio, & condemnabunt tales homines. Non quòd ipſi iudices erunt, ſed quòd ipſorum pœnitentia omnium impœnitentium duritiam condemnabit, ac iuſtiorem ipſorum damnationem oſtendet. Cur hoc? Quia illi vnum tantùm Ionam habuerunt, idq; ſemel tantùm & breui tempore, & tamen pœnitentiam egerunt: Nos autem plus quàm Ionam habemus, &c. Sed

Ioan. 3. — Ioan. 1. — Ioã. 15. — Matt. 23 — Matt. 11

quid

quid (inquis) exigit à nobis Deus? Pœnitentiã. Hunc enim honorem à nobis ſibi exhiberi, vult, vt nos humiliemus, confiteamur, &c. Pro ignominia, qua eum peccando affecimus. Præmiſit quidem ſe velle remittere peccata, vt patet in nouo illo fœdere, quod nobiſcũ pepigit, verùm non ſine pœnitentia. Quòd ſi quęris, quid ſit pœnitentia, poſſum vno verbo dicere, Pœnitẽtia eſt præterita mala plangere, & ea deinceps non committere. Vel, iuxta ſcripturam eſt declinare à malo, & facere bonum: Vel, ſecundum Eſaiam lauari, mũndum eſſe, auferre malas cogitationes, quieſcere malè facere, &c. Vel, ſecundum Paulum, veterem hominem deponere, & nouum inducere, peccatis mori, iuſtitiæ autem & Deo viuere. Hæc adeò neceſſaria ſunt, vt veriſſimè dictum ſit, pœnitentiam eſſe ſecundum tabulam, qua enatamus poſt naufragium, & ad nauim innocentiæ iteratò peruenimus. Vnde & Chriſtus: Niſi (inquit) pœnitentiam egeritis, omnes ſimul peribitis. Atque hæc eſt cauſa, cur diabolus abolitam cupit pęnitentiam: ſcit enim per eam reditum eſſe ad innocẽtiam & gratiam. Vnde & non deſiſtit eam impugnare, vel exoſam reddere. Sic per Nouatianos pœnitentiam omnino è medio tollere volebat, vt homines poſt Baptiſmũ lapſos, in deſperationem adigeret. Sic ante hæc tempora quidam pœnitentiam adeò grauem & perplexam, eodem inimico inſtigante, fecerant, vt nèmo, non eam exhorreret. Econtrà autem nunc, quaſi perplexis conſciẽtiis, conſulere volens, & pœnitentiam alleuiare, hoc egit, vt omnino ſublata ſit pœnitentia; & ſicut antehac erat onus importabile, ita nunc res ridicula & contemnẽda iudicatur, vt vix iam de ea ſermonem fieri patiamur. Hoc ſcit diabolus. Sic ſublata pœnitẽtia, ſecurè nos in ſua poteſtate tenet diabolus, &c. Cæterùm hic audis, quòd Chriſtus iudicium & condemnationem minatur omnibus, qui non pœnitent, maximè his, qui plus quàm Ionam habent. E quibus planè verbis palàm videmus, non iocum, ſed rem feriam eſſe, quod Eccleſia

Hier. 31
Pſal. 33.
Eſa. 1.
Epheſ. 4
Rom. 6.
Luc. 13.

nunc intendit & agit. Vnde & ego omnibus aliis omiſſis, eò adnitar, vt vel ſemel videamus, quæ ſit vera pœnitentia, & quàm neceſſaria ſit. Ad hoc autem nihil conuenientius inuenio, quàm hiſtoriam Ionæ Prophetæ. Nam primò huc me vocat verbum propoſitum: in quo tàm Ionæ quàm prædicationis eius, quàm etiam Niniuitarum mentio fit. Deinde res ipſa hoc exigit, qualis enim nunc eſt mundus, opus habet vehementi concionatore. Vbi autem vehementiorem inuenies, quàm Ionam? Accedit ad hoc, quòd is fermè ſtatus mundi iam eſt, qui erat tempore Ionæ. Præterea, in Iona nedum pœnitentiæ ſermonem, ſed etiam exemplũ habemus, tam in ipſo quàm in Niniuitis. Poſtremò, nedum pœnitentiam habet Propheta ille, ſed etiam typũ Dominicæ paſſionis & reſurrectionis, quæ & ipſa nobis tractanda hoc tempore ſunt, vt interim taceam, ꝙ & breuis eſt, & hiſtorialiter deſcriptus, atque adeò & intellectu facilis & auditu iucundus. Cùm itaq; is Propheta omnibus modis tempori huic conueniat, eũdem ipſum enarrare conſtitui, non in alium finem, quàm vt videamus quàm non errauerit Eccleſia in prædicanda pœnitentia. Moneo igitur vos fratres, vt & temporis & noſtri ipſorum rationem habeamus. Conſideremus, qui & vbi ſimus, quid accepimus, & quid debeamus: in mentem veniat, quàm miſericorditer nos inuitet Chriſtus, cùm dicit: Venite ad me omnes, qui laborati︎s, &c. quàm magnifica promittat, cùm dicit: Inuenietis requiem animabus veſtris. Denique, quàm non magna à nobis exigat, cùm dicit: Iugum meum ſuaue, & onus meum leue eſt. Hæc pro exordio huius Quadrageſimę breuiter dicta ſint, &c.

Matt. 11

DOMINICA INVOCAVIT.

EVangelium hoc duabus potiſſimùm cauſis huic Dominicæ aſſignatum eſt. Primò, vt Chriſtiani nos ſtatim in exordio ieiunii noſtri certum & fundamentũ

& obiectum haberemus. Deinde, vt admoniti ſimus ad uerſus inſidioſos inſultus diaboli, qui, vt hic patet, tunc vel maximè ſæuit, cùm eius regnum impetimus, aut eius poteſtati nos ſubtrahere conamur. De his duobus ſuperiori anno diffusè dixiſſe me memini: Aliqua tamen iterum admonere cogor, maximè quæ ad ieiuniū pertinent. Eius enim ſpecialis mentio fit in hoc Euangelio. Deinde etiam neceſſarium eſt, vt de ipſo ſermo fiat, niſi velimus pati, vt totaliter ex Eccleſia tollatur. Quod enim ſupra dixi de pœnitentia, hoc nunc dico de ieiunio. Duo hæc maximè nunc odioſa facta ſunt, partim quòd in magnum abuſum iam dudum abierint: partim, quòd tam diſſimiliter de ipſis noſtro tempore doceatur. Vbi autem re quapiam plus æquò abutimur, aliusque eam commendat, alius damnat, non mirum, quòd contemni incipiat. Atqui hoc factum eſt, tam in pœnitentia, quàm in ieiunio. Primò enim res ipſa clamat, quòd pro maiori parte plus hypocriticè vel ſuperſtitioſè, quàm Chriſtianè, his vſi ſimus. Deinde, tam diſſimiliter de vtroque & ſcribitur & docetur, vt etiam hodie quis dubius fieri poſſet. Sunt enim qui hæc duo plus æquo grauia & oneroſa fecerunt: Econtrà ſunt, qui ea plus æquo annihilant. Non mirum igitur, quòd in contemptum & neglectum abierunt, odioſaque facta ſint. Quid igitur hic dicemus? imò quid agemus? Si enim in poſterum non melius & magis piè pœniteamus & ieiunemus, verè mercedem noſtrā recepimus, audireque cogimur ab hominibus, quòd hypocritæ ſimus: A Deo autem, Non eſt hoc ieiunium, quod elegi, &c. Si autem propter abuſum, pœnitentiam & ieiunium omnino ex Eccleſia tollamus, qualis obſecro erit Eccleſia? aut quomodo Eccleſia CHRISTI dici poteſt, in qua nec pœnitentia, nec abſtinentia, ſed nihil niſi impœnitentia & luxus eſt? Cùm certum ſit, quòd pœnitentia & ieiunium potiſſima Eccleſiæ ornamenta fuerint, quibus Eccleſia nūquam & nullo tempore caruit. Vt interim taceam, quòd vtrunque, tam pœnitentia, ſci-

Mat. 6.
Eſa. 58.

licet, quàm ieiunium, ita in ſcripturis fundata ſint, ut non poſſint omnino tolli ab Eccleſia. Quòd ſi verum eſt, imò quia veriſſimum eſt, & tamen abuſum eorum nemo probare poſſit: reſtat vnum hoc mediũ, vt quod bonum eſt reſeruemus, interim tamen curantes, vt recte & piè ipſo vtamur. Hoc ſi fecerimus, ceſſabit omnis contradictio. Huius rei exemplum accipe de ieiunio: Fateri coguntur omnes, qui ſcripturam vnquam legerunt, quòd ieiunium ſuum fundamentum habet in ſcripturis Pſal. 34. 108. 3. Regum 21. Iohel. 1. Nehemiæ 1. Iudith 8. & in multis aliis locis. Fateri item coguntur, quòd ieiunare in ſcripturis non tantùm eſt temperatum eſſe in cibo & potu, ſed ad tempus: vel omninò à cibis, vt Ionæ 3. Vel, ab aliquibus cibis abſtinere, vt Daniel 10. Fateri tertiò coguntur, quòd ieiunium ſuas habet promiſſiones, vt Matthæi 6. Item, quòd ieiunium ſemper fuit in populo Dei. Itemque quòd tam CHRISTVS, quàm Apoſtoli ieiunauerunt, Matthæi 4. Actuum 13. & 14. Poſtremò, quòd CHRISTVS prædixit, fideles ſuos poſt ſuum diſceſſum ieiunaturos. Et quid multis opus? cùm qui ieiunium noſtrum maximè oppugnant, ſpõte fateantur ieiunium, ſi ritè fiat, Deo placere, in ſcripturis ſanctis commendari, deniq; etiam temporales pœnas mitigare. Quæ omnia ſatis oſtendunt, ieiunium in ſe bonum eſſe. Vnde conſequitur, quòd omnis defectus & diſceptatio eſt propter abuſum. Hunc igitur tollamus, & nemo erit qui ieiunium noſtrum damnare poſſit. Abuſus autem eſt. Primò, quòd ieiunium aliqui nimis arctãt, & difficilè reddũt in grauamen pauperum. Secundò, quòd ieiunio obſtringunt conſcientias plus æquo. Tertiò, quòd nimis facile hinc faciunt peccatum mortale. Quartò, quòd cũ diuitibus plerunque diſpenſatur, pauperes ſub onere relinquuntur. Quintò, quòd pleriq; in ieiunio ſuo ſpem ſalutis ponunt, ipſum præceptis Dei anteponunt, denique non ieiunare maius peccatum æſtimant, quàm adulterari, aut inebriari, &c. Sextò, quòd nimis temerè

Matt. 9.

non

non ieiunantes iudicamus. Septimò, quòd à carnibus tantùm abſtinemus, interim maiorem voluptatem in piſcibus & vino quærentes. Octauò, quòd à cibis tantum, non etiam à vitiis ieiunamus, imò in ieiunio noſtro non minus adulteramur, fornicamur, inebriamur, fœneramur, proximos opprimimus, blaſphemamus, &c. quàm aliis temporibus, &c. Hæc & huiuſmodi ſunt, quæ ieiunium noſtrum adeò contemptibile & reprehenſibile faciunt: nec immeritò: qui enim ſic tātùm ieiunant, non Chriſtianè, ſed uel hypocritè vel ſuperſtitiosè ieiunant. Verus autem vſus ieiunii eſt, carnem cum ſuis concupiſcentiis per abſtinentiam domare. Primò, vt præterita peccata & luxum, in nobis ipſis puniamus. Secundò, vt futuris peccatis melius reſiſtere poſſimus. Tertiò, vt feruentius orare valeamus. Quartò, vt Chriſti paſſionibus & ſatisfactionibus participemus & conformemur, ne ſcilicet ipſo ieiunante, & pro nobis patiente, nos interim voluptati inſeruiamus. Quintò, vt non tantùm à cibis, ſed potiſſimùm à vitiis ieiunemus. Sextò, vt ieiunium noſtrum bonis operibus ornemus, maximè compaſſione & miſericordia ad proximos, vt Eſaias docet. In hūc modum ſi ieiunaremus, *Pſal. 58.* non homo, ſed diabolus: non Chriſtianus, ſed ipſiſſimus Antichriſtus eſſet, qui ieiunium illud damnaret. Atqui non aliud ieiunium vult & docet Eccleſia. Nec aliter ieiunauerunt veteres, id quòd ex ſcriptis & ſermonibus eorum palàm videtur, itemque in canticis & orationibus Eccleſiæ quotidianis. Quin & hæc ieiunandi ratio, etiam ex hodierna Epiſtola colligi poteſt. In ea ſiquidem Paulus ieiunium exigit à credentibus, ſed non ſolum: Hortamur (inquit) vos, ne in vanum, &c. Hæc fuit hodierna Epiſtola, in qua Paulus primò *2. Cor. 6* omnes Chriſtianos hortatur, ne in vanum gratiā Dei recipiant, probatque ex ſcripturis, nunc eſſe tempus illud acceptabile, & diem ſalutis. Quòd ſi quis quærat, quonam modo fiat, vt gratiam Dei non in vanum recipiamus? Reſpondet Paulus: Exhibeamus noſmetipſos

metipſos ſicut Dei miniſtros. Non dicit, iactemus nos Euangelicos, dicamus nos Chriſtianos, ſed exhibeamus & reipſa oſtendamus, & probemus ipſis operibus. Sed quibus? in vigiliis, in ieiuniis multis, &c. Sed num ſola hęc ſunt, quæ Chriſtianum probant? Non. Nam Paulus alia etiam præmittit & poſtponit, nempe, patientiam, caſtitatem, longanimitatem, charitatem non fictam, &c. Hæc ſunt, quę Chriſtianum oſtendunt. Atque hinc quoque vides, quàm nos ipſos decipimus. Nos enim Chriſtiani nobis videmur, ſi ad tempus à carnis abſtinemus, qualitercunque interim viuamus. Sunt alii, qui Chriſtianos ſe putant, ſi quocunque tempore quibuſlibet veſcantur, qualitercunq; interim viuant: At longè aliter hic docet Paulus. Moneo igitur chariſſimi, vt rem ipſam rectè attendatis: Non abiiciamus ieiunium, nec de illo grauemur: nam magnas habet commoditates & promiſſiones: ita tamen ieiunemus, vt Deo placere poſſimus. Nemo in ieiunio ſuo ſpem ponat, ſed in Chriſto: Nemo alterum iudicet. Non à cibis tantùm, ſed à peccatis etiam ieiunemus. Denique, quod nobis ſubducimus, in pauperes erogemus, &c.

*

Pro-

PROSECVTIO IONAE PROPHETAE.

CAPVT I.

SVPERIORI ſermone dixi, propoſiti mei eſſe Ionam Prophetam hoc tempore enarrare, idque certis ex cauſis. Nam cùm CHRISTVS tam inſigniter incredulis, & obſtinatis in ſua malitia, prædicationē Ionæ & Niniuitarum pœnitentiam obiiciat, nihil certè conuenientius hoc tempore proponi poteſt. Primò enim certum eſt, omnia peccatis & impietatibus plena eſſe, hoc noſtro tempore, & pleroſque adeò obſtinatè peccare, vt non niſi terroribus & minis uideantur poſſe ad pœnitentiam emolliri. Atqui Deus quotidianis fermè comminationibus non occultè ſubindicat, ſe diutius non diſſimulaturum, ſed grauiſſime in impietatem & duritiam noſtram vindicaturum, ni maturè reſipiſcamus vt vel ob hoc ſolum omnes Chriſtiani meritò hoc tempore Ionam & legere & audire deberent. Vt interim taceam, quòd idem Ionas apertiſſimè adumbrauit myſterium, tam paſſionis quàm reſurrectionis CHRISTI, ad quæ potiſſimùm tempus hoc reſpicit. Omnia enim alia, quæ præcedunt, nihil aliud ſunt niſi præparatoria quædam, ad hoc addita, vt maiorem & conſolationem & fructum è paſſione & reſurrectione Domini reportemus. Iuſtiſſimè igitur videor mihi Ionam enarrandum ſuſcepiſſe. Atque vtinam omnium veſtrum pectoribus eum inſculpere poſſem: ſic enim certus & ſecurus eſſem, nec fidem nec opera nobis defutura. Breuis quidem eſt Ionas Propheta, ſed verè magna & notatu digniſſima continet. In ipſo enim oſtenditur Dei ira aduerſus peccantes, ad terrorem omnium impiorū:

In

In ipſo oſtenditur Dei miſericordia erga pœnitentes, ad erigẽdam ſpem omnium pœnitentium: In ipſo oſtẽditur mirabilis Dei omnipotentia, ad conſolationem omnium afflictorum: In ipſo oſtenditur admirabilis Dei ſapientia, in reuelatione myſteriorum Chriſti, quoad pios, & abſconſione eorundem quoad impios. In ipſo oſtenditur, ob quam cauſam Iudæi abiecti fuerunt, ad terrorem & comminationem omniũ noſtrûm, ne in idipſum incredulitatis exemplum incidamus. Denique, in Iona oſtenditur, qua occaſione verbum Dei peruenerit ad gentes, idque ad laudem & gloriam gratiæ Dei. Hæc autem omnia & notatu & ſcitu digniſſima ſunt, ideò moneo, vt attentos vos præbeatis. Nec

Heb. 3. vos quicquam offendat, quòd Ionas veteris Teſtamenti Propheta fuit, quaſi ob id nihil ad nos pertineat, Imò, quia vnus & idem eſt Deus, vna & eadem fides veteris & noui Teſtamenti, certum eſt, quòd etiam ad nos pertineant Prophetæ. Sicut enim Deus omnes creaturas ad hoc ordinauit, vt in ipſis & per ipſas agnoſcatur inuiſibilis ipſius virtus, ſapientia & maieſtas: ſic etiam ex omnibus populis poſteritatem Abrahæ elegit, non

Rom. 1. ob ipſorum merita, ſed vt in ipſis oſtenderet tam iram ſuam in incredulos & obſtinatos, quàm miſericordiam & gratiam in credentes & reſipiſcentes, itemque longanimitatem ſuam erga delinquentes, & auxilium ſuum erga afflictos. Hinc & ſæpius dicit, quòd aſſumpſerit

Deut. 26 eos ſibi in laudem, & nomen, & gloriam. Vnde palàm

Hier. 13 eſt, etiam ad nos pertinere, quicquid Deus cum ipſis egit, atque adeò quicquid per Prophetas ad ipſos locutus eſt. Cæterùm, quia ad intellectum Prophetarum, multum facit cognitio locorum & temporum, quibus Prophetæ vixerunt, ideo obſeruandum, quòd Ionas vixit & prophetauit tempore Ieroboam Regis Iſrael, cuius auus fuit Rex Iehu, quo tempore & alii Prophetę, præſertim Oſeas, Amos, & Iohel fuerunt. Huic igitur Regi Ieroboam, Ionas ſua prædicatione aſtitit, ac effecit, vt idem rex omnia recuperaret, quæcunq; Haſael,

Rex

Rex Syriæ, per vim Iſraëlitico imperio abſtulerat tam inæſtimabile gratiæ diuinę munus eſt, vbi Deus cuipiã regno, virum ſuo verbo inſtructum miſerit, cuius gratia, nedum ei regioni ſcelera & impietatem condonat, ſed immenſis etiam beneficiis ipſos cumulat. Quid igitur non faceret, vbi bonorum hominum copia eſſet? Locus autem, vbi Ionas prædicauit, eſt Niniue, non quòd tantùm in ea ciuitate prædicauerit, ſed quòd ea prædicatio tantùm hic deſcribitur: Aliàs autem ex iam dictis certum eſt, quòd prius in Iudæa prædicauerit. Niniue autem fuit ciuitas magna & potens Metropolis Aſſyriç, & caput totius regni, de cuius magnitudine infrà latius audiemus. Condita autem fuit ab Aſſur ex progenie Nemroth, poſteà autem per Ninum regem, à quo & nomen accepit, ampliata & ornata. Hæc ciuitas multos reges habuit potentiſſimos, qui regnum Iſraël infeſtarunt, inter quos primus Phul, rex Aſſyriorũ tributum exegit à Manahen rege Iſraël. Poſt quem Teglatphalaſſar magnam partem regni Iſraël tranſtulit in Aſſyrios. Tertius autem Salmanaſar, omnem Iſraël tranſtulit & cepit. Hos ſecutus Sennacherib, etiam regnum Iuda vaſtare intendebat, ſed à Domino prohibitus fuit. De ſuperbia & potentia huius regis, lege quartum Regum. Niniue igitur tempore Ionæ potentiſſima, ditiſſima & pulcherrima ciuitas erat, verùm iuxta hoc impiiſſima omnibusque pleniſſima peccatis. Sic enim, vt plurimùm creſcentibus diuitiis & gloria, creſcit etiam malitia & impietas, quæ duò cùm in immenſum excreuerint, propè eſt iudicium Dei, id quod huic ciuitati accidit. Et quanquam periculum, quod Ionas prædixerat, per pœnitentiam auerterunt ad tempus, poſteà tamen priorem malitiam repetentes, perierunt. Eius ciuitatis excidium & exterminiũ, præuixerunt Thobias & Nahum. Sic enim relapſis efficiuntur poſteriora peiora prioribus. His præmiſſis, ad textum accedamus.

4.Re.14 · Gen.10. · 4.Re.15 · Ibidem. · 4.Re.17 · 4.Re.18 · Tob.14. · Nahũ.1.

Et factum eſt uerbum Domini ad Ionam filium Amathi.

Sunt

3.Re.17 Sunt qui dicant, Ionam fuiſſe filium viduæ Sarepthanæ, quem Helias à mortuis ſuſcitauit, eo potiſſimum argumento inducti, quòd ſeipſum hic filium Amathi vel Amithai nominat, hoc eſt, filium veracis, propterea, quòd mater ipſius ad Heliam poſt ſuſcitationem filii dixerat: Nunc in iſto cognoui, quoniam vir Dei es tu, & verbum in ore tuo verum eſt. Hoc tametſi plures aſſeuerant, non tamen videtur ſcripturæ vndiquaq; cõuenire. Nam in libris Regum, Ionas dicitur fuiſſe de Geth, non de Sareptha. Et vidua illa fuit gentilis, vt
Luc. 4. coniici poteſt ex verbis CHRISTI ad Iudæos: Ionas autem fuit Hebręus. Ideo ſimplicius dici poteſt, quòd Amathi fuerit pater Ionę. Nec tamen magni hoc refert ſcire, num fuerit Ionas filius illius viduæ néc ne: ſatis eſt, quòd ſcimus ipſum fuiſſe Prophetam. Nam hîc dicitur, factum eſſe verbum Domini ad ipſum: ergo quæ prædicauit & ſcripſit, verba Dei ſunt. Hæc attendere oportet. Perſona nihil nobis confert, ſed verbum Dei. Cæterum mirari quis poſſet, quòd hic ſtatim in principio, coniunctio (Et) præponitur, cõtra legem & naturam huius coniunctionis, quæ ideo copulatiua dicitur, quòd duo inter ſe copulet. Verùm hæc eſt phraſis Hebraica, quòd ſępe coniunctionibus
Ezec. 1. in principio vtuntur: Vt patet etiam in Ezechiele & aliis multis, &c. Interim tamen nec ipſa coniunctio vacua eſt, quod facile videbimus, ſi cauſam, cur Ionas ad gentes miſſus ſit, attendamus. Quę autem cauſa extitit? Illa nimirum, quia filii Iſraël Prophetas non audierunt. Tot Prophetæ miſſi erant, tot mirabilia facta, toties ipſis prænuntiata captiuitas propter multitudinem peccatorum, nec tamen vnquam pœnitentiam egerunt. Neque enim ſaltem vnius regis tempore vitulos aureos colere deſtiterunt, nec vnquam eos inde abſtrahere potuerunt, vel Helias, vel Heliſæus magnis miraculis coruſcantes. Mirabatur autem Dominus, & tædebat eum ſuper Iſraël, ſciens, quòd ſi ad gentes mitteret, multo faciliores ad credendum eas inueniret.
4.Re.10

Vnde

Vnde & ad quendã illorum taliter locutus eſt. Fili hominis, vade ad domũ Iſraël, non ad populos profundi ſermonis & ignotę linguę mitteris, ſed ad domũ Iſraël. Et tñ ſi ad illos mitteris, ipſi te audirent. Domus autẽ Iſraël nolũt audire te, quia nolunt audire me. Hoc aũt vt experimẽto probaretur, miſſus eſt Ionas ad Niniuẽ. Itaq; dum per coniunctionem incipit, ad ea nos mittit, quæ iã diximus, vt ſit ſenſus: Filii Iſraël non audierũt, q̃ preceperat Dñs, ſed indurauerant ceruicem ſuã, &c. & idcirco factum eſt verbum Dñi ad Ionam, dicens: Surge, &c. quatenus in cõparatione gentium damnabilis Iſraël amplius oſtenderetur, & idcirco etiam iudicium Dñi tradituri illos in captiuitatem, irreprehenſibile cõprobaretur. E quibus omnibus apparet, ne minimum quidẽ in ſcripturis ſuperuacuum eſſe, ſed interdũ minimis quibuslibet rebus maxima myſteria oſtendi, quẽadmodum hæc coniunctio (Et) præpoſita, cauſam totius libri oſtẽdit: Niſi enim Ionas prius fruſtra apud Iſraëlitas prædicaſſet, non opus fuiſſet ſic incipere: Et factum eſt verbum Dñi, &c. Faxit Deus opt. max. ne vnquam fruſtrà audiamus verbum Dei, multò magis ne ipſum vnquam repellamus. Alioqui etiam nobis continget, quod alibi dicitur: Quia abieciſti ſermonem Domini, abiecit te Dominus: quod ne vnquã nobis accidat, oremus, pœniteamus, alioqui viri Niniuitæ etiam contra nos in iudicio ſurgent, &c.

Ezec. 3.

1.Re.15

FERIA QVARTA.

QVI attendit, quàm ſeuerè & terribiliter Chriſtus in hoc Euangelio loquitur, maximè in principio, vbi nihil aliud facit, q̃ ꝙ indignatur, arguit, minatur, condemnat, ac finaliter Diabolo tradit incredulos Iudæos mirari forſan poſſet, quomodo Prophetæ tam bona de ipſo tamq; conſolatoria pręnunciauerint, cùm contrarium

hic appareat. Verùm Chriſtianus homo nihil ob hoc moueri debet, imò non tam quid dicatur, q̃ quibus dicatur attendere oportet. Certum enim eſt, Phariſęos tales fuiſſe, qui leuioribus verbis non fuerunt digni. In fine autem Euangelii longè aliter loquitur CHRISTVS. Illic ipſum inuenis vt eſt, imò qualem libenter habere & optare poſſes:
Pſal.44. Illic in labiis eius nihil niſi gratia eſt, in moribus & geſtibus eius nihil niſi manſuetudo: Illic manus extendit in diſcipulos ſuos:
Matt.12. Illic omnes eos, qui voluntatem Patris ſui faciunt, nominat ſuos fratres & ſorores. Si igitur te offendit exordium Euangelii, aſpice finem. Imò, ſi indignationis & cõminationum CHRISTI ſecurus eſſe cupis, vide ne imiteris Iudaicam obſtinationem, quin potius efficiaris diſcipulus & imitator CHRISTI, fac voluntatem Dei, & habebis in Chriſto quicquid deſideras. Hæc eſt tota huius Euangelii intentio, quam tamen diffuſius declararem, niſi ad hunc ſcopum tota hiſtoria Ionæ ſpectaret, quem cùm tractandum aſſumpſerim, nõ opus eſt diutius hic immorari. Vnum hoc vobis inculcatum volo, quod Chriſtus ipſe in hoc Euangelio de Iona & Niniuitis loquitur, idq; admodum ſerio, quod certiſſimum indicium eſt, magnum quid in eo Propheta nobis oſtendi. Vbicunque enim Chriſtus Prophetam aliquem nominatim in Euangelio proponit,
Ioan.5. certum eſt, ſerioſum aliquid in cauſa eſſe. Tantùm au-
Matt.15 tem quatuor inuenies ſuis nominibus expreſſos à Chri-
Matt.24 ſto, Moyſen ſcilicet, Eſaiam, Danielem & Ionã hunc noſtrum, quod vel ſolùm excitare nos deberet ad ipſum legendum & audiendũ. Niſi enim magni aliquid in ipſo eſſet, Chriſtus non ad ipſum nos remiſiſſet. Quod igitur cępimus, eandem hiſtoriã proſequamur.

PROSECVTIO IONAE.

SVprà paucis dixi, quis fuerit Ionas, quo tempore, & ſub quibus Regibus prophetauerit. Denique quæ

quæ fuerit illa ciuitas Niniue, & cur Ionas potiſſimùm ad eam miſſus fuerit, cùm nuſquam legamus quenquam aliorum Prophetarum ad Gentes prædicandi gratia miſſum, præter vnum & ſolum Ionam. Alii quidem Prophetæ ſæpe de Gentibus, etiã & contra Gentes prophetauerunt, imò, Moyſes etiam ad Pharaonem regem Aegypti miſſus fuit. Et Hieremias literas in Babylonem etiam miſit, verum non Gentium gratia, ſed Iſraëlitarum, qui ibi erant. Ionas autem ſolus prædicandi gratia ad Niniuen miſſus fuit, ſic enim ad ipſum dicitur: Exod. 4. Hier. 29

Surge, vade in Niniuen ciuitatem magnam, & prædica, &c.

Hoc eſt verbum Domini, id eſt, iuſſio & præceptum Ionæ impoſitum. Cauſa huius iuſſionis prima & potiſſima eſt, incredulitas & obſtinatio Iudæorum, vt & ſuprà dictum eſt, qua iam dudum meruerant puniri, imò totaliter à Deo relinqui. Ne autem Iudæi putarent, in hoc iniuſtè ſecum agi, miſſum eſt verbum Domini ad Gentes, & ad eum locum, vbi maximè impii erant, vt ſi illi verbum Dei reciperent, totus mundus iudicare poſſet, Iudæos meritò puniri. Sic enim punit Deus, vt iudicia eius etiam mundus cogatur iuſta pronuntiare. Deinde hæc iuſſio Dei ad Ionam, quaſi præludium & præſagium fuit, verbum Dei, imò regnum Dei à Iudæis auferendum, ipſumq; Deum à Iudæis ad Gentes tranſiturum, idque propter ipſorum incredulitatem & obſtinationem. Hoc autem meritò & ſummè nos terrere debet, maximè cum videamus noſtro tempore verbum Dei ad ea loca perueniſſe, vbi nunquam prius fuit auditum, imò vbi nunquam cognitum fuit homines viuere, interim autem ex altera parte inſigne illud regnum Hungariæ, & à CHRISTO, & ab Eccleſia, violentia Turcarum ſeparari, imò inuitos ad Mahometiſmum cogi, &c. Quis autem hæc audiens & videns, non contremiſcat? maximè cùm tam propè videamus flagellum Dei, iamque proximus nobis paries in immenſum ardeat? An dubitamus Matt. 21

hæc fieri, & facta eſſe in admonitionem noſtri? Aut putamus Deum ſemper ad malitiam noſtram conniuenturum, vel nō poſſe ad nos peruenire? Vel putamus
Luc. 13. ſolos Hungaros peccaſſe & Iudæos? Imò niſi pœnitentiam egerimus, omnes ſimul peribimus. Terrori igitur nobis ſint, nō tam hæc iuſſio Domini ad Ionam ꝙ miſerabile illud exemplum, quod in Hungaris videmus. Cæterum in illa iuſſione Domini, etiā hoc oſtenſum eſt, nempe, ꝙ Deus etiam Gentium curam ageret, & quòd gratiam ſuam nondum totam ab eis auerterat, quantũuis ab exordio eos neglexiſſe videretur. Imò hac iuſſione Deus præoſtendere voluit, ſe reiectis Iudæis, Verbum & Spiritum ſuum in gentes diffu-
Iohel 2. ſurum, quemadmodum & Iohel prædixit futurum, vt omnis quicunq; inuocaret nomen Domini, ſaluus fieret, ac re ipſa appariturum, quòd Deus non Iudæorum
Rom. 10 tantùm, ſed etiam gentium Deus eſſet: Et quòd apud
Act. 10. ipſum nullus reſpectus eſſet perſonarum, ſed in omni gente quiſquis eum timeret, gratus illi eſſet. Putabant Iudæi ſe ſolos ad Deum pertinere, imò ſe meritis & operibus ſuis hoc mereri, vt Deus tam benignum ſe ipſis oſtenderet. Atque hæc perſuaſio adeò animis
Act. 15. eorum inſederat, vt putarent ſe etiam gratiam Euangelii per obſeruantiam legis meruiſſe, nec quenquam eius gratię participem eſſe poſſe, niſi legem obſeruaret, vt patet in Actis. Atqui hic videmus etiam Niniuitis miſſum eſſe verbum Dei & gratiam: Sed nunquid hoc meruerunt obſeruatione legis Moſaicæ, aut aliis ſuis operibus? Nequaquam. Nam nec legem Moyſi vnquam habuerunt, & peccatores impiiſſimi
Nahū 3. erant. Sic enim contra Niniuen clamat Propheta: Væ ciuitas ſanguinum, quæ plena eſt mendacio & direptione, & non recedit ab ea prædatio. Conſtat igitur, quòd ex ſola gratia illis miſſum ſit verbum Dei, quemadmodum & nos, nedum citra opera legis, verumetiam citra quæcunque merita præcedentia ex ſola gratia, ad Euangelium & Eccleſiam Dei vocati ſumus.

mus. Quod igitur Paulus aliàs magno ſtudio contra Iudæos de iuſtitia ſua præſumentes docuit, hoc ſtatim in exordio Ionæ habemus, nempe, quòd ex gratia ſalui facti ſumus, non ex operibus, ne quis glorietur. Tertiò loco in hac iuſſione Domini videmus, Deum ipſum proniorem ad miſerendum, quàm ad puniendum. Meruerant Niniuitæ puniri & exterminari, attamen prius eos per Prophetam monuit Deus. Sic enim ſemper ante punitionem ſolet præmittere verbum ſuum. Sic ante diluuium miſit Prædicatorē Noë. Sic ante interitum Sodomæ, miſit Loth. Sic ante exterminium terræ Chanaan, miſit in eandem terram Abraham, Iſaac, & Iacob. Ex eadem cauſa miſit Ioſeph & Moyſen in Aegyptum, &c. Sic & hîc Ionam mittit ad Niniuitas. Et ô verè admirabilem Dei dignationem & miſericordiam. Meruerant illi ſummum ſupplicium, & Deus illis confert ſummum beneficium, mittendo illis verbum ſuum, vt verum ſit, quod Paulus dixit: Vbi abundauit delictum, ſuperabundauit & gratia. Idipſum & nobis contigit. Cùm enim adhuc inimici eſſemus, atque adeò omni ira digni, miſit nobis Deus Filium, & Verbum, Gratiam & Spiritum ſuum, imò omnia bona: Nec ob aliud, q̃ vt oſtenderet diuitias gloriæ & gratiæ ſuæ. Hunc enim honorē, hoc nomen expetit Deus, vt omnes gentes ſciant eum gratis omnia bona donare, ſine vllis meritis noſtris, omnesq; cogantur dicere: Confitemini domino quoniam bonus: quoniam in æternum miſericordia eius. Poſtremò in hac iuſſione Dei ad Ionam facta, pulchrè etiam oſtenditur, quid Deus à Prophetis ſuis exigat. Tria enim verba imperatiui modi hic ponuntur: Surge, vade, prędica, quæ vtinam omnes attenderent. Primùm pertinet ad perſonam prophetæ, Surge, quaſi dicat Vigila, excutere è ſomno, circūſpice, memento te eſſe ſpeculatorem, cui magnum periculum immineat, ſi ſomno tuo alios neglexeris. Noli iacere in otio & torpore, multò minus in peccatis.

Marginalia: Eph. 2. — Gen. 7. — Gen. 19. — Gen. 12. — Rom. 5. — Pſ. 117. — Ezec. 33

catis. Qui alios excitare debet, non debet ipſe dormi-re, fruſtrà alios à peccatis abſterret, aut ad bonum incitat, qui ipſe in peccatis iacet, & ad bonum tædioſus eſt. Reuera vehemẽs eſt hoc verbum, quod Paulus probè
1.Cor.9. perpẽdit, cùm dixit: Ego ſic curro, nõ quaſi in incertũ? ſic pugno nõ quaſi aërem verberans, ſed caſtigo corpus meum, ne cùm aliis prędicauero, ipſe reprobus efficiar. Nec ſolùm prædicatori dicitur, Surge, ſed etiã, Vade, hoc eſt, exi à te ipſo, noli cõtentus eſſe propria ſalute,
Gen.43. vade ad proximum, ſcito te faciem Domini videre nõ poſſe, niſi adduxeris tecum etiam minimũ è fratribus
1.Co.5. tuis. Hoc ſciens Paulus, dixit: Væ mihi, ſi non euangelizauero, &c. Tertium quod Propheta audit, eſt, Et prædica. Huius loco in Hebræo habetur, Clama contra eam. Apud obſtinatos enim (quales erant Niniuitę) non ſufficit ſimplex prædicatio, ſed oportet clama-
Eſai.58. re. Huc pertinet illud ad Eſaiam, Clama, ne ceſſes: annuncia populo meo ſcelera eorum, &c. Signanter autẽ obſeruandum, quòd Ionas iubetur clamare contra Niniuen ciuitatem magnam, vbi tunc erat Monarchia, atque adeò omnium hominum potentiſſimi, ditiſſimi, ſapientiſſimi, &c. Nulli enim parcit verbum Dei, imò quo maior quis eſt, eo citius eum tangit verbum Dei. Additur autem cauſa:

Aſcendit enim malitia eius coram me.

Hoc eſt, video, quòd ad ſummum accreuerit & adaucta ſit malitia Niniuæ, vt propter eam flagellari, imò ex-
Gen.18. terminari mereantur. Hoc enim eſt in ſcriptura, mali-
Gen. 4. tiam aſcendere coram Deo. Simili modo loquẽdi dicitur, Clamor Sodomorum perueniſſe ad Dominum, & ſanguinem Abel in cælum clamaſſe. Et hoc igitur verbũ, magnũ meritò nobis incutere debet timorem, nẽpe quòd peccata noſtra etiã cùm ea negligimus, etiam cùm dormimus, etiã cùm nihil minus timemus, aſcendunt ad Dominum, clamant in cælum, & creſcunt in immenſum. Quis hic non contremiſcat, conſiderans & ſua propria, & omnium ſingulorumque hominum

minũ peccata? An non putas ea,ſi ſimul coniungantur in magnum conſurrectura eſſe cumulũ ? Et meo quidẽ iudicio, certiſſimum indicium eſt peccata noſtra ad Deum aſcendiſſe,& in cęlum vſque creuiſſe, quòd flagellum illud Dei exterminans,Turca tam potenter in Chriſtianos tyrãnidem ſuã exercere permittitur, &c. Quę cùm ita ſint, fratres chariſſimi,hortor & moneo, terreat nos comminatio Dei, fugiamus ad pœnitẽtiã, agnoſcamus & confiteamur nos omnia mala commeritos, rogemus pro gratia, & indubiè eam inueniemus, non minus, quàm Niniuitę inuenerunt. Hoc enim ſolummodo quærit Deus,vt reſipiſcamus. Quando igitur Ionas noſter vſque hodie ad Niniuen illam magnã,hoc eſt,mũdũ imò Eccleſiam (quę olim erat Hie- *Eſa. 1.*
ruſalem ciuitas fidelis, nunc eſt Niniue, ſocia furum) miſſus clamat. Agamus pœnitentiam, ad quam & pręſens tempus nos inuitat. Stat enim ſententia, Niſi *Luc. 13.*
pœnitentiam egeritis, omnes ſimul peribitis.

FERIA SEXTA.

EVANGELIVM hoc & pulchram & admodum cõſolatoriam habet hiſtoriam, quæ & huic tẽpori pulchrè adaptari poſſet, quemadmodum partim ſuperioribus annis oſtendi. Cæterum, ſi Ionam noſtrum hoc Quadrageſimali tempore ad finem vſque perducere volo, neceſſarium erit, vt Euangelia quàm breuiſſimè perſtringam. Hoc ideo pręmoneo,ne cui mirum videatur, ſi me præter morem meum viderit eſſe breuem in enarrandis Euangeliis. Non ob aliud enim fiet et fit,niſi vt Ionam hoc tempore poſſim abſoluere. Interim tamen ſemper cuiuſlibet Euangelii pręcipuam intentionem & ſcopum, breuibus verbis ſubindicabo, ne quis

cauſari poſſit. Euangelia præteriri Itaque in hoc Euã
gelio audiſtis, quòd Chriſtus ſemel in Hieroſolymis
ad locum quẽdam deuenit, vbi iacebat magna infirmo
rum multitudo, è quibus tamen eum præcipuè auxilio
ſuo dignatus fuit, qui præ omnibus aliis peius habebat,
& propter diuturnitatem morbi, & propter defectum
auxilii, tam ſui, quàm alieni. Hoc autem non aliam ob
cauſam factum eſt, quàm vt diuina eius potentia, ineſ-
fabiliſque pietas clarius perſpici poſſent, aliiq; hoc vi-
dentes, intra ſe dicerẽt. Si hunc ſanare potuit, nihil il-
li impoſſibile erit. Si hunc ſuo auxilio dignatus eſt, nul
lum abiiciet. Hic enim videmus, quòd nedum potẽtiſ-
ſimus, ſed & miſericordiſſimus ſit, &c. Hoc quæſiuit
Chriſtus in hoc miraculo, Simile quiddam & ſuprà ha
buimus in Iona, quem Deus nedum ad gentes miſit,
ſed ad eos, qui omnium peſſimi erant, nimirum vt hinc
eniteſceret ipſius gratia & miſericordia, omneſq; dice
re cogerẽtur: Verè bonus & pius Dominus, qui etiam
talibus tã facilè ignouit. Quòd ſi Niniuitis pepercit,
nullo pœnitenti gratiam negabit. En ob hanc cauſam
Deus plerunque maximis peccatoribus maximã gra-
tiam præſtat, & in deploratiſſimis morbis & periculis
maximè ſuccurrit, vt clarius cognoſcatur eius potẽtia
& bonitas: Nõ quòd ideo peccare debeamus, aut in pe
ricula nos ſponte coniicere, vt Deus cauſam habeat o-
ſtendendi potentiam & bonitatem ſuam, ſed vt magis
admiremur, laudemus & ſpem concipiamus, etiam in
ſummis peccatis & periculis non deſperandi. Hæc de
Euangelio quàm breuiſſimè dicta ſint.

PROSECVTIO IONAE.

AVdiuimus ſuprà, quomodo & quale verbum Do-
mini ad Ionam factum ſit: Surge, inquit, vade in
Niniuen, & prædica in ea. Iuſſio erat, vt prædicaret, i-
mò clamaret contra Niniuen, propterea, quòd peccata
eorum aſcendiſſent ad Deum, non quòd tunc primùm
Deus

Deus cognouerit peccata ipſorum: Ipſe enim omnia videt & ſcit, & omnia aperta ſunt oculis eius, etiam arcana cordis, ſed diſſimulat ſe videre, donec ad ſummũ peruenerint peccata. Tunc quaſi excitatur Deus,& ita agit, vt omnes videant nihil illum latuiſſe. Sed audiamus, quid Ionas ad hanc Domini iuſſionẽ fecerit. Heb. 4.

Surrexit Ionas, ut fugeret in Tharſis à facie Domini. Circa dictionem Tharſis,non parua cõtrouerſia eſt inter expoſitores,num accipienda ſit pro nomine appellatiuo, aut pro nomine proprio loci. Vtrumq; enim aſſeritur, & vtrumque videtur poſſe probari. Nam & apud Hebræos Tharſis ſignificat mare. Et Tharſus Ciliciæ ciuitas eſt patria Pauli, itemque alia Tharſis in India eſt, Act. 21. vnde Salomon deportabat aurũ, &c. 3. Re. 10 An autem Ionas tantummodo ad mare fugere voluerit, ac ſe vẽtis permittere quocũque cum perducerent, an certum petere voluerit locum, aliis diſcutiendum relinquo. Nihil enim admodum refert,vtrũ aſſeratur. Nos vtiliora inueſtigabimus, nempe quomodo Ionas voluerit fugere à facie Domini,& quare. Itemque,an in hoc peccauerit,& quid nobis inde accipiẽdum ſit. Primò enim mirari quis poſſet, quòd Ionas voluerit fugere à facie Domini. Quis enim à Deo fugere poteſt? Si propheta fuit Ionas, certè non ignorauit,Deum vbiq; eſſe maximè, cùm poſteamet fateatur ſe ſeruũ Domini eſſe, & Deũ cæli & terræ colere, qui fecit mare & aridam. Denique & illud inaudierat, Deum eſſe in Niniue,præſertim cùm decreuiſſet illorum malitiam punire, & Ionam eò in hoc mittere. Quod igitur dicitur fugere voluiſſe a facie Domini, ſic nobis intelligendum eſt. Facies Dei, præſentia eius eſt, maximè in hoc loco. Cæterùm dupliciter nobis Deus præſens eſt: Naturaliter ſcilicet & ſpiritualiter. Et naturaliter quidem vel realiter,hoc eſt,ſecundum naturam,eſſentiam, & potentiam vbiq; præſens eſt. Eſa. 66. Vnde in Eſaia dicit: Cælum ſedes mea eſt, & terra ſcabellum pedum meorum. Hier. 23 Itemque, Cælum & terram ego impleo. Hac ratione etiam

tiã in medio inferni & mortis eſt. Ab hac eius præſentia & facie, nemo fugere aut abſcondi poteſt, etiãſi ſe
Pſ. 138. in terrã abſtruſerit. Huc pertinet illud Dauidis: Quò
Hier. 23 ibo à ſpiritu tuo, & quò a facie tua fugiam? Si aſcendero in cælum, tu illic es, &c. Itemque illud. Si occultabitur, inquit, vir abſcondito, & ego nõ videbo eum, &c. Spiritualiter autem tantùm illic preſto eſt, vbi cognoſcitur, hoc eſt, vbi Verbum, Fides, Spiritus & verus Dei cultus viget. Hãc autem ſpiritualem Dei preſentiam ſoli pii ſentiunt. Nã impii eam nec ſentiunt, nec credunt. Ab hac præſentia & facie Domini, haud difficulter fugere poteſt homo, ac eò migrare, vbi nec verbo eius, nec fide, nec ſpiritu, nec vlla Dei cognitione homines ſunt inſtructi. Ad hunc modum peccatores quique faciem Domini fugiunt, id eſt, verbum Dei. Ad hunc modum & Ionas fugit à facie Domini: relicta enim Iudea, in qua Verbum, fides, & cultus Domini erant, ad mare, hoc eſt, ad gentes ire contendebat, vbi nulla fides, nullus Spiritus, nullum Dei verbum audiebatur: melius ſibi eſſe putans, illic eſſe, vbi nullũ verbum Dei eſſet, quàm tam grauem iuſſionem Domini in ſe recipere. Putabat enim ſi extra Iudeam eſſet, nihil tale ipſi iniungeret Deus, ideo abhorrebat à iuſſione illa diuina. Sed quam (inquis) ob cauſam? Dici poteſt, quòd forſan timuerit periculum, quod ſibi imminere videbatur à Niniuitis & rege eorum, maximè cùm iuberetur contra ipſos clamare. Ardua enim res eſt & periculis plena, aliorum vitã reprehendere, maximè potentium. Veritas odium parit, ait Ethnicus. Et
Ioan. 7. Chriſtus, Me (inquit) odit mundus, quia teſtimoniũ perhibeo de ipſo, quòd opera eius mala ſunt. Quod igitur Ionæ præcipiebatur, idẽ eſt, ac ſi quis iã ſolus ad Turcarum regem cũ principibus & toto regno ſuo obiurgandum mitteretur. Hic nõ dubium, quin multi etiam trepidarent & fugituri eſſent, qui nunc in pace & inter ſuos vidẽtur fortiſſimi. Deinde potuit & hoc Ionam abſterrere ab iniuncto officio, quòd videbat ſibi

delegari

delegari munus prædicandi nouum & inauditũ, cùm præ cæteris omnibus Prophetis ipſe ſolus ad tam potẽ tem regẽ, extra patriã mitteretur, cuius ſimile nunquam viſum fuerat in Iſraël. Hinc igitur non vulgariter, animus eius cõmotus fuit admiratione quadã et ſtupore, quòd ſe videret ſolũ ablegari. Vnde & fuga ſibi conſulere voluit, diffidens ſe ſolum quicquam inter gẽ tes effecturũ eſſe. Sic enim in eiuſmodi caſibus naturaliter affecta eſt caro, vt difficulter & grauatim aggrediamur, imò vndiq; circumſpiciamus, quidnam Deus per nos efficere velit. Sic Moyſes multis verbis reſiſtebat cũ ad Pharaonẽ mittendus eſſet. Sic Petrùs iuſſus Chriſtum ſequi ad crucẽ, circumſpiciebat ac percũctabatur, quid Ioannes eſſet facturus. Et hoc igitur in Iona, cauſa eſſe potuit fugę. Propterea, ſunt nonnulli in ea opinione, vt putent eum ob hoc deuitaſſe delegatã prouinciã, quòd ſolicito animo timuerit, ne quod prædictum eſſet Niniuitis, non ſortiretur effectum, ſuamque Prophetarum fore vanam & irritam, id quod & factum eſt. Ideoque eum fuiſſe ſolicitum, ne mendacis & Pſeudoprophetæ notã incurreret, cuius verbum nec verum nec à Deo miſſum eſſet. Cæterum, ſunt & alii, qui putant Ionam inuidiſſe gentibus, & maximè Niniuitis hoſtibus, ſalutem, ac more Iudęorum cogitarit indigniores eſſe Niniuitas, & quoſcunque Gentiles, quàm quibus verbum Dei & gratia annuncianda ſit, cum non eſſent populus Dei, hoc eſt, Iſraëlitis oriundi. Eandem opinionem etiam Apoſtoli poſt aſcenſionem Domini habebant Euangelium, ſcilicet regni Dei non aliis annunciandum quàm Iudæis, donec Deus per viſionem cœlitus datam Petro reuelauit, perque manifeſtam Pauli, & Barnabæ vocationem, prodigiiſque & ſignis, demum quoque communi Apoſtolorum Concilio ratum fecit, etiam gentibus datam & annunciandam eſſe eandem cum Iudæis gratiam, & DEVM quoque eſſe gentium Deum, non Iudæorum tantum.

Exod. 3.
Ioan. 21
Act. 10.
Act. 13.
Act. 15.
Rom. 10.

Diffi-

Difficulter enim credebant Iudæi, extra Iudaiſmum & Iſraël, adhuc eſſe gentes relictas, quas populũ Dei quis dicere poſſet: præſertim, quoties memoria repetebant, tot Prophetarum oracula, nihil aliud quàm populum Iſraëliticum & Abrahæ ſemen ſonantia. Vt etiam Paulus nulla alia cauſa inductus, Epiſtolam ad Romanos ſcripſiſſe videatur, in qua efficaciter & potenter demonſtrat, Deum non ſolùm Iudæorum fuiſſe Deum, ſed etiam gentiũ. Nec quicquam etiam hodie Iudæis aliud eſt obſtaculo, quam quod indiũ rũ putant & incredibile, gentes non minus eſſe populum Dei, quàm Iudæos. In ea igitur opinione etiam Ionam fuiſſe, non admodum abhorret à vero. Potiſſimum tamẽ fugiſſe videtur ne ſua prædicatione, ſuæ genti infamiã inferret, imò perditionem. Sciebat ſe ideò mitti ad Niniuitas, vt in comparatione Iſraëlis iuſtificarētur Aſſyrii, & in condemnatione Aſſyriorum, condemnatus Iſraël perpetuę traderetur captiuitati. Non tam igitur ſalutem gentium oderat, quàm condemnationem Iudęorum timebat. Sciebat, ſancto Spiritu ſuggerente, quòd gentium pœnitẽtia eſſet ruina Iudæorum, idcirco amator patrię ſuę, non tam ſaluti inuidet Niniuæ, quàm non vult perire populum ſuũ. Sciebat, inquam, ex eodem ſpiritu, quòd quando gẽtes credidiſſent, tũc periret domus Iſraël, & quòd aliquando futurum erat, hoc ne ſuo tempore fieret, verebatur. Surgẽs igitur fugit à facie Domini, id eſt, Iudæa, vbi Dei verbum & cultus ſpiritus Prophetiæ erat, malẽs in tergentes habitare, aut ad quemcunque locum deferri, quàm ſuo po-

Exo. 32. pulo cauſa perditionis eſſe. Præpoſtero fortaſſis zelo imitari volẽs Moyſen, qui potius volebat de libro Dei deleri, quàm pati, vt populus ſuus periret: Verùm ſatis oſtendimus cauſas fugæ in Iona. Reſtat videre, num in hoc peccauerit, quando quidem ſunt, qui eum ex omni parte excuſent à peccato. Cuius rei tamen nihil opus erat, quandoquidem ſcriptura palàm inobedientiam eius coarguat. Pium quidem eſt, Sanctorum verba &

opera

opera in meliorem partem accipere, non tamen oportet illos excuſare, vbi ſcriptura manifeſtè eos erraſſe & peccaſſe coarguit, ne in ipſorum gratiam impii videamur eſſe in ſcripturam: imò, ſi ſanctos quoſlibet ab omni peccato excuſemus, magnam iniuriam gratiæ Dei facimus. Quid enim illi de gratia Dei ſentire poſſunt, qui nunquam ea eguerunt? Longè aliter loquitur Paulus: Cõcluſit, inquit, Deus omnia ſub peccato, vt omnium miſereatur. Et iterum, Omnes peccauerunt, & egent gloria Dei. Sicut enim veritas Dei ex mendacio noſtro clarior efficitur, ſic & miſericordia & gratia Dei ex peccatis noſtris. Vnde & Dauid dicit, Deum mirabilem in ſanctis ſuis, non tam quòd mirabilia per ipſos operatur, quàm quòd multa ipſorum peccata diſſimulat, nec ideo eos abiicit, ſi aliquando in peccatum inciderint. Cuius exempla habemus in Dauide, Ezechia, Ioſia, Petro, Paulo, &c. Non igitur oportet Sanctos ab omni peccato excuſare. Imò ſumma conſolatio noſtra eſt, quòd etiam Sancti fuerunt peccatores, nec nos ſolos miſeros & calamitoſos eſſe, ſed illos quoque fuiſſe homines, ad peccandum natura pronos & propenſos, habuiſſe carnem & ſanguinem non ſecus atque nos. Hinc enim primò videmus, quàm certa & infallibilis ſit Dei prædeſtinatio, vt quam nulla etiam peccata impedire poſſint. Poteſt diabolus etiam ſanctiſſimos in peccata coniicere, id quod ſæpius fecit & facit, ſed non poteſt propoſitum Dei immutare aut impedire. Huc pertinet quod CHRISTVS de ouibus ſuis ait: Non peribunt in æternum, & nemo poteſt eas rapere de manu mea, &c. Quo quid magis conſolatorium vel audiri poſſet? Deinde etiam eam conſolationem nobis præſtat peccata Sanctorum, quòd hinc videmus, in regno gratiæ nullum tam grande ac deteſtabile peccatum eſſe, cuius non impetrari poſſit venia, quemadmodum & extra gratiam, nullum opus tam bonum eſt, nulla vita tam ſancta & inculpatè acta, quæ non damnetur: In regno autem gratiæ tantiſper

Rom. 11
Rom. 3.
Pſal. 67.
Ioã. 10.

tantiſper permanemus, donec non aduerſus ipſam gratiam peccamus, quod fit vel in peccatis deſperando, vel gratiam ipſam propriis operibus & meritis poſthabendo. Cùm itaque Sanctorum peccata tantam nobis conſolationem afferant, non opus eſt in omnibus excuſare Ionam: imò, ſi literam attendimus, non poteſt excuſari. Primò quidem, quia Dei præcepto non obediuit, cùm certum ſit, quòd Deus non ioco, ſed ſerio illi præceperit, vt ad Niniuen pergeret. Imò non

Gen. 2. minori edicto, q̃ quo Adamo eſum ligni ſcientiæ boni & mali interdixerat. Officii igitur eius erat, nedum hoc diuinæ voluntatis mandatum promptè ſuſcipere, ſed ſumma etiam alacritate obire, & citius centies mortem oppetere, q̃ diuinis iuſſis non obtemperare.

1. Re. 15 Non obedire enim apud Samuelem, eſt ſcelus idololatriæ, &c. Id quod videmus è pœna ipſius Adam, itemque Saulis. Atqui Ionas non tantùm iuſſionem Dei neglexit, ſed inſuper etiam fugit, ne implere cogeretur ipſam iuſſionem, quod ad contemptum Dei ſpectat. Præterea, minus bene de Deo ſenſit, quàm oportuit. Nam ſi pleno corde agnouiſſet eum ſanctũ, iuſtum, ſapientem, omnipotentem, bonum, &c. nũquam præcipienti contradixiſſet, neque tentaſſet fu-

Pſ. 138. gere à facie eius, ſed ſecũ dixiſſet illud Dauidis: Quò ibo à Spiritu tuo? &c. Nec Ionam excuſare poteſt, aut timor periculi, aut arduitas negotii, aut charitas patriæ, aut propria ignominia. Primò enim ſcire debuit, Deum plus timendum eſſe, quàm Regem Niniuitarum, quemadmodum & Chriſtus Apoſto-

Matt. 7. lis dixit: Nolite timere eos qui occidunt corpus, &c.

Luc. 17. Qui enim non odit etiam animam ſuam, non poteſt eſſe Christi diſcipulus. Deinde non tantùm cogitare debuit, quid illi præciperetur, ſed quis præciperet. Nec debebat in ſua prædicatione ſuam, ſed Dei gloriam quærere, imò ſuam propriam gloriam contemnere, vt Dei gloria propagaretur latius. Poſtremò, ita debebat diligere patriam & populum

ſuum,

ſuum, vt tamen aliis non inuideret gratiam DEI: Imò, ſi Niniuitis inuidit gratiam Dei, manifeſte peccauit contra charitatem proximi. Quem enim Deus à gratia nō excludit, hunc nullus homo excludere debet. Hoc argumento vſus fuit Petrus, cùm argueretur, quòd ad gentes introiſſet. Ex omnibus igitur his ſatis apparet, Ionam peccaſſe hoc loco, & quidem grauiter, id quod vel maximè apparebit ex pœna ſequenti. Cęterùm ad hanc inobedientiam, tria quędam induxerūt Ionam. Primum, infirmitas fidei: Alterū, imperfectio charitatis erga proximum: Maximè autem, iudicium propriæ rationis, quo Niniuitas Iſraëlitis comparare volebat. Hinc enim ſtatim ratio dictabat, Niniuitas idololatras, &c. omni gratia indignos eſſe. Siquidem in perſonarum reſpectu planè abſorptus erat, adeò, vt Niniuitas ad populum Iſraëliticum collatos, apud Deum mortis reos iudicaret. Quin etiam omni ſpe depoſita, nunquam fore opinabatur, vt illi gratiam à Deo impetrarent, ſed omnino illorum interitum magno deſiderio expectabat. Inſuper etiam impoſſibile iudicabat, quod ſibi pręcipiebatur. Sic enim illi ratio ſua dicebat, quid tu ſolus efficere poteris contra tantum regem? Imò cur fruſtrà te periculo exponeres? ſatius igitur eſt fugere. Quòd ſi omnino Niniuitis prædicandū eſt, alius hoc faciat, qui vult, ego hanc ſpem tanto periculo non emam, &c. Vides quid Ionam deceperit & inobedientem reddiderit, nempe, quòd rationem, non fidem & charitatem in conſilium adhibuit. Si fidem adhibuiſſet, longè alias cogitationes habuiſſet. Sic enim fides illi ſuggeſſiſſet. Deus eſt, qui præcipit, cur nō obedires? Fortis eſt rex Niniuæ, ſed maior & fortior eſt Deus. Si periculum ſubeundum eſt, Deus eripere & conſeruare poteſt? Si vult etiam gentibus gratiam ſuam impartiri, tu quis es, qui prohibeas Deum? An non licet illi facere quod vult? An oculus tuus ideo nequam eſt? quia ille tam bonus eſt, &c. Has cogitationes ſuggerit fides, & hæ faciunt hominem obedire, etiam in arduiſſimis

Act. 11.

Matt. 20

Gen. 12. ſimis rebus,quemadmodũ in Abrahamo videmus, qui nunquam in ſenectute patriam relinquẽs, peregrè pro fectus fuiſſet,nec vnquã filium immolare cõſentiſſet,ſi rationem ſuam conſuluiſſet,ſed quia fide in Deo pendebat,ſine mora obediuit. Vnde & audire meruit: Nũc
Gen. 22. ſcio,quia times Deum. Hinc igitur diſcamus,vt mandatis à Deo acceptis,quãtotius obſequentes ſimus, nihil cũctantes aut cauſantes, nec quicquam ſoliciti quã illa cæteris rebus ſint apta & cõuenientia; ſed libenter dicto obedientes, propter Deũ pro ſtultis habeamur,
Pſ. 134. omnem honorem illi deferentes,quòd ſolus ipſe ſit ſapiens,iuſtus & verax in omnibus viis ſuis,& operibus. Deinde ex hoc loco diſcamus,apud Deum nullum eſſe perſonarum reſpectum,et ne quem temerè iudicemus, aut de quoquam quamlibet profligatæ vitæ deſperemus. Facilè enim fallit iudiciũ rationis noſtræ,id quod in Iona videmus. Vbi enim ille putabat prorſus nullũ eſſe locum gratiæ,ſed meri furoris exaſperatam iracundiam, ibi omnium maximè abundabat gratia. Et vbi putat verbum Dei contemptiſſimè habendum,imò omnino non ſuſcipiendum, ibi potiſſimùm humiliter & deuote illud amplectuntur homines. Ita,vt experimento proprio planè didicerit,neminem eſſe iudicandum,nec de quoquam ſpem abiiciendam,multò minus diuinæ gratiæ locum, aut terminum; ſed nec tempus nec modum præfigendum, itemque neque perſonam aut merita præponenda, id quod carnales Iudæorum cogitationes faciebant. Caueamus igitur, ne unquam in exemplum tantæ inobedientiæ incidamus, idque ne fiat, non rationem in conſilium adhibeamus, ſed fidem & charitatem, &c.

DOMINICA SECVNDA.

EVangelium hoc pulchrè congruit verbis Chriſti,quibus hoc tempore conciones meas auſpicari ſoleo. Vtrinq; enim nobis exempla gentiliũ pro-

proponuntur, vtrinq; damnatur negligentia & duritia noſtra, vtraque etiam pœnam & damnationem noſtrã grauiorem facient, niſi ad Deum quantotius conuerſi, ſimilia faciamus. Niniuitę ſiquidem omnes & vnanimiter & magno feruore, pœnitentiam egerunt ad prædicationem Ionæ, nec quicquam omiſerunt, quòd ad placãdam iram Dei faceret. Eodem feruore & mulier hæc Chananæa, requiem non habuit in corde ſuo, nec requiem dedit corpori ſuo, donec inueniret Chriſtum, eumque indefeſſo clamore & oratione emolliret, vt Diabolum è domo, imò è filia ſua pelleret. Hęc duo exempla diligenter nobis hoc tempore conſideranda ſunt. Si enim gentiles hoc fecerunt, quid nobis faciendum eſt? Mirari interim quis poſſet, vbi nam & à quibus hi gentiles audierunt & didicerunt, quibus mediis & erga Deum & contra diabolum agendum ſit: tam exactè enim vera illa media arriouerunt, & Deum recõciliandi, & diabolum expellendi, ac ſi tota vita verbum Dei audiſſent. Mirũ, inquã, hoc videri poſſet, ni ſciremus, Deum omnia hominum corda in manu habere, ac quocunque vult deflectere poſſe. Vbi autẽ Deus docet, facilè omnia perdiſcuntur: Alioqui quis Niniuitis oſtendere potuiſſet, quòd pœnitentia, oratione & ceſſatione, à peccatis Dei, irã auertere poſſent? Quis Chananææ oſtendiſſet, quòd ſpiritu contrito, humiliato, humili confeſſione, ardenti oratione, & firma fide, Diabolus è domo & conſcientia pelli poſſet? Verè non caro & ſanguis hęc ipſis reuelarunt ſed pater, qui eſt in cælis. Mirari interim meritò debemus, imò nos ipſos reprehendere, quod verbũ Dei quotidie audimus, nihil tamen tale facimus, quale gentiles illi fecerunt, cũ tamen equè nobis immineat pœna, vt Niniuitis: imò æquè etiam diabolum in domo & conſcientia habeamus, vt illa mulier, & tamen ſedemus: nemo ſurgit, nemo ſolicitus eſt, nemo prohibet, nemo cogitat de mediis, quibus illi vſi ſunt ad placandum Deum, & pellẽdum diabolum, quin indies peccata noſtra augemus,

Pro. 21.

Mat. 16.

Eſa. 48. quaſi fœdus pepigerimus cũ morte & inferno, ne nobis quicquam nocere poſſent. Quid autem ad hæc dicit Paulus in Epiſtola hodierna? Non eſt hæc vita quę decet Chriſtianos, non ſic didiciſtis Chriſtum, &c. Ideo, Rogamus vos & obſecramus, vt quemadmodum accepiſtis à nobis, quomodo vos oporteat ambulare, & placere Deo, ſic & ambuletis, vt abundentis magis, &c. Hæc fuit hodierna Epiſtola, quæ continet inſignem admonitionẽ ad omnes Chriſtianos, vt meminerint, quæ ſit Chriſtiana doctrina & vocatio ſua. Scitis, inquit, quæ præcepta dederim vobis. Scitis itẽ, quæ ſit vocatio veſtra, nempe, quòd non vocauit nos Deus in immunditiam, &c. In his duobus verbis totum pondus Epiſtolæ conſiſtit, atque ea ipſa ſunt, in quibus nos maximè deficimus. Nam Euangelium quidem audimus, non tamen attendimus, quid à nobis exigat. Et Chriſtianos nos nominamus, nec tamen attendimus, quid ad Chriſtianum pertineat. Hinc eſt, quòd perpetuo manemus in peccatis & impœnitentia, perpetuoque patimur diabolum domi noſtræ habitare, interim ſinimus Chriſtum pertranſire, cùm tamen ob id potiſſimum venerit, vt eriperet nos de regno & poteſtate diaboli, & transferret nos in regnum ſuum. Det Deus vt hæc agnoſcamus, &c.

(Marginal notes: *1. Th.* 4. — *Col.* 1.)

PROSECVTIO IONAE.

AVdiuimus ſuprà, quale verbum Domini ad Ionã factum fuerit, & quàm proteruum & inobediẽtem ſeſe oſtenderit. Quanquam enim coram mũdo aliqua tenus excuſari poſſit, coram Deo tamẽ, vt ſupra oſtendi, nullam in hoc habuit, aut habere potuit excuſationẽ. Vbi enim Deus aliquid præcipit, ibi obediendũ eſt, quantumcunq; etiã arduũ & periculoſum hoc ſit. Ipſius enim ſumus emptitii ſerui, quos magno precio emit è ſeruitute diaboli. Vnde & nobis dicitur: Si ego Dominus veſter, vbi eſt timor meus? Si pater, vbi eſt amor

(Marginal note: *1. Co.* 6.)

amor meus? Verùm audiamus deinceps, quàm graues inobedientiæ pœnas dederit Ionas. Sequitur. *Mal. 1.*

Et deſcendit Ioppen, & inuenit nauem euntem in Tharſis. Et dedit naulum eius, & deſcendit in eam, vt iret cum eis in Tharſis à facie Domini.

Ioppen, portum eſſe Iudææ, etiam in Paralipomenon libris legimus. Ad quem Hyram quoque rex, & lingua ratibus trāsferebat, quæ Hieruſalem vſque terreno itinere perueherentur. Cęterùm nō humano conſilio, ſed Dei prouidentia factum eſt, vt Ionas in mari diſceret, quod in terra non didicerat, nempe Deum eſſe vbique, & neminem poſſe à facie eius fugere. Itemque, qui putabat Deum tantummodo in Iudæa notum, experiretur etiam mari & fluctibus dominari. Prætere a, vt per ſalutem & conuerſionem nautarum inſtrueretur, etiam tātam multitudinem Niniuæ ſimili confeſſione poſſe ſaluari. Horum autem nihil tamen Ionas cogitabat, imò gaudebat ſibi fugam ſuam tam proſperè cedere, quòd pro voto ſuo inueniſſet nauem, iāque putabat ſe omnino euaſiſſe. Sed paulò pòſt aliud experietur. Periculum enim incertum, quod in terra fugerat, duplo inuenit in mari, & quæ ſibi ab initio ad vota reſponderant (vt inuentio nauis, & beneuolentia nautarum, vicinitaſque maris) ea paulò pòſt inuenit ſibi maximè contraria, quibus malis ita exercitus fuit, vt pòſt facere cogeretur, quod prius ſponte facere nolebat. Hæc eadem & nobiſcum operatur Deus. Primò enim, ſi ſponte nos Deo ſubiicere nolumus, tandē cogemur ei ſubiici vel inuiti, idq; magno noſtro malo. Senſit hoc Pharao, Nabuchodonoſor, Antiochus, &c. idipſum ſentient omnes impii. Quanto igitur ſatius eſſet, vt ſpōte nos Deo ſubiiceremus. Neceſſe eſt enim, vt voluntas Dei aut à nobis, aut de nobis fiat. Deinde qui leuiculum quiddam ob gloriam omnipotentis Dei facere aut pati detrectauerit, huic poſteà multò grauius ferendum eſt ſupplicium, vt re ipſa diſcat, quanto minore labore Deo ſeruiatur, quàm diabolo.

2. Par. 2.

C 2 Stat

Iob. 6. Stat enim ſententia: Qui timet pruinã, irruet ſuper eũ nix. Timent impii laborem & crucem in ſeruitio Dei, & interim vtrunque plus & maius inueniunt in mundo: vt interim taceam, quòd ab eo labore finaliter trãſient ad æternos labores & dolores. Quantò igitur ſatius eſſet, pati quæ Deus imponit, hæc enim & leuiã

Heb. 12. & breuia ſunt, & fructum æternum afferunt. Præterea etiam nunc Deus inobedientibus omnia, in quibus cõfidunt, finaliter ad perditionem eorũ conuertit. Quid igitur prodeſt ad tempus gaudere rebus creatis, cùm finaliter omnes creaturæ contra impios inſurrecturæ ſint? Nemo igitur de præſenti felicitate & proſperitate confidat, aut præſumat, aut ſecuritatem ſibi polliceatur. Imò, qui ſe à Deo auertit, nihil aliud expectet, quàm tempeſtates tumultus, pericula, & certam perditionem. Vnde ſequitur: *Dominus autem miſit uentum magnum in mare.* Hic ſe prodit Deus, hic cogitur Ionas ferre circa ſe voluntatem Dei, quàm prius facere nolebat. Sic qui Deum fugiunt, nihil aliud faciunt, quàm quòd in manus & iudicium eius currunt. Quòd autem Deus tam citò iudicio ſuo & pœna Ionam inſequitur, nec diutius diſſimulando ſinit malum propoſitum Ionæ feliciter ſuccedere, certiſſimum eſt propenſæ ipſius in Ionam miſericordiæ ſignũ. Nam Ionas alioqui periiſſet, niſi Deus eum flagello ſuo reuocaſſet, vt & ipſe

Pſ. 117. non immeritò quidem cum Dauide dicere poſſit: Caſtigans caſtigauit me Dominus, & morti nõ tradidit me. Punitus fuit Ionas, ſed tamen non abiectus, quia ſpem & animum à Deo non totaliter abiecerat. Quòd autẽ ob vnius Ionæ peccatum, etiã alii cum ipſo in naui exiſtẽtes puniuntur, nemo putet iniuſte à Deo factum fuiſſe. Et ſi enim Deus potiſſimùm Ionæ inobedientiã punire volebat hac tempeſtate, nec alii tamen à peccato immunes erant. Quis enim apud Deum eſt innocẽs ſceleriſque purus? Et ipſi igitur coram Deo erãt & morte, & omni pœnarũ genere digni. Cùm itaque omnes ex æquo peccatores eſſent, pari etiam pœna & ſupplicio

-cio afficiuntur, tametſi Ionæ culpa tam improuiſæ pœ
næ vnica cauſa fuerit. Valde enim probabile eſt, eam
tempeſtatem ſubitò atque improuiſè exortam fuiſſe,
cùm textus dicat: Deum vehementem ventum proie-
ciſſe in mare, quod non aliter ſonat, q̃ quòd Deus ita
ventum emiſerit, ac ſi eundem violenter & impetuoſè
magnis procellis & fluctibus ſuper mare protruderet:
ita, vt homines haud difficulter aduerterint, præter
naturalem & vſitatum ventorum motum, hanc tem-
peſtatem fuiſſe exortam, planè colligentes, ob alicu-
ius delictum vſque adeo incruduiſſe procelloſi maris
tempeſtatem. Signanter autem hic aduertendum, ꝙ
ſcriptura non dicit, Et exortus eſt ventus & tempe-
ſtas: ſed, Dominus miſit ventum, vt ſciamus non caſu,
ſed diuina prouidentia, & hoc, & alia quæque & fieri,
& facta eſſe. Vnde & ſcriptura etiam ipſius naturæ ope
ra Deo tribuit. Quicquid enim fit, vel volēte, vel per-
mittente Deo fit. Huc pertinet illud Chriſti: Nónne *Luc. 12.*
duo paſſeres aſſe veneunt? Et, Vnus ex illis non cadet
ſuper terram ſine Patre veſtro. Veſtri autem capilli
capitis omnes numerati ſunt, &c. Omnia igitur Deo
aſcribenda ſunt: ſi bona ſunt, ipſius bonæ voluntati: ſi
mala, ipſius iuſtæ permiſſioni. Sic Iob, Dominus, in-
quit, dedit: Dominus abſtulit: Et, Si bona ſuſcepi- *Iob 1.*
mus de manu Domini, mala quare non ſuſtineamus? *& 2.*
Et timuerunt nautæ, & clamauerunt ad Deum ſuum. Ti-
ment nautæ clamantque, neſcientes cauſam tanti ma-
li, & quouſq; proceſſurum eſſet. Non ignorabant Dei
prouidentiam, & quantumuis in errore religionis eſ-
ſent, ſciebant tamen aliquid venerandum eſſe. Deniq;
& onera proiiciunt in mare, vt leuior nauis magnitu-
dinum fluctuum tranſiliret; non enim intelligebant,
totum pondus eſſe culpam fugitiui Prophetæ, quem-
admodum & maior pars Chriſtianorum, nec in bo-
nis, nec in malis intelligit Deum. Cæterùm circa cla-
morem nautarum duo quædã obſeruanda ſunt. Quòd
enim ad Deum clamant, indicium eſt, etiam apud gē-

ROMA

tes Deum cognitum fuiſſe. Quòd autem vnuſquiſque eorum Deum ſuum inuocat, ſignum eſt, ꝙ aut Gentiliũ errore, aut quibuſcunq; aliis ſuperſtitionibus capti, ignorauerunt, cuinā propriè tribuenda eſſet diuinitas. Multũ enim inter ſe differũt, noſſe ꝙ Deus ſit, & noſſe, quis ſit Deus. Primum enim etiam naturæ cognitũ eſt: At ſecundum, ſolo Spiritu Sancto magiſtro diſcitur.

Natura, inquam, vel naturalis ratio hoc cognoſcere poteſt, ꝙ Deus ſit, & ꝙ poſſit tam in aduerſa fortuna liberare miſeros, q̃ etiam bona conferre egentibus. Hæc, inquam, lux diuinitatiſq; cognitio, omnium pectoribus inſita eſt, nec vllo modo eradi aut extingui poteſt. Hinc nulla vnquam gẽs tam inculta, efferа & barbara fuit, quæ non aliquam diuinitatis cognitionem habuerit, eamq; diuinitatem naturali quodam ductu, vt rem prę cæteris omnibus maximam & potentiſſimam certò iudicauerit: Id quod in nautis illis apparet, qui tametſi Gentiles eſſent, tamen omnibus aliis deſperatis, auxilium à diuinitate petunt, certi eā poſſe auxiliari, & quæcunque etiam certiſſima pericula propulſare: Alioqui, quid opus fuiſſet ad Deum clamare? Atque vtinam quæ Gentiles illi indubiè credebant, nempe Deum poſſe & mala quæcunq; auertere, & bona conferre, etiam nobis perſuaſa eſſent, qui præter lumen rationis naturalis, etiam verbum Dei habemus, vnde ſatis diſcere poſſumus, quid de Deo ſentiendum ſit.

Cæterùm quātumuis ratio certò cognoſcat eſſe Deũ, quis tamen ille ſit, qui verus Deus dicendus ſit, planè ignorat. Hinc eſt quòd aliqui hoc, alii aliud Deum vocauerunt. Alii ſic, alii aliter de Deo cogitarunt & cogitant, & quod cuique videtur, hoc Deum eſſe putat. Ex hoc fonte tam multiplex idololatria, tamque variæ ſuperſtitiones emanarunt, vt aliqui diabolum numen æſtimarint. Alii Solem, Lunam, &c. quo factũ eſt & fit, vt tot fermè ſint & fuerint idololatriæ & ſuperſtitiones, quot ſunt opiniones hominum, dum quilibet pro Deo ſtatuit, quod ipſi Deus videtur, aut quilibet

libet

libet quod ſibi placet, putat etiam Deo placere. Sic gentes olim varios Deos, & varios etiam cultus inſtituebant, & ad hos in neceſſitate cõfugiebant, ab hisq; omnia bona ſperabant, putantes ſe verum Deum colere. Sic Iudæorum vel Iſraëlitarum reges multos cultus ſuſcipiebant, nunc cultum vitulorum, nunc cultum Baal, nunc ritum immolandi in excelſis, nunc ritum proprios filios ducendi per ignem. Cæterùm nihil horum erat Deus aut Deo placitus cultus, ſed meræ hominum & falſæ opiniones, atque adeò cùm putarent ſe Deum colere, non Deum, ſed propriam opinionem colebant, imò Deum ipſum irridebant. Itidem contigit his nautis, clamabant ad Deum, ſed non in verâ & certa fide, quin potius vnuſquiſq; clamabat ad Deum ſuum, hoc eſt, ſecundum ritum, qui ſibi videbatur Deo placitus, cùm tamen nihil eſſent niſi vanæ & falſę opiniones. Et quia deerat illis fides & certa de Deo notitia, fruſtrà clamabant. Non enim erat, qui exaudiret, quemadmodum tempore Heliæ, Prophetæ Baal fruſtrà inclamabant Deum ſuum. Vbi autem certa notitia Dei non eſt, ibi fieri non poteſt, quin in tentatione homo vacillet, & nunc huc, & nunc illuc ſe vertat, nuſquam enim certum auxilium conſpicit. Idquod videmus in his nautis, qui ad Deum quidem clamant, ſed nihilominus trepidant, nunc huc, nunc illuc ſe vertũt, deniq; etiam res ſuas in mare proiiciunt, nec ſic tamen quicquam leuamenti ſentiunt, vt poſtremò de ſeipſis deſperantes, ad Ionam veniant, ſi quid fortè certi auxilii ab ipſo audiant. Sic, inquam, contingit omnibus, qui veram fidem non habent in tẽtationibus. Hi enim quodcunque tandem faciant, nunquam tamen ſunt ſecuri aut quieti, quia carent certo fundamento. Qui igitur in tentatione conſiſtere velit, ante omnia videat, vt certam Dei notitiam conſequatur. Certam, inquam, ne propria opinione decipiatur. Deinde, vt credat Deum nedum aliis potẽtem & benignum eſſe, ſed etiam ipſe ſibi hæc de Deo perſuadeat, quòd velit

3.Re.18

& ſibi eſſe propitius & fauens. Hac, inquam, fide opus eſt in tentationibus. Et hæc tandem vera & viuida fides eſt, ſed admodum ingens, opulentum ac mirabile Spiritus ſancti donum: quo, quia nautæ illi caruerũt, meritò in tẽpeſtate trepidarunt. Omnia hæc nobis ſcribuntur, vt quia certò expectamus futuras tentationes, iam nunc vera fide nos præmuniamus, &c.

FERIA QVARTA.

IN hoc Euangelio audiuimus, quomodo Chriſtus inſtruat Apoſtolos ſuos, vt futuros prædicatores & doctores omnium gentium. Atq; adeò in hoc cõuenit Euangelium iſtud cum Iona, qui & ipſe multa inſtructione opus habuit, donec eo perduceretur, vt conſentiret gentibus prædicare. Cæterùm diſſimiles admodũ fuerant vtræq; inſtructiones. Apoſtoli enim ſpõtè ſe dediderant in officium, ad quod electi erant, hoc tantùm adhuc illis deerat, quòd nondum accepto Spiritu, adhuc carnales erãt & ambitioſi, quòd tamen magis proueniebat ex infirmitate humana, quàm ex peruerſa voluntate & dedita opera. Vnde & ſolummodo verbis corripiuntur, & inſtruuntur, idq; admodum blandè & placidè. At cum Iona aliud erat, is enim data opera nolebat obedire, imò fugiebat à facie Domini, ideo ſeueriùs correptus fuit, & quaſi crinibus tractus, imò vi & terroribus adactus, vt iniunctum officium ſuſciperet. Ex vtriſque tamen exemplis videmus, quales homines Deus habere velit, qui nomen & verbum ſuum mundo annuncient, quidque à ſuis Prophetis & Apoſtolis exigat: Nempe, in primis veram, & volũtariam, & promptam obedientiam, ad quæcunque etiam ardua exequenda. Deinde, cor tale, quod nullis affectionibus,

nibus, nec ambitionis, nec auaritiæ, nec amoris, nec odii, nec timoris, nec ſpei, &c. ſe vinci permittat aut regi, ſed omnibus affectionibus vacuum ſit, nihil aliud quærens aut cogitans, q̃ Dei gloriam & hominum ſalutem. Tales, inquam, Deus vult habere Prophetas & Apoſtolos, & ideo tam Ionam, q̃ Apoſtolos corripuit, quia & illi deerat prõpta obedientia, & his erat cor adhuc mundanis affectionibus obnoxium. Idem defectus etiam nunc videntur in concionatoribus. Aut enim manent fugaces & inobedientes Prophetæ, aut efficiuntur ambitioſi & contentioſi Apoſtoli, hoc eſt, aut cum Iona fugiunt laborem & pericula, aut in officio ſuo tantùm gloriam ſuam quærunt: quò fit, vt verbum Dei à pleriſque omnino negligatur, etſi ſciant ſibi hoc iniunctum eſſe. Apud alios autem ita prædicatur, vt neque Deus inde glorificetur, nec proximus inde ædificetur, quare neceſſarium eſſet, vt hæc duo exempla, Ionæ ſcilicet & Apoſtolorum, diligenter attenderemus. Verùm de Apoſtolis nũc dicere omitto: De Iona plus quiddam audiemus.

PROSECVTIO IONAE.

AVdiſtis ſuprà de magna quadam tempeſtate, quæ olim in mari exorta, maxime ſæuiebat contra nauem, in qua Ionas decreuerat fugere à facie Domini. Nautæ quidem timebant, trepidabant, ſoliciti erant, vt fieri ſolet in huiuſmodi periculis. Denique etiam orabant, idque non vno, ſed variis modis. Vnuſquiſq; enim inuocabat Deum ſuum, hoc eſt, vtebatur eo cultu, quem putabat maximè Deo ſuo placere. Poſtremò etiam nauem alleuiabant, vt faciliùs fluctus pertranſiret. Omnia tamen fruſtranea erant, quamdiu Ionas in naui erat. Propter ipſum enim tempeſtas venerat, ipſe quærebatur, ipſe nauem grauabat, & ad ima deprimebat. Nolebat Deus impunitã relinquere inobedientiam eius, & quia nautæ ipſum ad ſe receperant,

rant, etiam cum ipſo periclitantur. Quid igitur interim Ionas faciebat. *Deſcendit,* inquit, *Ionas ad interiora nauis, & dormiebat ſopore graui.* Hoc iam ſtatim indicium eſt malæ conſcientiæ in Iona. Antequam nauem conſcenderet, non ſentiebat conſcientiam, nec videbat iudicium Dei. Cæterùm, q̃ primùm nauem & mare attigit, vbi putabat ſe ſecurum futurum, ſæuire incepit conſcientia eius. Hic iam præſagibat illi animus, ingens malum ſibi imminere. Hic iam audiebat conſcientiam accuſantem, Iona quid feciſti? dignus es morte, Deum offendiſti, ac eius iram incurriſti, &c. Hinc iam in animo eius oriebatur triſtitia, euaneſcebat omne gaudium. Hinc eſt, quòd hominũ ſocietatem fugit, ad interiora nauis deſcendit, denique ipſam etiam lucem intueri formidat, libentius ſe etiam in profundum terræ vel maris obſtructurus, ſi poſſet: ſicq; præ magna triſtitia obdormiebat, queadmodum & Apoſtoli in paſſione Domini præ triſtitia dormiebant. Quis autem dubitet, magnum hic terrorem & anguſtiam ſenſiſſe Ionam? imò quis dubitet eum crebrius ſuſpiraſſe, anxios cogitatus habuiſſe, ſæpius etiam ſibiipſi mortem imprecatum fuiſſe? Quid enim aliud poteſt homo in ea cordis anxietate? Hi ſunt terrores illi, contra quos Dauid precabatur: Domine, inquit, ne in furore tuo arguas me, &c. Hæ ſunt anguſtiæ, quas idem Dauid etiam in ſe expertus eſt, cùm diceret: Timor & tremor venerũt ſuper me, & dixi: Quis dabit mihi pẽnas ſicut columbæ, & volabo, &c. Item, Quoniam ſagittæ tuæ infixæ ſunt mihi, & grauata eſt ſuper me manus tua: Non eſt ſanitas in carne mea à facie iræ, &c. Ad longũ. Hęc igitur eſt prima plaga impiorum, anguſtia.ſ.conſcientiæ. Hic eſt carnifex ille, qui hominem torquet, etiam antequã veniat ad iudiciũ Dei, & adeò torquet, vt dicturi ſint impii montibus. Cadite ſuper nos, &c. donec tandem in æternam mortem obdormiant. Quàm inſani igitur homines ſumus, quod hæc non prouidemus! quòd in

Matt. 26 *Pſal. 6.* *Pſal. 54.* *Pſal. 37.* *Apoc. 6.*

mala

mala conſcientia, permanemus! quod Deum tam proterue contemnimus! Quantũcunque enim nunc non ſentiamus conſcientiam, certiſſimè tamen ea ſenſuri ſumus, niſi hoc tempore gratiæ ſtudeamus nobis ex irato, Deum placatum reddere, id quod per ſolam pœnitentiam fit. Hoc ſibi voluit ſomnus Ionæ. Interim tamen etiam aliud quidam per hunc ſomnum ſignificatũ fuit, nẽpe, peruerſa illa & falſa ſecuritas, quàm habent & prætendunt filii Adam in peccatis ſuis. Sicut enim hic Ionas, & ſi tantę inobedientiæ reum ſe eſſe ſciret, quia tamen non ſtatim vidit vel ſenſit Deum vindicantem aut obnitentem, nihil propter ſuã inobedientiam amplius mali timet, ſed putat vel peccatum ſuum non eſſe tam magnũ, vel Deum eius oblitũ eſſe. Ideo omni timore poſito ſecurus fit, & dormit in vtramuis aurẽ, nihil curans quid fecerit, nec videns aut ſentiens quanta tempeſtas parata ſit, aut quale periculum capiti ſuo immineat, quo crudeliter excitandus eſt. Sic infelices filii Adæ, etiam poſt maxima perpetrata peccata, ſi Dei vindictam non ſtatim videant, ſecuri redduntur, non orant, non pœnitent, non quærunt gratiã, ſed dormiunt, non curantes quòd Deum habent iratum, non præuidentes futura mala, imò ſine vllo timore (vt Sapiens ait) ad mala feſtinant. Interim autem cùm dormiunt, nihilominus tranſit tempus gratiæ, augeſcit tẽpeſtas, appropinquat iudicium Dei, vt homo tandem in morte euigilans, nihil aliud videat q̃ mortẽ & iudiciũ: vbi & certò illi pereundũ erit, niſi Deus ſua miſericordia eum præſeruauerit. Atque hac negligentia & dormitione fit, vt multi pereant, nunquam euigilãtes, donec iudicium aſſit. Hinc Moyſes dicebat de populo ſuo, Vtinam ſaperent & intelligerẽt, & nouiſſima prouiderent. Huc pertinet & illud Pauli: Surge qui dormis, & illuminabit te Chriſtus. Et illud Sapiẽ: Vſquequo piger dormis? Paululum dormitabis, & veniet tibi paupertas, &c. Obſeruandum autem ſignanter, quòd Ionas dormiſſe dicitur ſopore graui. Verè enim altum dormit,

Eccl. 8.

Deut. 32

Eph. 5.

Prou. 6.

dormit, qui in mediis periculis & ira Dei non excitatur ad orandum, confitendum, pœnitendum. Sic Ionas prorſus excæcatus, & induratus, imò ſepultus iacet in fundo cordis pœnitere neſcii: perpetuóq; dormiuiſſet ac periſſet, nec vnquam peccata ſua ad memoriam reuocaſſet, ſi Deus illa quoque diſſimulaſſet. Sic peccati perdita malitia, non permittit, vt illa in hominem

Gen. 3. vis aut virtus ad bonum ſe erigat aut commoueat. Sic Adam cũ vxore ſua altum dormiebant ſomnum, nec vnquam peccatum ſuum agnouiſſent, niſi Deus veniſ-

Luc. 23. ſet ad eos. Sic Petrus etiam taliter dormiebat, cùm etiam poſt tertiam negationem nõdũ peccata ſua agnoſceret. Imò nunquam euigilaſſet, niſi excitatus & galli cantu, & reſpectu Domini. In ſumma, peccator ex ſeipſo nunquam euigilat, niſi ab alio excitetur. Tripliciter autem Ionas fuit à ſomno excitatus. Primò, voce per gubernatorẽ nauis. Secundò, terrore præſentis periculi & tempeſtatis: quæ tamen duo etſi corporaliter eum excitarent, à ſpirituali tamen ſomno eum excitare non poterant, donec Dominus cor eius intus moueret. Vnde patet peccatorem tripliciter à ſomno peccati excitari. Primò, per verbum prædicationis. Secũdò, per flagella. Tertiò, per Spiritum ſanctum in corde: & hoc potiſſimum eſt, ſine quo duo priora nihil va

Pſa. 84. lent. Vnde Dauid: Conuertere, inquit, nos Deus ſalu-

Pſa. 50. taris noſter, &c. Et iterum: Cor mũdũ crea in me, &c. Sed audiamus, quibus verbis excitatus fuerit Ionas à ſopore ſuo. *Quid tu ſopore deprimeris? Surge, inuoca Deum tuum, ſi fortè recogitet Deus de nobis, & non pereamus.* Pulchra certè et opportuna excitatio, omnibus his, qui vel in peccatis dormiunt, vel in malis deſperabũdi ceſſant, vel etiam in bonis deſides ſunt. In hunc enim ſenſum ſcriptura ſæpe & peccatoribus, & deſperabundis, & otioſis inclamat, vt paulò ante è Paulo & Sapiente oſtẽſum eſt. Cæterùm, quòd nautæ illi, qui tam diligenter deos ſuos inuocauerant, nihil auxilii inuenerunt, hoc nobis indicat vnum eſſe Deum, à quo ſalus noſtra dependet.

pendet.

pendet. Hunc qui ignorat aut negligit, etiam ipſe meritò ignoratur & negligitur à Deo. Quòd autem de auxilio deorum ſuorum deſperantes, tandem victi ac fracti & omnino dubii ad Ionam deſcendũt, quem & excitatum iubent, vt ipſe quoque Deum ſuum inuocet. Primò oſtenditur, quàm non conſtet in aduerſis falſa & fucata fides, ſed in morem fumi euaneſcat ac dilabatur, adeò, vt nec Deus, nec fides, nec idolũ, nec ſuperſtitio maneant, quantũcunq; prius certa videbantur, imò nihil remanet, niſi mera deſperatio. Quocirca tantũmodo Deus viuus & vnus, hoc nomine & titulo dignus eſt, vt ſit ſeruator & adiutor in opportunitatibus. Ipſe enim eripiendi è difficultatibus & neceſſitatibus poteſtatem habet. Omni ſtudio igitur laborandum, vt in rebus proſperis certum fidei noſtræ fundamentum nobis conſtruamus, quo in aduerſis conſiſtere poſſimus. Obſeruandum autẽ & hoc, quòd nautæ illi, quid prius Ionam neglexerant tranquillo pelago, nunc autem furentibus procellis humili & deiecto animo ad ipſum, opem, auxilium & conſilium quęrentes, veniũt: Imò, quem prius ſi cognouiſſent eſſe Iudeũ, aut de Deo vero concionantem audiſſent, extremè contempſiſſent, nunc idolis ſuis nullum auxilium ferentibus pro ſummo gaudio ducũt, eum eſſe ſuperſtitem, plus opus ſibi ab ipſo pollicentes, quàm ab omnibus ſuis diis. Sic falſa fides & ſuperſtitio, donec res ſecundę ſunt, magno faſtu turget, nec quicquam de vera fide vel audire dignatur, denique omnes alios præ ſe contemnit. In aduerſis autem, vbi ceperit deficere & trepidare, nihil mericuloſius ipſa eſt: adeò, vt neſciat, quò ſe abdat et occultet. Denique, vndiq; auxilium, opem & conſilium quærit, ab amicis & inimicis, à magnis & paruis. Vera autẽ fides in proſperis, humilis eſt: in aduerſis autem firma & fortis. Sed ad Ionam excitatum è ſomno reuertamur. Quid animi hic habuiſſe putas Ionam, cùm euigilans videt tantam tempeſtatem, tanta pericula, tam deſperatos nautas, denique omnia mortis plena? Si triſtis

1. Co. 14

Pſal: 9. & 45.

Pſal. 67.

ſtis & deſolatus obdormiuit, quid hic faceret, cùm iã ſæuiret iudiciũ Dei? Hic anguſtia eius duplicatur, intus ſæuiebat conſcientia, foris tempeſtas. Nemo igitur ipſo infœlicior, qui præter ſæuitiam tempeſtatis maiorem ſæuitiam conſcientiæ ſentiebat. Alii tantùm tempeſtatem ſentiebant, non cõſcientiam. Hic (inquam) in Iona incrudeſcit perturbatæ conſcientiæ carnificina, cùm manifeſtè videt, quòd Deus ipſum, vindice oculo, inſecutus, quodque peccati eius minimè oblitus ſit. Hic reuerſum & viuificatum fuit eius peccatum, ſtimuluſque mortis factum eſt, ponens ei ob oculos diuini furoris excandeſcentiam: adeò, vt non ſolũ nauis, ſed etiam vniuerſus mundus ipſi anguſtus videretur. Ideo lõgè maiore timore, quàm vllus alius exanimatus fuit. Sentiebat enim haud dubie propria atteſtante cõſcientia, hanc tempeſtatem propter ſe concitatam eſſe, & imminere illi præſens exitium, nec vllam ſupereſſe elabendi viam. Videbat item, ſe vnũ eſſe præ omnibus aliis peccatorem, & omnes alios ſui comparatione iuſtos eſſe, nec vllius peccatum, niſi ſuum ipſius, obſeruabatur oculis eius. Deniq; ſoli illi videtur Deus iraſci, omnibus autem aliis propitius eſſe, atq; adeò ſeipſum reputare cogitur omnium hominum miſerrimum atq; calamitoſiſſimum. Omnia, inquam, hæc terrorẽ eius augebant, imò nihil terruiſſet tempeſtas, ſi non affuiſſet mala conſcientia. Iuſtus enim confidit vt leo,
Pro. 18. etiam in maximis tentationibus & malis. Vt, Paulus
Act. 27. in periculo maris nedum non trepidauit, ſed inſuper
Ex. 14. omnes alios conſortauit. Idem fecit Moyſes: Aderat enim ipſis bona conſcientia. At impius etiam ad caſum folii de arbore expalleſcit, fugitq; nemine etiam perſequente, propter malã ſcilicet conſcientiam. Talis autẽ erat Ionas, qui nihil videbat niſi mortem, iram Dei, & perditionem. Nec quicquam ſolatii etiam ab hominibus habebat: quin potius eis ſpectaculo, admirationi, & deſpectui erat, id quod verba ſonare vidẽtur, vbi dicunt: Quid tu ſopore deprimeris? Surge, inuoca

Deum tuũ,&c. Videntur enim ferme ſimilia eſſe his, q̃ Chriſto obiiciebant Iudęi: Cõfidit in Deo, liberet eũ nunc, ſi vult. Quis autem neſcit maximi doloris eſſe, vbi quis in anguſtia, poſitus inſuper etiam ab aliis irri- detur? Senſit hoc Iob, ſenſit et Dauid. Vnde & clamat, Domine quid multiplicati ſunt qui tribulant me? Mul ti dicunt animæ meæ, Non eſt ſalus ipſi in Deo eius, Hoc itaq; omnibus etiam impiis continget in iudicio. Intus enim nullam requiem habebunt, & foris nihil boni videbunt, aut ſperare audebunt. Denique nihil ſo latii habebũt ab hominibus, imò omnes creaturas ſen tient ſibi contrarias. Quid autem huiuſmodi homine miſerabilius? Conſyderemus igitur fratres, quàm miſe rum ſit in mala conſcientia iacere & inueniri, maximè tempore mortis aut iudicii diuini. In tempore igitur curramus ad remediũ pœnitentiæ, imò ad thronũ gra- tiæ, vt miſericordiã conſequamur. Sed iam videamus, quid Ionas experrectus fecerit. Videbat periculum, i- mò iram Dei, certoque ſciebat ſe tangi, & tamen ne- que peccatum ſuum confitebatur, nec veniam a Deo precabatur, quæ ſi vel vnico verbo feciſſet, & ſibi & a- liis optimè conſuluiſſet. Verùm pertinaciter tacet, & linguã à confeſſione cohibet, malẽs in ea anguſtia per- manere ac mori, quàm ruborem confeſſionis in ſe ſuſci pere. Inſuper etiam miſeros illos in mœrore & anxie- tate eſſe permittit. Deniq; tãtiſper tacet, donec Deus per vim illi confeſſionem extorquet per ſortem conui cto. Et hæc eſt vna ex egregiis illis virtutibus peccatũ comitantibus, quòd homines reddit elingues & mu- tos, qui conantur peccata ſua abſcondere, ne rubore ſuf fundantur: Sicut Adam & Eua etiam ipſi Deo conaban tur peccatum ſuum abſcondere & excuſare. Arduum enim eſt & factu grauiſſimum, vt aliquis ſuum ipſius ſcelus detegat, ſeque ipſum confuſioni obiiciat. Homo enim eſt animal ſuperbum, cupit enim honeſtus vide- ri, etiamſi peſſimus ſit, ideo difficulter ſe humiliat & confitetur. Atqui omnino humilatione & confeſſione opus

Mat.27. *Pſal.3.* *Heb.4.* *Gen.3.*

opus eſt, alioqui nunquam requiem habituri ſumus. Quemadmodum enim vlcus niſi aperiatur ad educendam ſaniem, ſemper ſæuit, ſic peccatum. Et ſicut vulnera non ſanantur, niſi medico detegantur, ſic peccata ci-
Pſal. 31. tra confeſſionem, non remittuntur. Hinc Dauid, Quoniam, inquit, tacui inueterauerũt oſſa mea, &c. Dixi igitur, Confitebor aduerſum me, &c. Hinc Iſraëli pec-
Ex. 33. cato vituli inquinato dicitur: Nunc ergo depone ornatum tuum hoc eſt, gloriationem tuam, oſtende te nudum, detege peccatum tuum, vt ſciam, quid faciã tibi. Hoc enim verè eſt ſacco veſtiri, & ſedere in cinere & cilicio, ſeipſum coram Deo primum, deinde etiam volente ipſo coram hominibus ſe humiliare. Cæterùm Ionas omnino tacet, ideo iudicio Dei adhuc grauius vrgetur, donec tandem confiteri cogatur. Quæris, qua ratione hoc factum ſit? Audi quid ſequatur: *Et dixit vir ad collegam ſuum, Venite, mittamus ſortes, ut ſciamus quare hoc malum ſit nobis*. Nunquam viderant ſimilem tempeſtatem, nec dubitabant aliquem inter ipſos eſſe, qui peccatis ſuis hoc commeruiſſet. Cùm autem non facilè eum hominem agnoſcere poſſent, nec quiſquam eſſet, qui peccatum ſuum confiteretur, certatim ad iudicium Dei currunt, quęrentes ex Deo miſſis ſortibus veritatem huius rei. Quàm vero putas hic cor Ionæ palpitaſſe aut trepidaſſe, aut ſortem tergiuerſando ſubterfugiſſe? Hic enim malæ conſcientiæ mos eſt. Tot mortes perferendę ſunt calamitoſo Ionæ, nec elabendi rima patet, quo minus poſt non abſorbeatur in totum. Tantum calamitatis & doloris ſecum affert peccatum, quòd confiteri nolumus, & tamen quantumcunque celetur, finaliter tamen ad lucem veniet. Vnde ſequitur: *Et cecidit ſors ſuper Ionam*. Vide, quàm certo peccatorem deprehendat iudicium Dei. Potes peccatũ tuũ
Hebr. 4. hypocriſi celare coram hominibus, at nõ coram Deo, cuius oculis omnia nuda ſunt. Poteſt humanum iudicium in diiudicandis aliorum peccatis falli, at non diuinum. Quamuis aũt nautæ illi, forſan Gentiliũ ritu,

vana ſuperſtitione ſortibus vſi ſint. Deus tamen qui ſortium tẽperator eſt, ex eis indicauit rei, quam quærebant, veritatem: non vt illorum faueret ſuperſtitioni, ſed vt impleretur, quod de Iona fieri volebat, ſicut & regis Chaldæorum ſortes temperauit Deus in gloriam ſuam. Vnde Sapiens, Sortes in ſinu mittuntur, ſed à Deo temperantur. Sic & hîc Dei prouidentia factum eſt vt Ionas ſortibus deprehenderet, deprehenſus peccatum ſuũ confiteretur, confeſſus veniam mereretur accipere. Hoc quærebat Deus, nolebat ipſum perire, diligebat enim eum. Hinc vides cur Deus etiam à nobis confeſſionem exigat, nempe, non vt Tyrannus ad puniendum, ſed vt pius pater ad miſerendum. Hic autem vide, quid Ionas ſua illa taciturnitate conſecutus ſit, nempe, aliud adhuc malum ſuper priora duo, conſcientię ſcilicet & externi periculi. Iam enim omnes in eum intuentur, iam reputatur peior omnibus, iam coram mundum etiam confuſus eſt, ac velit nolit, confiteri cogitur peccatum. Atque hic vides, quanta ſit inſania noſtra. Primùm, quòd Deo peccata noſtra dubitamus confiteri, cũ ſciamus eum omnia noſſe. Deinde, quòd tam facile poſſemus veniam adipiſci, humili ſcilicet confeſſione, & tamen potius tanta mala ſuſtinere prę optamus, quàm confiteri: cùm tamen noſtra taciturnitate nihil aliud conſequamur, quam vt poſteà coram toto mundo confundamur. Quanto igitur ſatius eſſet, coram vno homine confundi. Hæc igitur cogitemus hoc tempore: Fili mi da gloriam Deo, confitere peccatum tuum, non te impediat pudor humanus, Hęc enim confuſio adducit gloriam, reconciliat Deũ, liberat à cruciatu conſcientiæ, & iudicio Dei, &c.

Eſa. 34. *Pro. 16.* *Ioſue 7.* *Eccle. 4.*

FERIA SEXTA.

IN hoc Euangelio iterũ vidimus & audimus, quod ſupra in Iona noſtro vidimus & audiuimus, nempe peruerſitatem illam filiorum Adam qua fit, vt tam

difficulter & grauatim, ad pœnitentiam & confeſſionē peccatorū veniant. Sciebat & ſentiebat Ionas peccatū ſuum, & tamen non ad Deum, ſed à Deo fugiebat: & quanquam Deus ex gratia ipſum inſecutus, conſcientiam eius vrgeret, iram ſuam ei oſtenderet, periculum & intentationem intentaret, atque adeò in tantam ipſum anguſtiam induceret, vt omni momento ſe timeret periturum, adhuc tamen ei cōfeſſionem peccati elicere & extorquere non potuit. Hoc itaque eſt, quod
Ionæ 1. de ipſo ſcriptum eſt: Dormiebat Ionas ſopore graui, An non grauis ſopor, ſic in profundo peccatorum iacere? &c. Itidem videmus in hoc Euangelio, Iudęos elegerat Deus præ cunctis gentibus, poſuerat eos in terram optimam, quemadmodum quis vineam plantat in bona terra: ſegregauerat ipſos ab omnibus aliis populis, & quaſi ſepem inter ipſos & alios populos poſuerat. Erexerat in medio ipſorum torcular, hoc eſt, templum, vbi fructus fidei ipſorum percipere volebat &
Zach. 2. obedientiæ. Denique auxilium & protectionem ſuvm illis promiſerat, ceu murum igneum circa ipſos, nihil tamen per hoc emolliebātur dura ipſorum corda. Mittebat ad ipſos, nunc hunc, nunc alium prophetam, interdum plures ſimul, vt tēpore Achas & Ezechię, &c. & nihil profecit: Miſit poſtremò vnicum ad eos Filium ſuum, & nihil profecit. Chriſtus ipſi comminabatur ablationem regni Dei, & nihil profecit: Minabatur illis, quòd conterendi eſſent lapide diuinę iuſtitiæ, & nihil profecit, imò ſuper hęc omnia dicit Euangelium, Quærebant eum tenere & occidere, & feciſſent, niſi populū timuiſſent. An nō autem grauis ſopor eſt, cùm homo tam profundè in peccatis iacet, adeò nihil videt, nihil audit, vt nec pręſente & ſæuiente iudicio Dei contremiſcat. Hæc eſt igitur peruerſitas filiorū Adā, quā ſcriptura nobis & in Iona, & in hoc Euangelio depingere voluit. Tam pernicioſa res eſt peccatum, tam excæcat hominem, tam durum & lapideum facit cor peccatoris, quòd ſe neq; pręſenti gratia, aut punitione,

tione, nec promiſſionibus, nec cõminationibus permo
ueri ſinat: Vtinam nihil tale in nobis eſſet. Et quidẽ ſic
oportebat, ideo enim nobis Deus ſpiritum ſuum in Ba
ptiſmo dedit, vt eius ope peſſimam illam Adæ veteris
peruerſitatem & debeamus & poſſimus ſupprimere, imaginemque peccatoris Adæ delere, & in locum eius
imaginem Chriſti ſubſtituere: res ipſa tamen, pròh dolor, indicat, quòd naturalis illa peruerſitas, non minus
in nobis eſt & regnat, quàm in his, qui Spiritum ſanctum nunquam acceperunt. Cæterùm, quid hic dicemus fratres? Tota enim culpa in nobis eſt, vt qui motionem Spiritus ſancti non ſequimur, vel malis operibus ſpiritum omnino in nobis extinguimus. Ideo neceſſarium eſt, vt inter alia peccata noſtra etiam hanc
negligentiam noſtram defleamus, accuſemus, damnemus, confiteamur, Deoque humiliemus animas noſtras, ac indulgentiam veniamque peccatorum, fuſis
lachrymis, poſtulemus, &c.

PROSEVTIO IONAE.

SVprà audiuimus, quomodo Ionas ſorte deprehẽſus fuit, vt is qui peccatis ſuis cauſam præſtiterat tantæ tempeſtatis & periculi, & ſic etiam erat: Interim tamen nimium erat, imò certa tentatio Dei, quòd illi occulta cordium, quis ſcilicet inter eos maximus peccator eſſet, per ſortes inueſtigare præſumpſerant. Eſt etiam exemplum hoc minimè à nobis imitandum.
Sortiri quidem in ſe malum non eſt, ſed malum fieri poteſt, ſi eo abutamur id quod fit, cùm ſine neceſſitate, ad tentationem Dei, vel ex mera curioſitate ſciendi occulta & futura, vel aliàs ex ſuperſtitione aliqua ſortiamur. Dicit quidem Salomon, ſortes temperari *Prou. 16*
à Deo, ſed non iubet, vt Deum tentemus. Vſus eſt ſorte dux populi Ioſue, vt inueſtigaret, quiſnam ille ſa- *Ioſue 7.*
crilegus eſſet, qui de anathemate Iericho clanculum furatus eſſet. At non ideo in exemplum trahendum

 eſt, vt

eſt, vt & nos ſortibus vtamur, ſi quid occulti facinoris perpetratum eſt, fortunæque cõmittamus, quæ certò auctorem facti prodat? Non, inquam, ſic agendum. Nec Ioſua propria temeritate hoc fecit, ſed iuſſus à Deo, qui hoc medio furem oſtendere volebat. Sic
Act. 1. Apoſtoli ſortibus vſi ſunt in eligendo Mathia: At non ideo ſorte præficiendi ſunt Eccleſiæ paſtores. Habebant Apoſtoli duos præ manibus, quorum vterque ei officio idoneus erat, & vt tales à tota congregatione electi fuerant: quia tamen Apoſtoli, vt homines neſciebant, quis eorum alteri præferendus erat, ne putarentur perſonarum acceptatores, iudicium Deo committunt: Tu Dñe, inquiunt, noſti corda omnium, &c. Poſteà autem, cùm ex tota multitudine aſſumendi eſſent Diaconi, non dixerunt multitudini, Mittite ſortes: ſed, Eligite ex vobis viros boni teſtimonii, &c. Hæc paucis hoc loco de ſortibus dicta ſufficiant. Sunt qui multa ſuper hac re diſputant, num licitum ſit, vti ſortibus, & quando. Verùm hæc commodius tempori alii reſeruantur. In hoc certè loco ſors rectè cecidit, & eum tetigit, qui verè cauſa erat tempeſtatis huius, nempe Ionam. Sequitur: *Et dixerunt viri ad Ionam, Indica nobis, cuius cauſa malum hoc ſit nobis, quod eſt opus tuum, quæ terra tua? quo uadis? uel ex quo populo es?* Ingenium hominum hic videmus. Quàmprimum Ionas ſorte deprehenſus fuit, iam putabant ſe alii ſecuros, ideò ſuorum peccatorum obliti, miſerum Ionam vrgebant, qui prius ſemideſperatus, ſemimortuus, ac planè in inferno erat. Nam & intus cruciabat eũ conſcientia, ſupra ſe videbat Deum iratum vt putabat, circum ſe vndique videbat mare ſæuiens, denique videbat omnes homines, qui in naui erant, ipſi contrarios eſſe. Et quid gaudii homo habere poſſit in hoc caſu, quilibet ſecum perpendere poteſt. Mirum certè eſt, imò magna gratia Dei, quòd Ionas non totaliter deſperauit. Vide igitur in quantas anguſtias, pericula & miſerias, nos ipſos coniiciamus. Primò, cùm pecca-

mus. Secundò, cùm peccatum in nobis retinemus, nec ipſum per confeſſionem eiicimus, cùm tamē tam facilè gratiam & pacem conſequi poſſimus. Si, inquit, confeſſi fuerimus peccata noſtra, fidelis eſt & iuſtus, qui nobis remittat. Nunquam veniſſet Ionas in tantam anguſtiam animi, in tanta pericula vitæ, in tantum diſpendium famæ, ſi ſtatim confeſſus fuiſſet. Per feſtinam enim confeſſionē omnia hæc præueniri poſſunt, quę tamen his, qui confiteri negligunt, certò imminēt. Quare poſt peccatum perpetratum, nihil melius aut tutius eſt, quàm humilis confeſſio. Hęc enim gloriam ſuam Deo reſtituit, quietat conſcientiā, auertit iram & plagas Dei, denique peccata ſic tegit, ne homini in perpetuam confuſionem & ignominiam vergant. Vnde & meritò Dauid beatos pronuntiat, quibus remiſſa ſunt peccata & tectæ iniquitates. Sed quibus mediis ad hæc peruenitur? Dum tacerem, inquit, inueterauerunt oſſa mea, &c. Dixi, confitebor aduerſum me, &c. Sed ad nautas reuertamur, qui Ionam miſerè vrgebant. Oportebat quidem, vt in manifeſtis plagis Dei quilibet propriam conſcientiam diſcuteret, num in ſe aliquid haberet, cui Deus meritò iraſceretur. Nec malum eſſet, ſi in huiuſmodi plagis ſuperiores diſpicerent, ſi quid eſſet in ſubditis, quod iram Dei prouocare potuiſſet. Cæterùm, nautæ illi ſeueri cenſores erant in alienis criminibus, nihil interim cogitantes, quantum quiſque peccatorum in ſe ipſo haberet. Atque in hoc typum geſſerunt eorum, qui aliorum confeſſiones audientes, nulla compaſſione mouentur, quaſi ipſi ſine omni peccato eſſent. Tales confeſſores habuit Ionas, imò quod ad ipſos attinebat, planè illi deſperandum fuiſſet. Omnibus ſiquidem modis exigunt & vrgent ab eo confeſſionem, interim nihil conſolationis adhibent miſero. Longè mitius Ioſue ſacrilegum ſuum tractabat. Fili mi, inquit, da gloriā Deo, confitere peccatum tuum. At à Iona exigitur quidem confeſſio, interim autem ne vnum quidē ver-

1. Ioā. 1

Pſal. 31.

Ioſue 7.

bum audit de gratia Dei. Quis autem libenter confiteretur, vbi nihil de gratia Dei audit? Seipſum enim accuſare, & confuſioni exponere, planè res eſt amara, ſermo durus, imò planè mors in olla, niſi admixtione
4. Re. 4. gratiæ Dei mitigetur. Nec aliud, confeſſionem tam odioſam, & quam omnes horreant, fecit, quàm quòd quidam tam anxiè, tamq; perplexè docuerunt & ſcripſerunt, quid in confeſſione à nobis exigatur: Interim ne verbum quidem vnum facientes de gratia Dei, quam in confeſſione accipimus. Hoc enim ſi tam crebrò docuiſſent, vt primum illud, nunquam tam graue onus videretur eſſe confeſſio, imò nemo non voluntariè accurreret eò, vbi certò gratia Dei inuenitur, id quod fit in confeſſione, virtute verborum Chriſti dicentis:
Ioan. 21 Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, &c. Hoc igitur obſerua Chriſtiane, vt in confeſſione non tantùm conſideres, quid tibi faciendum ſit, ſed omniũ maximè, quid illic Deus faciat & facere velit, ſic enim fiet, vt confeſſionem minus horreas. Sed ad Ionam. In quatuor eum examinabant nautæ. Quadrupliciter enim quis pœnam commereri poteſt. Primò, per
Rom. 1. proprium opus. Iuxta illud, Qui talia agunt, digni ſunt morte. Ideo quærunt, Quod eſt opus tuum? Secundò, pœnam commeretur, qui cum peccatoribus
Ibidem. participat, etiamſi ipſe non peccet. Digni, inquit, ſunt morte, non tantùm, qui peccant: ſed etiam qui conſentiunt peccantibus. Hinc Ionam interrogant, è qua terra ſit. Tertiò, pœnam commeretur, qui ad malum feſtinat, hoc eſt, malum habet propoſitum,
Num. 22 etiamſi peccatum nõdum perpetrauit. Sic Balam maledicere volens Iſraëli, ab Angelo corripitur, ideo & Ionas interrogatur, Quod ſit iter ſuum? quò velit? quid intendat? Quartò, pœnam interdum quis etiam patitur, propter commiſſa parentum ſuorum. Nam
Ex. 20. Deus viſitat iniquitates patrum in filiis, vſque in tertiam & quartam generationem. Ideo Ionas interrogatur etiam è quo populo ſit. Cæterùm nec propter

populum, nec propter terram ſuam puniebatur Ionas, ſed propter opus ſuum, hoc eſt, inobedientiā, & propter iter ſuum, quòd ſcilicet fugiebat à Domino. Interim quicquid nautæ illi in hac examinatione intenderint, hoc certū eſt, omnibus nobis conſultum fore, ſi ad confeſſionem acceſſuri, hæc prius nobiſcum diceremus; Homo quod eſt opus tuum? quod iter tuum? quæ patria tua? quis populus tuus? Hinc enim facilius ad agnitionem peccatorum noſtrorū veniremus. Sed audiamus confeſſionem Ionæ: *Hebræus ego ſum, & Deum cæli timeo, qui fecit mare & aridam.* Breuis confeſſio, & admodùm etiam obſcura. Nullius enim peccati mentionem hic fieri audimus, quin & Ionas videtur ſeipſum commendare de ſanctitate generis ſui, & de cultu Dei veri. In hunc modum & vulgus noſtrum confitetur, tectis ſcilicet, & obſcuris pauciſſimisque verbis, tantum vt nemo peccata ipſorum reſciſcat: interim tamen videri volunt, quaſi qui egregiè confeſſi ſint. At non ſic fecit Ionas, quantumuis verba id non exprimant. Ex ſequentibus enim patet, quòd peccatum ſuum manifeſtè confeſſus fuit, ſic enim ſequitur: Timuerunt viri valde, &c. cognouerant enim, quòd à facie Domini fugeret, quia indicauerat eis: Vides quòd manifeſtè peccatum ſuum confeſſus fuit. Quòd autem addit. Hebræus ego ſum, & Deum cæli timeo, ad maiorem ſui accuſationem & humiliationem fecit. Timorem autem Dei, vocat cultum Dei, ſic enim & in Eſaia dicitur: Timent me mandatis hominum, hoc eſt, colunt me, &c. Meritò autem timere Deum, dicitur eſſe cultus Dei. Qui enim Deum timet, verbo eius credit, mandata implet, &c. Vnde & timentes Deum ſæpe beati dicuntur. Sic igitur voluit dicere Ionas, Deos quidem alienos non colo aut honoro, vt vos & reliquæ gentes, ſed vnicum illum & verum Deum, cęli & terræ conditorem. Cæterùm hoc nomine, peccatum & dedecus Ionæ erat grauius, quòd ſcilicet veri Dei cultor & è populo Dei erat, &

Eſa. 29. *Eccl. 2.* *Pſ. 127.*

tamen deterior inuenitur gentibus idololatris: Grauius enim peccant, qui intra, quàm qui extra Eccleſiam Dei peccant. Sic igitur fiebat quòd præſentia Ionæ, qui & Hebræus & cultor Dei erat, Gentilibus mala adferret, quum alias ſæpe malos legamus bonorum præſentia adiutos, quemadmodum de Achab & ſucceſſoribus eius legimus, qui ſæpe propter Heliam & Heliſæum, adiuti fuerunt. Hic autem omnia inuerſa ſunt. Ionæ enim præſentia, alii iuuari debebāt, ſed ecce propter ipſum periclitantur. Sic qui optimus eſſe debuerat, inuenitur deterrimus, & qui primus erat, poſtremus. Atque hoc erat, propter quod vel maximè confiteri horrebat. Nolebat Gentilibus videri deterior, nec vnquam confeſſus fuiſſet, niſi Deus & interna anguſtia, & externo periculo, denique & manifeſtatione ſortium, ei confeſſionem extorſiſſet.

Quantumuis autem Ionas poſt emiſſam vocem confeſſionis, non ſtatim periculum corporis euaſit, duplicem tamen fructum huius confeſſionis ſtatim ſenſit. Primò enim excuſſa peccatorum ſarcina, ipſius cor aliquanto leuius, & ipſius conſcientia aliquando laxior facta eſt. Deinde etiam ipſius fides, tametſi valde infirma, priores & ſpei & amoris flammas incipit concipere, quandoquidem Deum planè confitetur auctorem eſſe omnium, quod quidem haud vulgare ad ſalutem exordium eſt. Nihil horum prius ſenſerat: quàm diu enim peccata in nobis continemus, magnum onus ſuſtinemus, nec quicquam boni de Deo nobis polliceri audemus. Videtur enim nobis eſſe Tyrannus, vnde eum fugimus, imò optaremus eum non eſſe. Inde fit, vt præter anguſtiam nihil videamus aut ſentiamus. Igitur hoc ante omnia hic diſcamus ex Iona, quæ ſcilicet ſit vera & compendioſa via ex omnibus difficultatibus emergendi, nimirum, vt præ omnibus peccati habeat ratione, illud acturum libera confeſſione ingenuè fateamur, per hoc enim illico difficultatis & anguſtiæ periculum imminuitur. Eſt enim cum

primis auxilium cordi ferendum, quo ſubleuato, totum corpus melius habebit, faciliusque curabitur. Ita quoq; hominis primùm conſcientia à ſuo pondere exoneranda eſt, qua curata, reliquæ difficultates deinde commodius deponentur: vbi enim conſcientia mala eſt, duplo torquetur homo in iudicio & plagis Dei. Hinc igitur vide cæcitatem noſtram, qui in diſcriminibus & periculis tantūmodo in ipſam anguſtiam reſpicimus, nihil aliud cogitantes, q̃ quomodo ab ipſa liberari poſſimus. Imò tantūmodo pœnam timemus, hæc ſi deeſſet, nunquam de peccato ſoliciti eſſemus: Chriſtianus autem homo, primò ſemper metuere & curam peccati ſui habere debet, pœnam verò nihil curare, imò præoptare debet potius in pœna eſſe ſine peccato, quàm in peccato ſine pœna viuere. Nihil enim nobis nocere poteſt quæcunque aduerſitas, ſi nulla nobis dominata fuerit iniquitas, &c. Hæc itaque attendamus.

DOMINICA TERTIA.

EVANGELIVM hoc ab exordio ad finem vſque nihil aliud habet, quàm inſignia magnique ponderis verba, quę tamen omnia eo tendunt, vt ſciamus eum, qui in nobis eſt, nempe Chriſtum maiorem & fortiorem eſſe, eò qui in mundo regnat, nempe Diabolo, vt Ioãnes dicit. Vnde & certiſſimè conſequitur, quemadmo 1. Io. 4.
dum & Chriſtus ipſe concludit, quòd regnum Dei in nos peruenerit. Hoc autē tale tantumq; nuntiū eſt ad quod meritò & manus & corda eleuare deberemus, magnaq; voce ob hoc Deum laudare. Nec dubitò, quin omnes hoc faceremus, ſi credere poſſemus, quàm malum & miſerabile, imò quam horrendum ſit, ſub Diaboli

boli poteſtate & regno eſſe. Idipſum quidem ſæpenumero videmus in aliis, idipſum etiam legimus in ſcripturis & hiſtoriis: verùm nihil inde mouemur: quo fit, vt etiã parũ gaudii nobis afferat, etiamſi audimus quotidie regnum Dei in nos veniſſe, & Chiſtum Dominũ noſtrum fortiorem Diabolo eſſe. Vbi autem res, dum habetur, non magni æſtimatur, non magna etiam cura cuſtoditur. Hinc eſt quòd tam multi homines iterũ è regno Chriſti & Dei cadunt, fiuntque poſteriora ipſorum peiora prioribus. Nam vbi prius vnum Dæmonem habuerunt, poſteà ſeptem acquirunt: meliusque ipſius eſſet, nunquam cognouiſſe veritatem, vt Petrus
2.Pet.2. ait: imò vt nunquam nati fuiſſent, quemadmodũ Chri
Matt.26 ſtus de Iuda proditore loquitur. Ideo & fratres chariſſimi, magni ęſtimemus, quòd regnum Dei Chriſtusque
Matt.21. potentiſſimus victor Diaboli ad nos venit. A Iudæis ablatum eſt regnum Dei, vt in pręcedenti Feria Sexta audiuimus, nobis autem datum eſt. Illi quidẽ ſuo demerito perdiderunt regnum Dei, nobis autẽ citra noſtra merita datum eſt: Illis iuſtitia, nobis miſericordia & gratia facta eſt. Quàmprimùm illi regnum Dei perdiderunt, nihil amplius proſperũ habuerunt. Nobis autem non aliunde omnia bona proueniunt, quàm
Luc.17. quòd regnum Dei intra nos eſt. Videamus tantùm, vt illa perpetuò conſeruemus. Itaque, ſi Diabolus adhuc nonnihil in te habet, vide, vt adiutore Chriſto nunc eum repellas: Si ſemel eiectus fuerit, vide ne denuo introëundi aditum inueniat: Si regnum Dei ad nos peruenit, ſtudeamus ita viuere, vt regni illius incolas decet. Sub Turca aliter viuitur, atque ſub Chriſtianis principibus, ſic & regnum Dei alios homines expetit,
Prou.19 quàm regnum Diaboli. Rex impius (inquit Salomõ) omnes miniſtros impios habet. Habeat igitur & pius rex noſter, pios miniſtros. Huc ſpectat Epiſtola hodierna, in qua Paulus dicit: Eſtote imitatores Dei, &c.
Eph.5. Hæc Epiſtola declaratione non indiget, nemo enim tã ſtupidus eſt, qui non hic videat, qui fuerimus, & quid nunc

nunc ſimus, quid nos vel decet vel dedeceat. Tenebræ fuimus, nunc autem lux ſumus: Itaq; decori nobis erunt, bonitas, veritas, iuſtitia, charitas, & perfecta imitatio Chriſti. Hi enim ſunt fructus lucis, quos Spiritus ſanctus in nobis operatur: E contra, dedecebunt nos fornicatio, immunditia, turpiloquium, auaritia, ſcurrilitas, &c. Hi enim ſunt fructus tenebrarum, quos Diabolus in ſuis operatur. Hæc eſt intentio huius Epiſtolæ. Faxit Deus, vt hoc cordi imprimamus.

PROSECVTIO IONAE.

AVdiſtis ſuprà, quomodo, & quibus mediis DEUS olim fugitiuum Ionam, ad pœnitentiam & peccati confeſſionem perduxerit, imò quaſi coëgerit, nēpe internis anguſtiis, & externis periculis, poſtremò externa etiam confuſione. Simulque audiſtis, quæ & qualis fuerit eius confeſſio, & quid fructus inde conſecutus ſit. Operæpreciū autem eſſet, vt ſingula hæc diligenter attenderemus, ad minus enim hoc in nobis effectura eſſent, vt eò citius & promptius nos humiliaremus ad pœnitentiam & confeſſionem, ne in ſimiles anguſtias & terrores tēpore mortis vel iudicii DEI incidamus. Hic enim apertiſſimè videmus, quòd Deus poſt peccatum ab homine confeſſionem habere vult, & quòd non ceſſat ab ira ſua, donec humiliter confiteatur homo: Interim tamen etiam videmus, eandem cōfeſſionem maximas homini afferre commoditates. Nā & ſtatim cor eius alleuiat & dilatat, omnes anguſtias auferendo, & inſuper etiam per verbum conſolationis hominem erigit, vt iterum audeat ad cælum reſpicere, ac bonam de Deo ſpem & fiduciam concipere. Hæc omnia ſenſit & expertus eſt Ionas in ſeipſo, vt ſuprà oſtendi. Vnde facilè videri poteſt, quāta ſit cæcitas, imò inſania noſtra, quòd talia audimus, legimus, ſcimus, nēpe, quòd DEI iudicium tam graue et terribile imminet peccatoribus, & quòd idipſum tā facilè auerti poſ-

ſet per humilem confeſſionem, tamen malumus nos ipſos tãtis periculis irę & iudicii diuini obiicere, quàm humiliter confiteri. Ideò diligenter exemplum Ionæ conſideremus, & ex his quæ illi contigerunt admoneã mur Non differamus confeſſionem, donec venti & ma re ſęuire incipiant. Audiſtis, & adhuc audietis, in quã tas anguſtias Ionam perduxerit dilatio confeſſionis. Reuera, fratres, multo melius & facilius nunc eũ Deo
2.Co.6. concordare & agere poſſumus. Nũc enim eſt acceptabile tempus et dies ſalutis, in quo Deus ei exauditioné, & auxilium promiſit nobis. Poſtquam autem venti ſæuire inceperint & mare, hoc eſt, cùm Dominus punire & iudicare inceperit, tanti erunt terrores & angũſtiæ vndique, vt facilius quis deſperare quàm veniam rogare poſſit. Hæc itaque pericula præueniamus, ac à Iona diſcamus. Is enim nedum, vt prędicator, ſed etiã, vt inſigne exemplum pœnitentię nobis propoſitus eſt. Antequam etiam ad ipſius pœnitẽtiam perueniamus, prius in ipſo expreſſum pœnitentis hominis typum vi demus ſed audiamus ſequentia: *Timuerunt uiri timore magno, & dixerunt ei, Quid hoc feciſti?* Quod ſupra dixi de nautis illis, etiam hic apparet, nempe, quòd typum ge runt indoctorum & impiorum confeſſorum, qui cùm patres eſſe deberent tyrannos, ſe exhibent, neſciunt cõ pati peccatoribus, tantummodo terrere ſciunt, ac cala-
Eſa. 42. mum quaſſatum confringere, linumque fumigans extinguere, afflictis addere afflictionem, nihil autem cõſolationis interim exhibẽt, imò eo ſanctiores videri vo lunt, quò durius tractant peccatores. Huiuſmodi hypo
Gal.6. critæ illud Pauli legere debebant: Fratres, ſi præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui ſpirituales
*Ioan.*10 eſtis, inſtruite illum in ſpiritu lenitatis, &c. Paſtor enim aliter ſe gerere debet erga oues, quàm lupus. Is enim tantũmodo laniat & comedit: at paſtoris eſt, quòd infirmum eſt conſolidare, quod vulneratum alligare, quod erroneum reducere, quod perditũ requirere, &c.
Eze. 34 Sed ad nautas reuertamur. Timuerunt, inquit, timore

magno,

magno, & hoc quidem ferendum eſt. Quilibet enim pius terretur, contremiſcit, vbi audit magnum aliquod peccatum commiſſum eſſe, vbi videt Deum contemni, proximumque in periculo ſalutis eſſe. At nautarũ horum timor aliò ſpectabat, timebant ſuis ipſorum capitibus, videbant ſe ob Ionam periculo obnoxios, videbant ſe ab ipſa ſeiungi non poſſe: timebant igitur ne ſimul cum illo pereundum ipſis eſſet, alioqui nec Ionæ periculum, nec Dei contemptum curaſſent. Ideo ſimpliciter dicuntur timuiſſe, non Deum ſcilicet, ſed pœnam & periculum. Ideo etiam Ionam duris verbis aggrediuntur, qui tamen potius conſolandus erat, vt quẽ in tãtis anguſtiis videbãt. Si ipſius caſum indoluiſſent, ſic allocuti eum fuiſſent: Iona ſi peccaſti, noli ob hoc deſperare: Deus clemens & propitius eſt, cum nos ipſi tecum deprecabimur pro venia, &c. Verùm nihil tale dicunt, ſed tantùm. Quid hoc feciſti? Noneras Deum omnia poſſe in terra & in mari, cur igitur tam impudenter eum fugiſti? Si Propheta es, cuius eſt alios corripere, qui Deo non parent, cur ipſe tam inobediẽs fuiſti? Verè conſolatores oneroſi erant, quales & Iob habuit. His enim verbis tantummodo peccatum illius aggrauant, & quantum in ipſis eſt, ad deſperationem ipſum vrgent: interim nihil curãtes, quòd ipſi idololatræ, & contemptores: omnibusque peccatis pleni eſſent. Sic enim ſemper citius feſtucã in oculo fratris, quàm trabem in oculo noſtro videmus. Longè aliter agunt pii homines, qui ante omnia & in primis ſeipſos accuſant. Cæterùm, quãtumuis Ionas dignus erat, qui hæc audiret, & argueretur ab his, quos ipſe inſtruere debuerat: ipſi tamen non ideo excuſantur, imò in quo Ionam iudicabant, ſeipſos condemnabant. Si enim in illo tam malum fuit ſemel Deo non obediuiſſe, quantò peius in ipſis erat, nunquam Deo ſe ſubmiſiſſe? Verũ ſic eſt natura hominum, vt apud ipſos hi ſoli mali & omnium peſſimi videantur, quos iudicium Dei premit. His vndiq; acclamatur, Quid hoc feciſti? Quid

Iob 16. *Luc. 6.* *Pro. 18.* *Rom. 2.*

ita te ſeduci paſſus es? cùm interim hi, qui hęc miſeris illis inclamant, plerunq; eiſdem vitiis, imò maioribus & pluribus obnoxii ſint: Verùm hęc eſt conditio filiorum Adam. Interim Ionas tacet ac patitur, quicquid homines de ſe dicant & iudicent, imò libenter maiora etiam pati præoptaſſet, tantùm vt DEus iram ſuam ab ipſo auerteret. Ea enim nondum ceſſabat. Sic enim ſequitur: *Mare enim ibat & intumeſcebat.* Re ipſa nimirum oſtendens, DEi iram nondum eſſe placatam. Ibat, inquit, & intumeſcebat, eo ipſo ſuo tumore creatoris iram oſtendens, ibat vt iuſſum erat, ibat in vindictam Domini ſui, ibat perſequentes fugitiuum Prophetã, intumeſcebat autem per ſingula momẽta temporum, & quaſi nautis morantibus in fluctus maiores ſuſcitabatur, vt oſtenderet vltionem creatoris differre, fugitiuumq; Prophetam ſe amplius ferre non poſſe. Atque hic adhuc clarius videmus, in quę mala Ionam induxit dilatio confeſſionis. Senſit quidem in ipſa, quãtumuis tarda confeſſione, nonnullum releuamen: nam & melius habebat cor ipſius magno illo pondere peccati, imò talento plumbi exoneratum, ſimulque fides & ſpes eius fermè extinctæ reuiuiſcere cœperant, vt oculis in cœlum leuatis, auderet DEum cõfiteri, Dominum cæli, terræ & maris: quæ fides & ſpes etiam eum conſeruauerunt à deſperatione in tantis malis. Quòd ad animam igitur attinebat ipſius, non paulò melius habebat, quàm prius. Cæterùm mare nondum quieſcebat, imò omnibus momentis plus ſæuiebat, puniendus adhuc erat temporali pœna, & quidem attroci, ad terrorem omnium eorum, qui pœnitentiam & confeſſionẽ peccatorum de die in diem differunt. In Iona, inquã, DEus oſtendere voluit, quanti terrores & pericula eos maneant, qui pœnitentiam differunt. Itemque, quàm incerta ſit pœnitentia vltimo terrore exorta: Interim autem mari adhuc ſæuiente, imò plus quàm antea, nautę iterum alloquuntur Ionam. *Quid faciemus tibi, & ceſſabit mare à nobis?* Vel hic etiam videmus, quòd ſibi ipſis

ſis tantùm timuerunt, nihil curãtes Ionam. Optaſſent Ionã vel in profundo maris iacere, tantùm vt ipſi euadere poſſent. Imò iamdudum Ionam in mare proieciſſent, niſi maius periculum timuiſſent, ſi etiam in Dei cultorem & Prophetam impiè & crudeliter agerent. Ipſum igitur conſulunt, quid facere debeant: volunt, vt ipſe in ſe iudicium & ſententiam ferat. Quid faciemus, inquiunt, tibi? quaſi dicerent: Propter te dicis ventos, fluctus, mare concitatos: Expoſuiſti cauſam morbi, indica & ſanitatis remedium. Ex eo, quòd contra nos conſurgit mare, intelligimus iram eſſe ſuſceptionis tuæ. Si culpa eſt, quòd ſuſcepimus te, quid faciemus, ne Dominus iraſcatur tibi? Hoc eſt, interficiemus te? ſed cultorem Dei. Seruabimus? ſed Deum fugis. Noſtrum eſt præbere manus, quid fieri iubeas: tuũ eſt imperare, quo facto quieſcat mare; quod nunc ſuo tumore iram Dei teſtatur. Ad hæc Ionas reſpondit: *Tollite me, & mittite in mare, & ceſſabit mare à uobis.* Hic videmus in Iona, quanta ſit fidei è puro corde proficiſcentis potentia, quidque ea fides efficiat. Hic enim exemplũ habemus, quod verè omnipotens ſit, & quòd in omibus rebus, quamlibet aduerſis & dubiis, victrix fides palmam obtineat, quòd vt planius fiat, ipſum Ionam hoc loco diligentiùs attendamus. Quattuor enim hic Ionas facit, quę nunquam facere aut ferre potuiſſet, ſi non fide inſtructus fuiſſet. Primò enim peccatũ & culpam omnem in ſe deriuat, omnes alios innocentes declarans, ſe ſolum peccatorem eſſe confitetur, affirmatque eius tempeſtatis procellas ſui vnius gratia eſſe concitatas. Deinde ex eadem culpa grauem etiam conſcientiam apud Deum agnoſcit, planeque fatetur, ſe attrocem culpam in Deum & homines pariter admiſiſſe, ſicq; ſummum dedecus (quod eſt etiam corã Deo confundi) in ſe ſuſcipit. Hoc autem dedecus longè maximum eſt. Neque enim vllus relinquitur angulus amplius in omnibus creaturis: ſed ne apud inferos quidẽ, in quo homo ſe abſcõdere poſſit. Sed cogitur, velit, nolit,

lit, ſtare in propatulo, & coram omnibus creaturis cõfundi. Præterea Ionas nihil ſibi ſupereſſe videt, niſi amaram mortem, nec vllum effugium eſſe. Poſtremò etiã iram Dei in ipſa morte, ſentit præſertim cùm intelligit ſibi non ex gratia, ſed ex iracundia Dei moriendum eſſe, illudq; mortis genus ſe peccatis ſuis commeruiſſe: Hoc autem omnium grauiſſimum eſt. Nam ea mors, quàm ira Dei non adducit, non tantum doloris & acerbitatis habet. Hinc ſancti martyres lętanter moriebantur, quia ſciebant ſe propter gloriã Dei, propter iuſtitiam & veritatem, item iniuſtè condemari, atque adeò ſciebant ſe Deum habere propitium, eamque mortem non ex ira, ſed ex gratia Dei proficiſci. Vbi autem peccatis noſtris mortem meremur, ibi ira quoq; diuina comitatur, quæ mortem facit intolerabilem, vt præter mortem nihil remaneat aut ſentiatur. Hæc autem quatuor, ſi ſingulatim & accuratè conſideremus, videmus quodlibet ex illis ſeorſum, etiam ſanctiſſimis viris difficile portatu eſſe: impiis autem prorſus intolerabile. Quis enim tã forti animo eſt, qui ira Dei obrutus, lętam mentem obtineat, & cordis tranquillitatem non amittat, etiamſi ipſum non oporteat mori? Quem vnquam mortalium vidimus, qui nõ exhorruerit mortem, & vel ad ſolam eius memoriam trepidauerit? trepidant Gentiles, & ſi iram Dei non ſentiant. Videmus item etiã ſanctos homines trepidare, quantumuis propitium Deum ſe habere ſciant. Præterea nõ eſt in terris maior & grauior ſarcina, quàm peccatorum & conſcientiæ malæ. Quis enim illud facile perferet, vt coram Deo & hominibus pudefiat? Quis non præoptaret mori decies, potius quàm cum hoc dedecore ad hunc modum viuere? Hæc tamen omnia ſimul ſuper miſerum hunc & calamitoſum Ionam ceciderunt. Nec enim idem Ionas hîc intuendus eſt, qualis poſteà factus eſt, ſed qualis nunc fuit. Futurum quidem erat, vt priſtinum poſteà recuperaret honorem, imò vt mirabiliter in morte & periculis ſeruaretur: hæc ſi

hæc ſi videre nunc potuiſſet, moderatius præſentem & infamiam & mortem pertuliſſet. At nihil horum ſciebat, imò nihil videbat, niſi extremam infamiam & certiſſimam mortem, nec quicquam de ſe liberando, aut in honorem reſtituendo, aut ſperabat, aut cogitabat. Non dubium igitur, quin magnum in corde ipſius certamen fuerit, hinc fide erigente, hinc deſperatione impellente: imò tale certamen, vt potuiſſet prę animi anguſtia, ſanguineas etiam guttas ſudaſſe. Hic enim pariter aduerſus peccata ſua, aduerſus conſcientiam ſuã, contra mortem & iram Dei, ex æquo illi pugnandum erat. Reuera ibi anima eius tenuiſſimo (vt dicitur) filo ſuper Orcum æternamque damnationem pendebat, vt verè magnum fuerit diuinæ potentiæ ſignum, quòd à fide in tantis difficultatibus non defecerit, ſed ſeruatus ſit. Quòd enim in fide perſeuerauerit, argumẽto eſt ipſius liberatio. Nam Deus nullum impium è morte liberat. Cæterùm præter hanc fidei pugnam, etiam aliud quiddam hîc videmus in Iona, nẽpe exemplum veri pœnitentis, qualem ſe oſtendat erga Deum & proximum. Ionas enim videns Deũ velle punire, nõ obſiſtit, non murmurat, non clamat aut eiulatur, ſed ſpontè ſe offert, ſententiam mortis in ſeipſum fert. Tollite, inquit, me, &c. quaſi diceret: Scio quòd peccaui, ſcio quòd mortem merui, Deus iuſtus eſt, ego iniuſtus, quòd bonum eſt in oculis eius faciat, ego ſpontè me offero, quia video voluntatis eius eſſe, vt puniat pro peccatis meis. Hîc vides veram obedientiam, veramque & omnimodam reſignationem propriæ voluntatis in diuinam. Deinde Ionas videns & dolens, ſe alios in periculum mortis induxiſſe, ac peccatis ſuis effeciſſe, vt ipſi maximos terrores ſuſtinuerint, cùm aliud non poſſet, cupit illis vel morte ſua ſatisfacere, ac ſuo maximo damno illos in priſtinum ſtatum reſtituere. Tollite, inquit, me, &c. Scio enim, quòd propter me tempeſtas hæc orta eſt, quaſi diceret: Doleo, quòd vobis cauſa malorum fui, cupio vos reſtitutos, hoc quia

aliter fieri non poteſt,niſi morte mea,age,libenter mori volo, vt vos euadatis. Dignus enim ſum,vt ſolus damnum ſentiam; qui omnes vos in hæc mala induxi. Hæc,inquam, diligenter obſeruanda hic ſunt,ſic enim affectus eſſe debet omnis pœnitens. Primò, vt etiam poſt confeſſionem paratus ſit pati, quicquid Deus decreuerit, totumque ſe voluntati Dei reſignet,vt is puniat, occidat, parcat, &c. agat quicquid illi placuerit, tantùm ne omnino abiicat. Sic prodigus ſe totum
Luc. 15. patri reſignabat: Fac, inquit, me ſicut vnum ex mercenariis tuis. Impone quid vis laboris, &c. Sic ſe etiã
Act. 9. in DEI voluntatẽ reſignabat Paulus: Domine,inquiẽs,
Matt. 6. quid me vis facere? Sic Chriſtus orare nos iuſſit: Fiat voluntas tua. Nec ſolùm paratus & promptus eſſe debet pœnitens ad ferenda ea, quæ Deus imponit, quin inſuper etiam in ſeipſo punire debet prętcrita peccata, vt oſtendat ſibi verè ea diſplicere. Sicut igitur prius ebrietati ſtuduit, ſic nunc abſtinentiam arripiat: Sicut prius aliena abſtulit, ſic nunc propria largiatur, &c.
Rom. 6. In ſumma, ſicut prius mẽbra ſua exhibuit ſeruire iniuſtitiæ,ſic nunc ea exhibeat in ſeruitutem DEO. Sic fe-
Luc. 7. cit peccatrix illa in Euangelio, quæ in ſeruitium Chriſti expendit quicquid prius in peccatum expenderat.
Luc. 19. Sic fecit Zachæus, Ecce, inquit, dimidium bonorum meorum do pauperibus. Sic docuit Daniel: Peccata
Dan. 4. tua eleemoſynis redime, &c. Hæ voluntariè aſſumpta caſtigatio (quæ à Ioanne nominatur fructus digni pœnitentia, ab aliis autem ſatisfactio) ad hoc prodeſt, quod & verè pœnitentes nos oſtẽdit & peccati oſores, & mitigat pœnam temporalem, quam DEUS inſligere
1. *Co.* 11 decreuerat. Iuxta illud, Si nos ipſos iudicaremus, nõ vtique iudicaremur. Hoc igitur nos docet Ionas in eo, quòd tam ſpontè etiam poſt factam confeſſionem ſe offert. Deinde pœnitens etiam erga proximum ita affectus eſſe debet vt Ionas, nimirum vt etiam poſt confeſſionem & acceptã remiſſionẽ à Deo, ſtudeat proximo reſtituere damnum, quod ipſi intulit peccando,
ſiue

ſiue ipſum in fama, vel rebus, vel corpore, &c. læſe-
rit. Sic fecit Zachæus, Si quem (ait) defraudaui, red- *Luc. 19.*
do quatruplum. Sic Paulus, quia prius Chriſtianos *1. Cor. 9.*
perſecutus fuerat, poſt omnium Chriſtianorum ſe ſer
uum fecit. Sic Chriſtus docet, vt etiam relicto coram *Matt. 5.*
altari ſacrificio noſtro, proximum prius reconciliare
ſtudeamus. Idem dicit talem nos inuenturos Deum, *Luc. 6.*
quales nos proximo oſtenderimus. Ex hoc igitur Io-
næ verbo videmus, quàm nos ipſos decipiamus, vbi
enim vtcunque confeſſi fuerimus, nec Deo, nec proxi-
mo quicquam nos amplius debere putamus. Deinde vi
demus etiam hîc ex pugna, quàm Ionas ſuſtinuit in
fide, quàm parua & nulla ſit pœnitentia noſtra ad pœ-
nitentiam Ionæ. Poterat nos Deus iiſdem terroribus
agitare, quibus Ionam, imò ideo hæc præoſtendit in
Iona, vt videamus, quid ipſe poſſet, & quid nos meri-
ti eſſemus: tamen nobis parcit, & leuem admodum pœ
nitentiam à nobis exigit. Non eſt igitur, quòd de pœ-
nitentiam grauemur, id eſt vnde gratias agamus, quòd
non ſic nos affligit Deus vt Ionam: Interim tamen
certò ſciamus eos, qui in impœnitentia manſerint, ter-
rores Dei ſenſuros olim, idque ſine fine. Itaque ſi ſa-
pimus nunc tanta mala pœnitendo præuenimus.

FERIA QVARTA.

IN Euangelio hoc Chriſtus, præter
morem ſuum, admodum ſeuerum
ſe oſtendit, verùm non erga quoſli-
bet, ſed tantùm contra Phariſæos,
idque non temerè, aut ſine cauſa.
Erant enim eius generis homines,
quales & ſuprà in Iona noſtro audi-
uimus, ſeueri ſcilicet in aliorum er-
ratis etiam leuiculis: negligentes autem in propriis,
etiamſi maxima ſint, nimirum citius videntes feſtu-
cam in oculo fratris, q̃ trabem in oculo proprio. Tales *Luc. 6.*

erant, contra quos Chriſtus hîc loquitur. Apoſtoli, ipſis erant maximi peccatores, quòd non tam crebro lauarentur vt ipſi, interim ipſi mandata Dei tranſgrediebantur, & alios tranſgredi faciebant, & tamen hîc nullam peccati conſcientiam ſentiebant. Huiuſmodi homines inuenit Chriſtus inter Iudæos, huiuſmodi inueniuntur et inter Chriſtianos. Quin & Ionas huiuſmodi homines inuenit in mari & nauibus. Cæterùm, quid conſolationis, doctrinæ aut auxiliis ſperari poteſt ab huiuſmodi hominibus, qui tã facilè pro mortali peccato ducũt, quicquid fit, tam præpoſterè omnia interpretantur, nullum verbum Dei habent, imò tam nihil poſſunt diſcernere inter verbum Dei & verbum hominum? Qui in tales inciderit, reuera nihilo plus conſolationis, doctrinæ & auxilii apud ipſos inuenier, quàm Ionas inuenit apud ſuos nautas; imò nihil aliud inueniét, quàm vt ſemper peius habeat & ſentiat. Nec mirũ, quid enim boni ſperari poteſt, vbi cæcus cæcum ducit? Imò quid aliud, niſi vt ſimul in foueam cadant? Eò diligentius igitur debemus audire verbum Dei, in quo ſolo veram conſolationem, doctrinam & auxilium inuenimus; imò eò ſtudioſius Chriſto adhærere debemus, quem Deus ideo miſit, vt eſſet nobis conſolator, doctor, & auxiliator. Ipſe enim eſt, de
Eſa. 42. quo dudũ prædixit Eſaias: Calamũ quaſſatũ nõ cõfrin-
Mat. 11. get, &c. Vnde & in Euãgelio clamat: venite ad me omnes, qui laboratis, &c. Securè igitur ad ipſum currere poſſumus in anguſtiis conſcientiæ. Deinde, ipſe etiã
Mat. 22. eſt, qui nõ per deuia nos ducit, nihil enim incertum vt Phariſæi, ſed viã Dei in veritate docet, vel ipſis hoſtibus eius teſtibus. Vnde & vos de cælo dicit. Hũc audi-
Mat. 17. te. Ob hãc cauſam in hoc Euangelio tã acriter obſiſtit Phariſæis. Erãt enim infideles ſerui, diſpẽſantes paleas pro tritico, hoc eſt, verbum humanum pro verbo Dei. Hoc autẽ erat ignominiã irrogare verbo Dei, inſuper etiam certa ſeductio hominum: ideo Chriſtus obſiſtit omnibus modis, magnamque facit differentiam inter

præ-

præcepta Dei & traditiones hominum. Non quòd omnes hominum traditiones ex æquo dãnet, ſed quòd vult Dei præcepta longè his præferri: Alioqui vbi conſtitutiones hominum non pugnant cùm verbo Dei, ſed nonnihil deſeruiunt vel ad decorem & honeſtatẽ, vel ad publicũ ordinẽ, &c. nec ad cõſciẽtiã obſtringendã trahũtur, aut Phariſaica ac ſuperſtitioſa intẽtione obſeruãtur, Chriſtus eas nõ damnat. Vnde & Paulus legitur plura ſic ordinaſſe, vbi autẽ acceſſerit ſuperſtitioſa intẽtio, quòd fiducia in eis ponitur, aut præceptis Dei anteponũtur, aut propter eas temerè proximus iudicatur: hîc nõ tacet Chriſtus, ſed manifeſtè dicit eas eſſe fruſtraneũ cultũ Dei, plãtationẽ, quàm nõ plãtauit Pater, hypocriſim, & cæcitatem, quæ certo in foueam præcipitat & docentem & obaudientem. E quibus ſatis apparet, quòd Chriſtus certus doctor eſt, qui nullum ſeducit, nullũque quod in ſe eſt errare permittit. Eò ſecurius igitur illi credimus. Poſtremò is idẽ Chriſtus eſt, qui ſuos in aduerſis nunquam relinquit, id quod videbimus in Iona. Hæc igitur, Chriſtiane homo, circa hoc Euangelium cogita: Alia quæ hîc dicenda eſſent, ſuperioribus annis ſatis dixi, quæ nunc repetere tempus nõ patitur. Habetis ſummam rei, quatenus ſcilicet Chriſtus traditiones hominum, vel ferat, vel damnet. Hoc tantùm videamus, vt verum medium & regiam viam hîc ſeruemus, nec ad dexteram, nec ad ſiniſtram declinantes. Nunc ad Ionam.

PROSECVTIO IONAE.

SVprà pauca quædam dixi de pugna illa, quam Ionas in ſeipſo expertus eſt, in eo articulo, cùm Dei iudicio artatus, cogeretur in ſeipſum ſententiam mortis ferre. Non paratum enim, imò omnibus modis tunc fides eius tẽtabatur. Quicquid enim circa ipſum erat, minabatur illi perditionem, atq; adeò ad deſperationẽ eum impellebat. Videbat ſiquidem ſe peccaſſe, & iam

coram Deo & hominibus confuſum eſſe; Videbat ſibi moriendum eſſe, & ꝙ eam mortẽ non ex gratia & bona volũtate Dei pati deberet, vt alii Prophetæ & Martyres, ſed ex ira Dei propter ſua peccata. Et in his omnibus nullam videbat conſolationem, nullum finem, nullum auxilium, nec ex ſua ratione aliter iudicare poterat, q̃ eam ſui confuſionem & perpetuò duraturam. Hoc aũt talis pugna eſt, quæ etiam ſanguineum ſudorem extorquere poſſet. Quod ſi Ionas videre, aut ſperare potuiſſet, ſe fore liberandum, & priſtino honori reſtituendum, facilius tuliſſet: At nihil horũ videbat, nec ſperabat Deum tantam potentiã in ſe oſtenſurum & gratiam, imò nihil aliud videbat, niſi peccata, ignominiamque ſuam, itemque mortem & iram Dei. In hac pugna etiam fortiſſimus quiſque ſuccumbere poſſet, & tamen Ionas perſtitit. Quid igitur eum conſeruauit, ne deſperaret? Fides ipſius. Audiſtis ſuprà, ꝙ dixit: Hebræus ſum, & Deum cæli timeo. Hæc verba, imò hæ fauillæ, ſatis indicant, fidem in ipſius corde adhuc vixiſſe. Quæ fides? quòd Deum credidit omnia poſſe: ideo dixit, Deum cæli ſe colere, &c. Et quòd credebat fœdus Dei cum populo Hebręorum vel Iſraëlitarum etiã ad ſe pertinere: ideò dixit, Hebræus ſum. Hæc fides ipſum in hac pugna conſeruauit, nec tam magna erant peccata ipſius, non tam horrida mors, nõ tam terribilis ira Dei, vt cum hac fide periret. Hac enim fide omnia vicit, perrupit, & euaſit, tam potens
Matt. 17 eſt fides vera in aduerſis. Huc pertinet quòd Chriſtus
1. Io. 15 dicit: Omnia ſunt poſſibilia credenti. Et Ioannes, Hæc eſt victoria, quæ vincit mundum, fides noſtra. Si Ionas habuiſſet omnem mundi potẽtiam, gloriam, fauorem, ſapientiam, iuſtitiam, &c. non potuiſſent eum in hac neceſſitate conſeruare: fides autem in Dei potentiam & bonitatem, eum conſeruauit, etſi omnes creaturæ ei contrariæ eſſent. Hîc igitur videtis, quantum in fide ſitum ſit. Hoc attendite Chriſtiani. Nam & nos eandem tentationem olim ſentiemus, videbimus ob oculos

los

los poſita peccata noſtra, confuſionem noſtram, mortem & iudicium Dei. Contra hæc omnia autem nihil proderit, niſi fortis fides in Chriſtum Ieſum, vt qui noſtra peccata, confuſionem mortem, & iudicium in ſe ſumpſit & vicit. Vnde & confidenter nobis acclamat: Confidite, ego vici mundum. Vide igitur ante omnia, vt fidem tibi certam & firmam colligas è verbo Dei, imò ora, vt Deus eam tibi fidem det, quam diabolus ſuis tentamentis ſupprimere non poſſit. Hæc adiicere volui, videbantur enim ſcitu neceſſaria. Nunc textum proſequamur. *Et remigabant uiri, ut reuertentur in aridã, & non valebant: quia mare ibat, & intumeſcebat.* Hic iã nautæ mitiores eſſe incipiunt in Ionam, quia enim videbant eum dolere, quòd ipſos in periculum induxerat, imò ſeipſum ſponte in mortem offerre, vt illis conſulat, etiam ipſi charitatis memores ſunt, ac prompto animo gratiam illi referre ſtudent. Vnde non ſtatim eum eiiciunt, ſed ſumma ope nituntur, nihil non facientes, vt eum ſaluum in littus exponant, tamq; iam illi compatiuntur, q̃ prius illi iraſcebantur. Sic charitatis officia etiam alios ad ſimilia prouocant. Atque hîc habemus exemplum, quomodo cum peccatoribus agendum ſit, poſtquam humiliati fuerint, nempe, vt ipſos conſolemur, erigamus & omnem illis charitatem oſtendamus. In hunc modum Paulus tractauit Corinthium ſuum, q̃ ſeuerè enim prius eum vitandum, imò Sathanæ tradendum præceperat, tam diligenter pòſt præcepit, vt charitatem in illum confirment. Cæterùm remigabant quidem nautæ, vt ad terram venirent, verùm non poterant. Decreuerat Deus Ionam in mare proiiciendum, id quãquam terribile iudicium viſum fuit, ad multa tamen profuit tam Ionæ ipſi, q̃ nautis, q̃ etiam omnibus nobis. Per hoc enim Ionas edoctus fuit, vt deinceps Deo promptè obediret: per hoc admoniti ſunt omnes peccatores, vt pœnitentiam & confeſſionem non differant vſque ad tempus iudicii: per hoc nautæ idololatræ perducti ſunt

Ioã. 16.

1. Co. 5.

2. Co. 2.

ad cultũ vnius Dei: per hoc deniq; Deus oſtendit potẽtiam ſuam, quod etiam in media morte ſaluare poſſit. Poſtremò, per hoc etiã Deus præoſtendit futurum eſſe, vt Chriſtus ſalus omniũ gentium in mare proiiceretur, hoc eſt, moreretur & reſurget. Vides quanta bona ex vno hoc facto prouenerunt. Sic enim Deus nullum malum fieri permittit, vt non inde eliciat bona pro fidelibus ſuis. Ob hanc igitur cauſam, nautæ ad terram peruenire non poterãt, nec pacem vllam ſe habituros ſperabant, donec quod Deus decreuerat, in Iona implerent, quemadmodum & nobis nulla pax ſperanda eſt, niſi voluntatem Dei faciamus. Sequitur:

Quæſumus Domine, ne pereamus in anima uiri huius.

Quantumuis audiſſent à Iona, tunc tranquillitatẽ redituram, ſi ipſum in mare proiicerẽt, certisque indiciis viderent, etiam Deũ hoc velle: tamen non feſtinant ad effuſionem ſanguinis humani, nõ tam leue ducunt hominem occidere, vt nos: maximè, cum audiſſent eum Dei Prophetam & cultorem eſſe. Imò etiam iuſſi timent eum eiicere, timent ne nimium facerent; orant ne ipſis mors Ionæ imputetur. Quæſumus Domine, inquiũt, quaſi dicant: Nollemus interficere Prophetã tuum, ſed irã tuam ipſe cõfeſſus eſt, & tempeſtas ipſa loquitur, quia tu Domine ſicut voluiſti, feciſti. Voluntas tua expletur per manus noſtras. En cũ tanto timore Gẽtiles illi iudiciũ Dei in Ionã exequũtur, vt confundantur crudeles illi Tyranni, qui etiã inter Chriſtianos tam ſitiũt ſanguinem, tã ſine omni timore Dei & cõpaſſione proximi exequũtur iudicia Dei in alios, cùm ſemper hęc verba nautarũ deberẽt habere in ore, dum alios ad mortẽ condemnant. Atque hoc eſt, quod Ioſaphat iudicibus ſuis dicit: Sit timor Dei vobiſcum, non hominis exercetis iudicium, ſed Dei. Et Dauid,

2.Pa.19

Pſal. 2.

Erudimini qui iudicatis terram. Seruite Domino in timore, &c. Nec ſolùm cum timore, verùm inſuper cũ multa compaſſione, nautę illi Dei voluntatem in Iona adimplent. Sequitur enim:

Et tulerunt Ionam, & miſerunt in mare.

Non dicit, Arripuerunt, non ait, Inuaſerunt: ſed, tulerunt, quaſi cum obſequio & honore portantes eũ. Nec dicit, Proiecerunt aut præcipitauerunt: ſed, Miſerunt eum in mare. Quæ verba planè indicare videntur compaſſionem ad Ionã ipſos habuiſſe, & quaſi inuitos eũ in mare miſiſſe, imò nec vnquam tale quid ipſos facturos fuiſſe, niſi manifeſtè vidiſſent volũtatem Dei eſſe, vt ſic fieret. Nec dubium, quin & ab ipſo Iona edocti fuerint hoc Deum velle. Cæterùm, quid Ionas in hac eiectione ſua ſenſerit, & cogitarit, & quomodo affectus fuerit, ipſe ſuis verbis in ſequentibus edocebit. Vnum hoc obſeruandum hic, quòd Ionas, etſi ſciebat ſe in mare coniiciendum, nõ tamen ſe ipſum eiecit aut ſubmerſit, ſed ab aliis eiectus fuit. Nemo enim debet ſeipſum occidere. Sed nec Chriſtus, cuius typũ Ionas gerebat, ſeipſum occiſurus erat, ſed ab aliis crucifigendus. *Et ſtetit mare à feruore ſuo.* Quia ſcilicet inuenerat quem quærebat, velut ſi quis perſequatur fugitiuum, & concito pergat gradu, poſtquam ipſum apprehenderit, deſiſtit currere, & ſtat tenens, quem comprehendit: Ita & mare, quod abſente Iona iraſcebatur in viſceribus ſuis, deſideratũ tenens, à feruore ſuo deſiſtit. Atque hic videmus, quàm promptè creaturæ obediãt DEO, imò quomodo Deus armet creaturas ad vltionem inimicorum ſuorum. Sicut enim hic mare & ventos armauit in vltionem Ionæ, ſic finaliter omnes creaturas armabit in perditionem impiorum. Et ſicut hic mare & venti non quieuerunt donec Ionas in mare præcipitatus fuit: ſic tunc non ceſſabunt, donec impii ad infernum detrudantur. Hæc eſt iuſtiſſima Dei ſententia in impios, vt quia omnibus creaturis hic abutuntur, omnes poſtea creaturas in ſuum interitum armari conſpiciant. Deinde videmus hic, quòd tempeſtatum omnium, quibus hoc mare, id eſt, mundus toties concuſſus fuit & concutitur, nulla alia cauſa eſt, quàm peccatum. Huius exempla habemus in Adæ eie-

Sap. 5.

Gen. 3.

eiectione, in diluuio, in perditione Sodomæ, in plagis Aegypti, in punitione Iſraëlitarum in deſerto, in fuga
Ioſue 7. Ioſue cùm expugnaret. Hai, in deſtructione tribus Beniamin, &c. Nec alia cauſa eſt, ꝙ nunc ita ſæuit mare, proximámque perniciem nobis minatur, quàm quòd & ipſi inobedientiam Ionæ imitamur, & quòd manifeſta vitia non corrigimus. Ob id, inquam, ſæuit mare: Nec vlla ſpes eſt quietis & pacis, niſi & nos emendemus, & publica peccaa prohibeamus & puniamus.
Eſa. 59. Hoc ſi non fecerimus, ſimul peribimus. Stat enim ſen-
Hier. 5. tentia, quòd peccata diuidunt inter nos & Deum. Et,
Thr. 5. quòd peccata noſtra prohibent à nobis bonū. Et, quòd væ nobis, quia peccauimus. *Et timuerunt uiri timore magno Dominum.* Nec mirum. Quis enim non terretur ad tanta iudicia Dei? Cęterùm non ſimpliciter viri illi timuiſſe dicuntur, ſed Dominum, alioqui vanus fuiſſe timor. Naturale etiam eſt, vt cum magna & inſolita
Luc. 7. fiunt, terreamur: id quod ſæpe in Euangeliis legimus, factis miraculis à Chriſto homines timuiſſe. Hic autem timor nautarum ex fide proceſſit. Nam ſtatim inceperunt colere Deum. Hic igitur fructus qui ex pœna Ionæ conſecutus fuit, quòd ſcilicet nautæ ad cognitionem & cultum veri Dei venerunt. Nam prius multos leguntur habuiſſe deos, hic autem vnum ſolùm venerantur. Ex pœna igitur vnius, hominis didicerunt timere Deum, imò peccatū & inobedientiam contēptúmue Dei. Vnde ſtatim immolaſſe dicūtur hoſtias, & vota vouiſſe. Hoſtias quidem externas in mediis fluctibus habere non poterant, quia ſacrificium eſt Deo, ſpiritus contribulatus. Et in alio loco dicitur, Immola
Pſal. 50 Deo ſacrificium laudis. Et, Reddemus vitulos labiorū
Pſal. 49 noſtrorū. Idcirco in mari immolāt hoſtias & alias ſpō-
Oſee 14 tè promittunt, vota facientes, ſe nunquam ab eo, quem colere cœperant, receſſuros. Hinc igitur vel à gētibus diſcamus, quid in tempeſtatibus & periculis agendum nobis ſit: maximè, cùm videmus alios iam coram oculis noſtris punitos. Nempe, vt timeamus, immolemus

mus preces, & voueamus, hoc eſt, promittamus emendationem. Niſi enim pœnitentiam egerimus, omnes ſimul peribimus. Hoc nobis minatur Deus, cùm alios punit, &c. *Luc.* 13.

FERIA SEXTA.

EVANGELIVM hoc in ſe longum fuit, & nonnihil temporis nobis abſumpſit, eo breuiorē me eſſe oportet in eius expoſitione. Eſt quidem hiſtoria notatu digna, & quam meritò omnibus Chriſtianis inculcatam oportuit: quia tamē & tēporis anguſtia me vrget, & Ionas noſter, quem præ manibus habemus, eadem fermè habet, & ad eundem finē tendit, quo hoc Euangelium, leuiori damno Euangelium hoc nunc prętermitto. Præcipua enim huius Euangelii audiemus & in Iona, idem enim ſpiritus, idem opus, eadem cauſa, idē effectus vtrinque eſt. In euangelio conuertebantur Samaritani, audiendo verbum Chriſti: in Iona conuertebantur nautæ & ipſi quoque Gentiles, videndo opera & iudicia Dei. Ionas prædicauit gentibus, & Chriſtus Samaritanis. Quod Ionas ad gentes mittebatur, præſagiebat Iudæis magnum malum: ſic quod Samaritanis Chriſtus prædicauit, præludium fuit, regnum Dei à Iudęis auferendum, & gentibus dandum. Ionas vno tantùm die prædicauit in Niniue, & tamen plus illic effecit, q̄ prius omni vita ſua apud Iudæos: Sic Chriſtus tantùm duos dies cum Samaritanis fuit, & tamen maiorem in eis affectum & fidem in verbū Dei inuenit, q̄ prius in omni Iudæa inuenerat. Vnde & tantam in gentibus fidem & deuotionem videns, dixit ad diſcipulos: Leuate oculos, & videte regiones. Quaſi diceret, Hìc maturæ ſunt ſegetes, hìc tempus eſt

Mat. 21.

Ioā. 4.

eſt metendi, hic nemo piger eſſe debet, quandoquidem labori abundè reſpondet fructus, inſuper & merces certa eſt. Sic igitur videtis, Euangelium hoc ad eundem finem tendere, quò totus Ionas tendit. Vndè conſequitur, quòd ſi Ionam diligenter audierimus, etiam Euangelium hoc certò habituri ſumus. Itaque in incœpto Iona procedemus.

PROSECVTIO IONAE PROPHETAE CAPVT II.

AVDISTIS ſuprà, quomodo Ionæ finaliter ceſſerit fuga ipſius. Fugerat Deum, at is eũ in naui latitantem ſæua tempeſtate comprehenſum, ita obruerat, vt ſtare & manere cogeretur, imò nec pedē mouere poſſet, donec tēpeſtas eò creſcebat, vt nautæ niſi cum ipſo perire vellent, cogerentur eum in mare eiicere. Audiſtis ibidem quid ad ipſius eiectionem ſecutum ſit, nēpe ꝙ mare ceſſauit & ſtetit à feruore ſuo. Vnde & nautæ exhilarati, animo recepto, Deo hoſtias & gratiarum actiones ꝓ ſua liberatione immolarunt: Sicq; relicto Iona in mediis fluctibus, læti ꝑ tranquillum mare nauigabant, nihil amplius ſoliciti ꝓ Iona, totum videlicet periiſſe credentes. Nec enim quiſquā eorum credebat, ipſum adhuc viuere, multò minus ꝙ iterū ad ſuperos reuerſurus eſſet. Quid aūt dicit ſcriptura vlterius? Sequit̄: *Et præparauit Dominus piſcem grandē, &c.* In hunc modū incipit ſecundum caput. Atq; hic tandē rectè videmus, quæ ſi potentia fidei, & qd Deus intendat cū ſuos punit. Audiuimus hactenus nōnihil de pugna, quam Ionas ſenſit. Hic audiemus, cui in ea pugna ceſſerit victoria. Ionā quatuor hoſtes ſimul vrgebant,

& quidẽ fortiſſimi, peccatum.ſ. & conſcientia, mors, & ira DEI. Cõtra hos nihil aliud habebat, quo reſiſteret, quod obiiceret, quóue ſe tueretur, niſi fidem ſuã, quam & intrepidè obiiciebat, Hebręus, inquit, ſum, & Deũ cœli timeo: Hoc eſt, Credo, ꝙ DEUS omnia poſſit in cœlo, terra & mari, & tantũ de ipſius bonitate cõfido, ꝙ me, etſi peccatorem, è fœdere quod cum Hebræis pepigit non excludet. Hoc, inquam, ſcutum omnibus tentationibus obiiciebat. Cæterũ, pugna illa tam diu durabat, donec ipſe Ionas tandẽ in mare abiiceretur. Hic iam videbatur fides ipſius victa eſſe, peccatum autem & mortem victoriam reportaſſe. Nemo enim in ea naui aliter cogitare aut credere poterat, q̃ Ionã omnino periiſſe, & ꝙ peccatum vnà cum morte, ipſum totaliter in profundum vſque ſuppreſſiſſent, vt omnes de ipſo dicere potuiſſent: En, quid profuit homini huic fides ſua, & ſpes in Deum ſuũ? Nunc iacet ſubmerſus, nec vllum fidei ſuæ à DEO ſuo ſenſit fructum, imò ne ipſe quidem Ionas eo tempore aliud adhuc videbat, q̃ meram perditionem, & ſecundum hoc videbatur fides ipſius victoriam perdidiſſe. Cæterum, cùm in hoc capite videmus Ionam adhuc viuere, etiam in medio mari, etiam in ventre ceti, imò paulò pòſt videbimus, ꝙ ipſum & mare & piſcis illæſum reſtituere cogetur: planè apparet, ꝙ fides eius victoriam obtinuit, ac fortior fuit, q̃ peccatum & mors, mare & cetus. Hoc igitur vnum eſt, ꝙ in hoc capite obſeruare debemus, idq́; diligenter. Quod enim Ionæ contigit, etiam nobis contingit. Hinc igitur diſcere nos oportet, vt ſemper fidem tentationibus obiiciamus (quemadmodum & Ionas fecit, & Paulus docuit) omniaque tela aduerſarii hoc ſcuto excipiamus. Exempli gratia, Si externè tibi intentari, imò imminere videas periculum, perditionem, &c. obiice fidem, & dic, Credo in DEUM patrem omnipotentem, &c. Quod ſi conſcientia tua tibi dicit, Ecce damnatus es, & reprobatus, nec vlla gratia dignus, &c. Iterum fidem obiice, & *Epheſ. 6.*

dic,

dic, Credo in IESVM Chriſtum, &c. In fide,inquã, reſiſte cum Iona, & ſimul etiam conſeruaberis cum Iona. Bonum habes fundamentum & firmiſſimam pe tram, cui inniteris: vide tantùm ne te hinc auelli patiaris, quàm impoſſibile enim eſt, vt Deus non ſit Deus,tam impoſſibile eſt,vt qui Deo innititur, pereat. Hoc igitur vnum erit ex hoc capite obſeruandum, Alterum non minoris precii eſt, vt etiam hinc diſcamus, qua ratione Deus ſuos affligat. Audiſtis, quàm grauiter ſuo iudicio preſſerit & conſtrinxerit Ionam, nemo aliter iudicare potuiſſet, quàm quòd homo nequiſſimus, Dei hoſtis & ſumme Deo odioſus eſſet: Imò ipſemet Ionas putabat meram Dei iram & indignationem eſſe, quod ſecum agebatur. Hic autẽ videbimus, quòd nihil aliud fuit, niſi mera gratia, & charitas Dei erga Ionam. Niſi enim Deus tam ſeuerum ſe oſtendiſſet, & quaſi vi quadam ac per crines Ionam reduxiſſet, in tantam inobedientiam venerat, quòd omnino periiſſet. Audiſtis enim quòd potius volebat à patria & domo & amicis, ab ipſo deniq; templo, cultu & ver bo Dei ſeparari, quàm ad Niniuen pergere. An non autem hoc erat perire? Sic igitur Deus interdum ſe oſtendit ſeuerum erga ſuos, cæterùm ſub ea ita nihil latet, niſi maxima miſericordia & gratia. Atque hoc

Pſal. 29 eſt, quod Dauid ait: Ira in indignatione eius, & vita
Hier. 29 in voluntate eius. Et in Hieremia: Ego cogito cogita-
Eze. 18 tiones pacis, & non afflictionis. Et in Ezechiele: Nolo mortem peccatoris, ſed magis vt conuertatur, & viuat. Vnde & Abacuc: Cùm iratus, inquit, fueris, miſericor
Abac. 3. diæ recordaberis. Et Eſaias dicit: Deum aliquando
Eſa. 29. opus alienum aſſumere, vt facere poſſit opus ſuum. Hæc itaque duo, potiſſimùm ex hoc capite obſeruanda ſunt. Nunc & literam expendemus.

Et præparauit Dominus piſcem grandem, ut deglutiret Ionã. Pulchrè dictum, ſed non more humano. Vbi enim mundus dixiſſet, Et ecce caſu quodam venit piſcis magnus, &c. ibi ſcriptura dicit: Et præparauit Dominus

cetum magnum, vt videamus non caſu hoc factum, vt de Arione fingunt fabulæ, qui & ipſe à Delphino deportatus dicitur vſque ad littus. Scriptura autem omnia attribuit Deo, vt ſciamus piis hominibus nec minimum quiddam contingere poſſe, ſine voluntate Patris cęleſtis. Dominus igitur pręparauit, ordinauit *Mat.* 10.
& adeſſe voluit & præcepit, piſcem illum magnum, vt Ionam deuoraret. Hoc autem nouum quiddam & ſpeciale eſt, cuius ſimile in ſcriptura non legitur, eò diutius igitur hic immorandum eſt. Et nobis quidem admodum conſolatorium opus eſt, quandoquidem videmus quem finem habuerit, & quid Deus per hoc intenderit. Ipſi autem Ionæ, qui hæc ignorabat, verè terribile ſpectaculum erat. Videre cetum aperto ore, ſe expectantem & deglutientem. Submergendū quidem ſe obtulerat, nunc autem videt etiam alia & crudeliori morte ſibi moriendum eſſe: videbat non tam mare, q̃ piſcem illum, ſuam mortem auidis faucibus expectare: videbat Deum non vnam tantùm ſibi mortem infligere velle: videbat in vaſtam aluum huius piſcis, quaſi in abyſſum inferni inſpiceret. Inſuper etiā, ſi hactenus aliquid ſpei habuiſſet, ſe fortè ad littus eiiciendum, etiam hanc nunc incluſus vtero ceti amiſit, videbat ſibi illic perpetuò manendum, ſine omni ſpe liberationis. Denique in ea anguſtia toto triduo permanſit, nec ſolem, nec lunam videns, nunc huc, nunc illuc in ventre piſcis iactatus, prout ipſe piſcis nunc in dextram, nunc in ſiniſtram mouebatur. Poſtremò, nullum finem videt tantorum malorum, ſed omni hora expectat mortem, quæ expectatio longè grauior ipſa morte eſt. Et quid multis opus? Si factum hoc etiam auditu & lectu horrendum eſt, quantò magis viſu? maximè ei, quem ſolum hæc res tangebat. Reuera enim tunc primùm veram mortis pugnam, veroſq; terrores ſenſit. Cæterùm, quantumuis horrendū ſpectaculum eſſet, tamen nihil niſi gratiam & dilectionē Dei erga Ionam in ſe continebat, imò Ionæ & vtile

& ne-

& neceſſarium erat, vt tam ſeuerè tractaretur. In eam enim inobedientiam venerat, vt periturus fuerit, ſi nõ vi ac quodammodo crinibus eum Deus retraxiſſet. Sic enim animum ſuum obfirmauerat, vt potius vellet carere patria, domo, amicis, Deo etiam ipſo ac ſalute, q̃ ad Niniuen pergere. Omnino igitur in ſtatu damnationis erat, niſi maturè, volens nolens, retractus fuiſſet. Miſericordia igitur Dei fuit, quòd ipſum perire paſſus non eſt. Hanc Dei gratiam & verba ipſa præ ſe ferunt. Præparauit, inquit, Dominus piſcem grandem, ſed ad quid? Num vt Ionam occideret, dentibus diſcerperet, & in ſuum alimentum comederet? Nequaquam, ſed vt deglutiret eum, ſic totum, ſic viuum, ſuo tempore reſtituendum. An non autem magna gratia eſt, magna Dei potentia, quòd piſci quidẽ permittitur Ionam deuorare, at non occidere, ſed nec tantillum ei nocere? Imò piſcis cogitur ipſi præbere habitaculum, ipſum conſeruare, ne vel à mari vel ab aliis marinis beluis, quicquam incõmodi ſentiret. Sic igitur dum Ionas putaret ſibi & Deum & omnes creaturas aduerſari, inuenit Deum & omnes creaturas pro ſe ſtare. Quis hic non admiretur Dei bonitatem? Quis credidiſſet, quòd Ionas Deum in profundo maris, in ventre ceti inuenturus eſſet? Putabat ſe Ionas cadere in profundum inferni, hic autem videtur & apparet, quòd verè ceciderit in ſinum Dei. Hoc igitur eſt, quod Deus in Hieremia promiſit: Si quæſieritis, inquit, me in toto corde veſtro, inueniar à vobis. Sic eum inuenit Iacob in Meſopotamia, Ioſeph in Aegypto, Moyſes in deſerto, Daniel in lacu leonum. Videte igitur fratres, qualem Deum habemus, qui tã in tempore ſubuenit, tam promptè ſe inueniri patitur. An non igitur meritò cum Dauide exclamamus: Quàm bonus Iſraël Deus his, qui recto ſunt corde. Itemque, Confitemini Domino, quoniã bonus, &c. Et iterum, Diligam te Domine fortitudo mea. An nõ meritò dicimus, Confitebor tibi Domine, &c. quia magnus

[Margin notes: Thren. 3 (beside "rire paſſus non eſt"); Hier. 29 (beside "tur eſt, quod Deus in Hieremia"); Pſal. 72. (beside "Quàm bonus Iſraël"); Pſ. 117. (beside "Itemque, Confitemini"); Pſal. 17 (beside "meritò dicimus")]

magnus es tu, & faciens mirabilia; Tu es Deus ſolus. *Pſal.* 85.
Hæc itaq; attendamus fratres, hinc etiam conſolationem in omnibus tentationibus petamus, propter nos enim ſcripta ſunt. Quod enim Ionæ accidit, hoc & nobis contingit. An non multi ita tentationibus obruuntur, vt ipſis videatur, ꝙ iam perituri ſint, & ꝙ vident quaſi aperto ore infernum ipſos velle deglutire? In huiuſmodi tentationibus hæc hiſtoria Ionæ attendenda eſt. Hic enim videmus, quid Deus poſſit, quid faciat, & quid facere cupiat, ſi non à nobis prohiberetur. Hoc (inquam) facto Deus primò oſtendere voluit potentiam ſuam, nimirum ꝙ ipſe ſit Dominus mortis & omnium rerum. Deinde, ꝙ vbiq; ſit, omniaq; videat, & ſciat, & vbiq; ſe inueniri patiatur. Iuxta illud, Si *Pſ.* 138.
aſcendero in cælum, tu illic es, &c. Nuſquam enim non præſto eſt, in morte, in inferno, in medio inimicorum, in mari, &c. Præterea hîc etiam oſtendere voluit, ꝙ ſine negotio nobis opitulari poſſit, ſua omnipotentia, etiam in rebus deploratiſſimis. Sed & hoc oſtendere voluit, ꝙ homo, etſi ab omnibus hominibus & creaturis derelinquatur, non ideo tamen derelictus eſt à Deo. Poſtremò, quòd Deus omnes creaturas in manu ſua habeat, easque ad vtilitatem & ſeruitium piorum ordinare poſſit & ſciat, quemadmodum Ionas hîc experitur etiam cetum ſibi exhibere miniſterium. Hæc quidem etiam aliâs in ſcriptura expreſſa vidernus, idque non ſemel aut in vno loco tantùm. Sic in Deuteronomio de omipotentia ſua loquitur Deus; Videte, quòd ego ſim ſolus, & non eſt mecum Deus *Deut.* 32
alienus; Ego occidam, &c. Sic quòd Deus vbique ſit, & omnia videat; in Hieremia habemus, Cælum, in- *Hier.* 23
quit, & terram ego impleo; Si abſconditur vir, & non videbo eum? &c. Sic in Eſaia promittit auxilium ſuum; Si tranſieris, inquit, per ignem, flamma non *Eſa.* 43.
nocebit tibi, &c. Sic de miniſterio creaturarum dicitur in Euangelio; Signa autem eos, qui crediderint, *Mar.* 16.
hæc ſequentur; In nomine meo Dæmonia eiiciẽt; ſer-

Eſa. 11. pentes tollent. Et in Eſaia, Non nocebunt amplius beſtiæ in vniuerſo monte ſancto meo. Hæc, inquam, & ſimilia, vbique in ſcriptura occurrunt: at homo non facilè nudis verbis credit, ideo Deus huiuſmodi ſigna ſuæ potentiæ in Iona & aliis oſtendit, vt certò ſciamus Deum & omnia poſſe & optimè ſuis affectum eſſe. Noſtri igitur gratia, ad confirmandum ſcilicet fidem noſtram, Deus tam mirabilem omnipotentiæ ſuæ teſtificationem exhibuit, vt in illum credamus & confidamus, ſiue in morte verſemur, ſeu inter beſtias, inimicos, aut alia pericula: Vbique enim ſeruare poteſt Deus. Vnde nihil tutius, q̃ in illum fidere. Audiamus igitur & ſequentia. *Et fuit Ionas in uentre ceti tribus diebus & tribus noctibus*. Ecce aliud miraculum, quod & ipſum nouum eſt, nec vnquã aliàs viſum. Verè enim magnum opus eſt, hominem in mari, in ventre piſcis ſine cibo viuere, idq; toto triduo. Magnum, inquam, opus, ſed & magnæ rei figura fuit, nempe Paſſionis & Reſurrectionis Chriſti. Nec eſt quòd quiſquam hoc incredibile aut impoſſibile fuiſſe putet, nempe hominem tribus diebus in ventre ceti potuiſſe ſeruari. Si

Dan. 3. enim fidelis es, multò etiam maiora credere cogeris, quomodo ſcilicet tres pueri miſſi in caminum æſtuantis incendii, in tantum illæſi fuerunt, vt nec veſtimen-

Exo. 14. ta eorum vel odorem ignis ſentirent. Item, quomo-

Dan. 6. do receſſerit mare, & ad inſtar murorum hinc inde rigidum ſteterit, vt præberet viam populo tranſeunti. Item, quomodo aucta fame, leonum rabies prædam ſuam timens aſpexerit, nec tetigerit, & innumera alia. Quòd ſi infidelis es, lege Ouidii Metamorph. ibi audies hunc in laurum, hunc in auem conuerſum, &c. Imò ipſum Iouem nunc mutatum in cycnum, nunc in aurum, nunc in taurum, &c. Et ſi turpibus credis, cur non credas & honeſtis? Verùm gentiles relinquamus. Nos Chriſtiani ſimus & ſcire debemus,

Pſ. 113. Deum omnia poſſe quæcunque voluit & vult; Nec e-

Luc. 1. nim impoſſibile erit apud eum omne verbum. Cùm

igitur de mirabili hoc opere dubitare non poſſumus, reſtat, vt ipſo rectè vtamur: tunc autem rectè ipſo vtimur, ſi hinc dicamus Deo confidere in aduerſis, & nũquam de ipſius potentia & bonitate deſperemus. Si enim Deus Ionam tam potenter conſeruauit, tamque miſericorditer reſpexit in ſumma tentatione, qui tamen grauiter Deum offenderat, cur nos de Deo deſperemus? Certi eſtote fratres, quòd multò melior eſt Deus, q̃ nos credimus, plus item fortitudinis habet q̃ nos indigemus, cur igitur deſperaremus? Confidēter igitur ad eum curramus, hoc tamen omnibus modis curantes, vt puram fidem noſtram in ipſum conſeruemus, mandata eius cuſtodiamus, ꝙ ſi cõtigerit nos peccare, quàmprimùm ad pœnitentiam conuertamur. Non fallet Deus, non derelinquet clamantes & ſperãtes in ſe. Fidelis enim eſt, ſeipſum negare non poteſt. *2.Tim.2* Quòd ſi quis Deum in neceſſitate inuenire non quiuerit, reuera ſua ipſius culpa erit, ꝙ non rectè & ex toto corde eum quærit, &c. Myſteriũ huius hiſtoriæ in ſequentibus oſtendam, circa Paſſionem ſcilicet.

DOMINICA QVARTA.

QVi Euangelium hoc attendit, cum ſua Epiſtola aliiſque ſcripturæ verbis, quæ circa ipſum leguntur, ſimulque obſeruat, q̃ læta ſint omnia, cùm tamen in medio adhuc Quadrageſimæ ſimus, quæ per totum triſtis eſſe cõſueuit. Qui, inquã, hæc attendit, non dubitabit, quin Dominica hæc ſpeciale quiddam habeat, quod ad conſolationem & gaudiũ nobis deſeruiat: Et ita in veritate eſt: Lætum nuntiũ nobis affert dominica hæc: Et quidem ſummè neceſſarium eſt. Nemo tam fortis corpore, tam velox & promptus pedibus, qui diu ambulans,

bulans, non laſſeſcat ac deficiat, niſi ſubinde habeat, quo ſe refocillet. Et quomodo poſſit homo ſuapte natura infirmus, longam illam viam & duram verſus cœleſtem Hieruſalem conficere, vt non deficeret, ſi nullā omnino conſolationem ſentiret? Imò, quî fieri poſſet vt peccator in ſua pœnitentia, dolore, fletu, anguſtia non deſperaret, ſi nihil vnquā conſolatorium audiret? Oportet igitur ſemper triſtitiam & amaritudinē pœnitētiæ & præſentis peregrinationis, temperare melle diuinæ conſolationis. Sic enim & Deus ipſe facit:

2.Re.2. Thob. 3. Dominus (inquit ſcriptura) mortificat, & viuificat, deducit ad inferos & reducit. Et iterum, Poſt tempeſtatem tranquillum facit, & poſt lachrymas & fletum gaudium infundit. Huius exemplum ſuprà habuimus

Pſal. 74 in Iona. Propinauerat illi Deus plenum calicem, hoc eſt, multis malis ipſum obruerat, niſi autem ſimul cōſolationem ſuam immiſcuiſſet: quomodo, obſecro, Ionas perſiſtere potuiſſet? Sed quid fecit Deus? Cū Ionas in medio, imò ſummo, adhuc malorum eſſet, hanc ei Deus conſolationem miſit, quod nec totum mare ipſum ſuffocare, nec tam immanis piſcis ipſum occidere potuerunt, quin in eiſdem viuus & illæſus tres dies permanſit & tres noctes. Hinc autem manifeſtè ſentire poterat Deum adhuc cum ipſo eſſe, atq; adeò, & fidem ſuam confirmare, & ſpem ſalutis concipere potuit. Hoc fuit mel, quo Deus triſtitiam Ionæ temperauit, donec veniret tempus præfinitum, quo totaliter liberatus vitæ & luci huius mundi reſtitueretur. In hunc modum etiam nobiſcum agit Deus. Sumus enim in exilio, & quàmdiu in hoc tempore viuimus, peregrinamur à Domino, nauigamus ſemper in mari tempeſtuoſo, ſtamus quotidie in pugna, verſamur in deſerto, ſentimus quotidie inſurgentes tempeſtates tentationum, ac ſępe etiā cum Iona ſentimus, aquas ſuper capita noſtra excedere, videmus mortem, quaſi præ oculis, atque hæc pericula tam diu durant, quamdiu ſumus in Quadrageſima, hoc eſt, in pere-

grinatione noſtra. Nec vlla ſpes eſt nos ſecuritatem perfectam habituros, donec veniat lætum Paſcha, hoc eſt, donec tempus futuræ vitæ ſe aperuerit. Ne cui autem tempus hoc nimis longum videatur, quandoquidem plena redemptio noſtra longè adhuc abeſt, dat nobis Deus etiam hic conſolationes, replet gaudio corda noſtra, dat gratiam, conſolatur verbo, promittit futura bona, &c. Omnia in eum finem, ne in via deficiamus. En fratres, hoc ſignificat læta illa Dominica in medio triſtis Quadrageſimæ, nempe, quòd Deus ſuos non tantùm in futuro beatificare, ſed etiã in præſenti, non ſine ſua conſolatione relinquere vult. Huc pertinet quod Chriſtus etiam in medio deſerti, populum ſuis donis exhilarat, quantũuis longe eſſent à domibus propriis. Hinc item eſt, quod Paulus in Epiſtola hodierna tam inſigniter loquitur, de dignitate & conditione filiorum Dei, multò glorioſius autem de ſuperna patria. Fratres, inquit, ſcriptum eſt, &c. Hæc fuit hodierna Epiſtola. Atq; hîc videmus ſimul & coniunctim, quid & nunc acceperimus, & quid in futuro expectemus; Nunc ſuſcepit nos Deus in filios, fecit nos liberos per Chriſtum à peccato, morte, legẽ, & maledictione. Illic autem recipiet nos in domum ſuam, & in æternam hæreditatẽ nos ponet. Hoc nobis nunciat Dominica hæc. Hoc tam lætum nuntium audimus etiam in media Quadrageſima, hoc eſt, peregrinatione noſtra. Quid igitur poſſumus conqueri aut grauari de labore viæ? Nunquã tentatio & labor tam magna ſunt, quin ſi attendamus, etiã conſolationes Dei nõ minores & pauciores habeamus. Si igitur Deus tãta etiam nunc facit, quid tũc faciet in futuro? Si ſtillæ diuinarum conſolationũ, tã efficaces ſunt, qualis erit torrẽs ille voluptatis, quo Deus nos in regno ſuo potabit? Si triſtis Quadrageſima nõ caret ſuo ſolatio, quid fiet de tempore Paſchali, in futura ſcilicet reſurrectione. Non igitur tędio efficiamur fratres, in inchoata pœnitentia, non nos pœniteat viæ, quam iam confecimus,

Ioan. 6.

Ioã. 6.

Pſal. 35

quin patiamur quicquid Deus nos pati vult. Sequamur
Ioan. 14 Chriſtum etiam ad deſerta, etiam ad crucem nos ducentem. Ipſe via eſt, non nos ſeducet: Ipſe veritas eſt, non nos fallet: Ipſa vita eſt, non perire nos ſinet: Det Deus Opt. Max. ita nos in pœnitentia & peregrinatione noſtra incedere, vt & hîc diuinę conſolationis & in futuro æternæ beatitudinis participes eſſe poſſimus. Amen.

PROSECVTIO IONAE.

Scitis, quòd in Iona noſtro nuper primum caput abſoluimus, in quo ſatis quidem audiuimus, quid & fecerit & paſſus ſit. At nihil adhuc verborũ eius audiuimus, niſi tantummodo duo illa, quorum altero & peccatum ſuum confitebatur, & fidem ſuam teſtabatur: altero ſententiam mortis in ſeipſum ferebat. Sed dicis, nihílne aliud dixit aut docuit Ionas? Si Propheta eſt, vbi auditur eius prædicatio? Quid aliud expectatur à Propheta, quàm verbum Dei & ſermo diuinus? Expecta frater, iam iam audies & prædicationem Ionæ: quanquam vel duo illa verba pro multis concionibus nobis eſſe debent. Breuia quidem ſunt, ſed verè inſignia, poſſunt citò proferri, ſed non ſine magno labore pręſtari. Videmus et experimur in nobis, quàm inuitos nos præbemus ad confeſſionem peccatorum, quando igitur nos offerremus ad mortem? Inſignia igitur verba ſunt, & vtinam vel in omni vita etiam tot lectionibus & concionibus hoc diſcere poſſemus. Sed age, ſi libet, imò quia ordo hiſtoriæ hoc exigit, etiã alia ipſius verba audiamus. Non deerunt nobis conciones in hoc Propheta, nos tantùm videamus, vt attenti ſimus, & quæ audimus, opere impleamus. Sequitur. *Et orauit Ionas ad Dominum Deum ſuum de uentre piſcis.* In hac oratione ipſius Ionæ ſimul videbimus, & quid ipſe in tribulatione illa ſua ſenſerit in corde, & quid fecerit, cogitarit, ſperaueritque, quorum vtrunque notatu digniſſimum

ſimum eſt. Tentationes quidem experiri rarum non eſt, at magna ars eſt, ſcire, quid in tentatione agendũ ſit. Multi quidem experiuntur, quæ Ionas expertus eſt: at pauci faciũt quod ipſe fecit: vnde & nec liberãtur, ſicut ipſe, ſed planè in miſeria deſperabundi relinquuntur. Quid igitur fecit Ionas? Orauit, inquit, ad Dominum, &c. Verbum hoc cum magno pondere & emphaſi poſitum eſt. Ionas, inquit, non plorando & eiulando ſeipſum confecit, multò minus maledixit aut blaſphemauit, quin nec deſperãdo de ſalute ſua tacuit. Sed quid? Clamauit inquit, Nec hoc ſimpliciter, ſed ad Dominum Deum: Et quanquam ipſum videbat iratum ſibi, non dubitabat tamen adhuc Deum ſuum eſſe. Denique etiam in ventre ceti poſitus & concluſus, non deſperauit, ſed ex vẽtre piſcis orauit. Vides quãtum pondus habeant hæc verba. Atque hîc prima ſtatim facie habemus id quod optimum & certiſſimũ eſt in tẽtatione. Eiulare ſiquidem et plorare nihil proſunt, non liberant hominem, nõ auferunt tentationem, ſed augent miſeriam, iraſci & blaſphemare multò minus prodeſt, imò auget iram Dei. Tacere autem & deſperare, rem omnem præcipitant: Orare autem multum valet, maximè ſi fiat, vt in Iona videbimus. Orationem igitur Ionas arripuit, & cùm proiiceretur in mare, & cùm arriperetur à ceto, in eaque perſeuerauit, quãdiu in tribulatione ſua fuit. Quid enim aliud faceret? Nec enim ſeipſum iuuare poterat, nec ab aliqua creatura auxilium ſperare, congruè igitur ad Deum currit. Hic enim locum habet, quod Ioſaphat dixit: Cùm ignoramus quid agere debeamus, hoc ſolùm nobis reliquum eſt, vt oculos ad te Deum noſtrũ leuemus. Hic igitur primò videmus, quòd Ionas etiam in tantis periculis, & tam aperta contra ſe ira Dei, non deſperauit de eius miſericordia, alioqui non oraſſet. Et alius quidem, etiã ſi prius oraſſet, in eo caſu potius orare deſiiſſet, ſecum cogitans, orationem iam nihil amplius profuturam, quãdo mors in ianuis eſſet: At Ionas tunc vel maximè

2. Pa. 20

orare incipit, cùm videntur omnia deſperata. Hoc aũt iudicat fidem ipſius inuictam etiam tunc fuiſſe, nec in aliquo eum de Dei clementia dubitaſſe; Vbi autem fides in corde inuicta maneţ, & ex fide homo feruenter clamat. ibi bene agitur cum homine, etiamſi in maximis periculis ſit. Impoſſibile (inquam eſt) vt talis homo pereat. Hoc igitur diſcamus à Iona. Hoc enim vel maximè nobis deeſt, quòd ſcilicet adueniente tentatione, ſtatim puſillanimes efficimur, dubitamus de Deo, trepidamus, deſperamus. Hæc eſt enim natura filiorum Adam, imò hoc eſt ingenium omnium noſtrûm, nempe, quòd in proſperis tam ſumus petulantes, tam procaces, tam faſtuoſi, tam feroces & laſciui, vt nihil ſuprà. Ibi verò fruſtrà ſunt omnes minę, nihil valent terrores, nec quicquã terremur ad tot, tamq́; horrenda diuinæ iræ exempla: Omnia riſus & iocus nobis videntur. At rurſus, quoties mutatis vicibus rerum, à Deo pœna immittitur, tam ſumus meticuloſi & trepidi, tam abiecti & anguſti animi, vt nulla conſolatione, nullis bonis, &c. recreari & conſolari poſſimus omnium obliti, quæ vnquam de Deo audiuimus, nec admittentes, etiamſi diuinæ potentiæ, bonitatis & promiſſionum admoneamur. Vbi autem nulla fides in corde eſt, illic nec ſequitur oratio, Quomodo enim inuocabunt, in quem nõ crediderunt? Hinc eſt, ꝙ in tentatione non oramus, ſed vel ploramus, vel blaſphemamus, vel omnino deſperamus. Sed vnde nam prouenit, ꝙ tam inuiti etiam in neceſſitate Deum adimus? Hoc non aliunde prouenit, q̃ ex peccato & mala conſcientia, quæ ita nos deprimunt, vt oculos ad Deum leuare non audeamus. Vbi enim peccatum eſt & mala conſcientia, ibi certò eſt ira Dei: vbi autem quis nihil aliud in Deo videt, niſi iram, iuſtitiam, vindictam, ibi certò potius ab eo q̃ ad eum fugit. Mala igitur conſciẽtia in cauſa eſt, ꝙ ad Deum ire trepidamus. Ad quid autem prodeſt fugere, vbi non licet effugere? Videmus hoc in Iona q̃ miſerum ſit fugere, vbi nullum

Rom. 10

lum eſt effugium. Quòd ſi etiam tertium acceſſerit, quòd ſcilicet homo fugere cupiens, & tamen effugere non valens, etiam non audeat Deum inuocare. Quid miſerius illo homine eſt? Atqui omnibus impiis hoc ſolet accidere, quòd fugiunt quidem à Deo, ſed non effugiunt, & tamen nec ipſum orare audent. Exemplo ſint Adam, Cain, Iudas & damnati in inferno, imò non minima pars, hoc eſt æternæ damnationis. Sic enim omnino agetur cum damnatis, quòd & iram Dei cupient fugere, ſed nunquam effugere, nec pro impetranda gratia, ſublata ad Deum voce clamare poterint. Ad hunc modum & Ionas in principio fugerat, & etiã deprehenſus & effugere non valens, tacebat ad tempus, nec Deum inuocabat; Nunc autem malis edoctus, imò gratia Dei illuminatus, orat, & clamat. Verè enim ex gratia Dei habet, qui hoc poteſt. Hoc igitur exemplum Ionæ diligenter expendamus. Primò igitur vide, quis ſit Ionas ille, nempe peccator, ſimilis nobis, & tamen ad Deum in tentatione currit & clamat. Si enim ad Deum accedere noluerimus, donec vllius peccati nobis conſcii ſumus, nunquam ad Deum orabimus. Deinde, etſi apertè videret iram Dei & contra ſe potiſſimè, imò contra ſe ſæuientem, tamen currit ad Deum, quantumuis Deus ſæuire & iraſci videretur. Poſtremò, quamuis iam omnia circa ipſum deſperata videbantur, iam enim ad ſummũ tentatio peruenerat, iam in aquã præceps ruebat, iam ima & profunda maris petebat, iã piſcis aperto ore ipſum apprehendebat, & tamen ad Deum orabat. Vides quãtam fidem habuerit Ionas? Nihil aliud circumquaq; videbat, niſi ſignæ iræ diuinæ, & tamen quaſi nihil horum videns & ſentiens, perrũpebat ad gratiam diuinã, qua ſciebat cor Patris ſummi plenum eſſe. En ita nobis quoq; agendum eſt. Etiãſi ſumus peccatores, etiam ſi videmus iram Dei, etiamſi res ad ſummam deſperationem venerit, tamen ad Deum clamemus, ac per irã, pœnam, & inclementiam, tanquam per meras ſpinas,
imò

imò per medios gladios & cuſpides perrumpamus ad Dei gratiam & miſericordiam, nec quicquã nos hinc
Luc. 23. abſterrere patiamur, quemadmodum & latro ille dexter ad inuocandum Chriſtum properauit, nihil præpeditus vel magnitudine peccatorum ſuorum, vel pręſenti plaga Dei, quam ſentiebat, vel etiam breuitate temporis, quod ſibi adhuc ſuperat: Ideo & gratiam inuenit. Qui enim talem habet fidem, tale cor, imò qui tam bene & magnificè de Dei bonitate ſentire ſcit, impoſſibile eſt, vt relinquatur. Scriptum enim eſt,
Iohel 2. Omnis qui inuocauerit nomen Domini, ſaluus erit.
Eſa. 28. Et, Qui credit in illum, non confundetur. Hoc videbimus in Iona. In omnibus igitur tentationibus, hoc ſemper primum nobis eſſe debet, vt omnibus aliis omiſſis, quantotius ad Deum curramus & clamemus, noſtram neceſſitatem querula illi voce exponentes. In hoc, inquam, omnis res ſita eſt, vt clamemus; nam in Deo nulla mora eſt. Maior eſt enim eius miſericordia, q̃ vt eos repellat, qui ad eum clamant, & in eum ſperant. Et quãdiu homo hoc agit & agere poteſt, bene cum ipſo agitur, qualiſcunque tandem ſit, & quãtacunque tentatione prematur: Imò nec in inferno vlla eſſet damnatio, ſi damnatis vllus locus relictus eſſet inuocandi Deum. Hæc itaque in genere dicta ſint de oratione Ionæ. Nunc audiamus etiam, quibus verbis orauerit Deum. Sic autem dicit:

Clamaui de tribulatione mea ad Dominum.

Hoc primum verbum eſt quaſi ſumma totius orationis. Vult enim Ionas oſtendere, quòd non fruſtrà orauerit. Atque hæc eſt prima eius concio. Hoc omnibus hominibus notum & inculcatum eſſe voluit, nempe, quòd Deus ſit exauditor clamantium ad ſe.
Pſal. 33 Hoc idem & Dauid oſtendere voluit, cùm dixit: Benedicam Dominum in omni tempore, &c. Et addit cauſam. Iſte, inquit, pauper clamauit ad Dominum, & exaudiuit eum, &c. Verè autem conſolatoria concio eſt, tam læta de auxilio & exauditione Dei audire.

Cæterùm

Cæterùm hoc loco etiam ipſa verba ſic poſita ſunt, vt quodlibet ſuum pondus & emphaſim habeat. Primò enim non ſimpliciter dicit: Oraui ad Dominum: ſed, Clamaui, quod vehementius quiddam ſonat. Oſtendere igitur voluit ſe q̃ vehementiſſimè & ex totis affectibus oraſſe, id quod etiam facilè creditu eſt: Tentatio enim docet feruenter orare. Extra tentationem enim, & neceſſitatem, admodum tepidè, & negligenter & frigidè oramus, vt plerũque etiam vix nos ipſos audiamus. Atqui oratio dici non meretur, niſi affectus mentis aſcendat ad Deum. Quomodo autem aſcẽdere poterit, ſi frigide oremus? Prima igitur conditio orationis eſt, vt ſit feruens, & ex corde procedat. Oportet, inquam, vt clamemus, non quidem voce, ſed corde & affectu, imò fide. Clamaui (inquit Ionas) veriſimile eſt, Ionam etiam voce clamaſſe in ipſo illo caſu ſuo, in mare & ventrem ceti: verùm indubiè magis fuit clamor cordis & fidei, q̃ oris. Clamauit igitur animo ſemper q̃ diu fuit in ventre piſcis. Is animi clamor eſt, quem maximè Deus vult, & quo ſpiritus Domini IESV clamat in cordibus noſtris. Abba pater. In hunc modum clamabat Moyſes coram DEO, etiam ſi nulla eius vox aut verbum audiretur. Vnde Dominus ei dixit: Quid clamas ad me? Sic & Dauid clãmabat, cùm dicit: Clamaui in toto corde meo, &c. Beatus qui ſic in tribulationibus & ſemper clamare nouit, impoſſibile enim eſt eiuſmodi clamorẽ non exaudiri. Obſeruandum autem, quòd Ionas non ſimpliciter dicit ſe clamaſſe, ſed ad Dominum. Nam alias & impii clamant in aduerſis, ſed non ad Dominum, vt ſuprà audiuimus in nautis illis, quorum quilibet Deum ſuum inuocabat. Ionas autem clamabat ad Dominum, non ſicut ratio, imò impietas humana ſibi fingit DEUM, ſed ad eum, qui verè eſt, & erat, & permanebit Dominus. Is enim ſolus eſt, qui adiuuare & ſaluare poteſt. Videte, inquit, quòd ego ſum ſolus: Ego occidam, & ego viuere faciam: percutiam, & ego ſanabo, &c.

Gal. 4.

Ex. 14.

Pſ. 118.

Deut. 22

nabo, &c. Hunc igitur inclamabat Ionas, ipſum autem non iudicem aut Tyrannum nominat, ſed Dominum, ſeq; ſeruum eius, quantũuis Deus iratum iudicem ſe erga illum oſtẽderet, imò videretur illum totaliter abieciſſe. Et hic igitur videmus quõ miſericordiã Dei etiam in ipſa ira apprehẽderit. Verùm de hoc ſuprà ſatis dictũ. Sequitur: *Et exaudiuit me.* Pulchra ſequela, alioqui q̃d prodeſt clamare, vbi nemo exaudit, imò q̃d miſerius? Vnde & Deus hoc ipſum pro magna
Eſa. 1. pœna cõminatur. Cùm clamaueritis, inquit, non exau
Prou. 1. diã: cùm extenderitis manus, non reſpiciam, &c. Verè magna pœna eſt, imò certa ira Dei, vbi non exaudit: Econtrà autem magna gratia eſt, vbi exaudit: Econtrà
Eſa. 58. autem magna gratia eſt, vbi exaudit. Vnde & pro ma-
& 65. gna gratia hoc promittit Eſaiæ, & in Dauide: Clama-
Pſal. 90 uit, inquit, ad me, & exaudiam eum. Obſeruandum ꝙ in Hebræo non habetur, Exaudiuit me; ſed, Reſpondit mihi. Hoc autem maius quiddam eſt: Nam alioqui nõ rarò contigit, quòd homo exauditur, nõ tamen ſtatim ei reſpondet Deus, hoc eſt, non certificat eum de exau-
Thob. 3. ditione. Sic Thobias & Sarra exauditi fuerũt, non tamen ſtatim illis reſpondit Deus, hoc eſt, non ſtatim re ipſa oſtendit ipſos exauditos, mala ipſorum auferendo, ſed poſt multos dies. Ionas autem primùm dicit, Clamaui & reſpondit mihi: nam & ipſum certificauit de exauditione, & paulò pòſt etiam re ipſa liberauit eum. Hoc igitur Ionas recenſet, ad commendationem gratiæ Dei. Magnam enim emphaſim habet quod dicit: Dominus exaudiuit me. Quaſi diceret, Quis ſum ego?
Pſ. 33. quis ille? Ego pecator, ille Dominus omnium, & tamẽ tam velociter exaudiuit me: verè bonus Dominus. In hunc modum & Dauid quaſi admirans de gratia & bonitate Dei: Iſte pauper, inquit, clamauit ad Dominum, iſte abiectiſſimus & contemptiſſimus Dauid ad Deum ſummum, & tamen eum non deſpexit, ſed exaudiuit eum, imò & eripuit eum. Et addit admonitionem: Accedite igitur ad eum, & illuminamini, & facies veſtræ
non

non confundentur. Et alibi, Bonum eſt ſperare in Domino, quàm ſperare in homine, &c. Ob hanc cauſam & Ionas hanc Dei dignationem nobis deprædicat, nimirum, vt gaudeamus & gratias agamus nos talem Deum habere, confidentiuſque ad eum accedamus. Denique maiori diligentia caueamus, ne noſtro vitio alius nobis reddatur & fiat. Pſ. 117.

FERIA QVARTA.

DE Euangelio hoc idem dico, quòd ſuprà etiam dixi de muliere Samaritana. Nonnihil tẽporis ob ſuam prolixitatem iã nobis abſumpſit. Quòd ſi conarer circa eius expoſitionem immorari, iam planè impedirer, ne Ionam hoc tẽpore abſoluere poſſem, cuius omnes adhuc conciones enarrandæ reſtant, cùm tamen tempus Dominicæ paſſionis iam iam pro foribus ſit, quare cogor diffuſiorem expoſitionem Euangelii omittere. Cæterùm, quod hîc diminuitur, abundè ſupplebit Ionas noſter. Nam potiſſimum huius Euangelii eſt, quòd Chriſtus cæcum hunc mendicum tam miſericorditer reſpexit, & tam potenter illuminauit. Atqui hoc ipſum eſt, quod Ionas noſter proxima cõcione nobis prædicare & commendare incepit, nempe Dei bonitatem & potentiam in ſubleuandis miſeris: Clamaui, inquit, in tribulatione mea ad Dominum, &c. Hîc auditis, quòd Ionas eã ipſam intentionẽ in his verbis habuit, quam & Ioannes habuit in hoc Euãgelio, vterque cõmendare voluit Dei potentiam & bonitatem erga miſeros, ideo rectà ad Ionam conuerſi, audiamus quid ipſe de bonitate Dei nobis prædicet.

PROSECVTIO IONAE.

AVdiſtis ſuperiori ſermone, quid Ionas fecerit eo tempore, cùm & in mare præcipitaretur, & à ceto deuoraretur. Orauit, inquit, ad DOminum DEum ſuũ, tunc enim vel maximè videbat veriſſimum eſſe, quod de DEO Dauid dixerat: Tibi derelictus eſt pauper, orphano tu eris adiutor. Hoc, inquã, Ionas antehac nunquam tam bene intellexerat. At nunc videt ſibi in toto mundo nihil ſupereſſe niſi DEum, ideo omnibus aliis omiſſis, ad orationem ſe cõuertit. Cæterùm hæc ipſius oratio diligenter literis mandata eſt, Spiritu ſancto ſcilicet auctore, ad conſolationem, exemplum, & doctrinam omnibus hominibus, quamuis potius gratiarum actio, quàm oratio ſit dicenda: Imò nos eam accipiemus, non tantùm vt orationem ſeu gratiarum actionem, ſed etiam vt prophetiam ſeu propheticam concionem, in orationis modum compoſitam, quemadmodum Dauid omnem ſuam prophetiam in Pſalmos & orationes redegit. Multa enim tũ vtilia tum neceſſaria Ionas in hac ſua oratione nos docet. Nam primò, vt dictum eſt, commendat nobis diuinam bonitatem. Deinde ſuo ipſius exemplo, depingit tentati hominis, & contra deſperationem pugnantis, ſtatum et cõditionem. Poſtremò arguit hominum ſtultitiã, qui & præſentem Dei bonitatem & futurum ipſius iudicium ſciẽtes, in ſua tamen vanitate permanent. Omnia autem hæc obſeruatu digniſſima ſunt. In primis igitur & ante omnia diuinam nobis bonitatem & potentiam commendat, tum vt ſe gratũ oſtenderet, tũ vt nobis ſpem & animum adderet, fiducialiter ad Deum accedendi. Ita autem de Dei bonitate diſſerit, non vt cæcus de coloribus, ſed de re certiſſima, quam in ſeipſo expertus fuerat. Clamaui, inquit, in tribulatione mea ad DOminum, & exaudiuit me. Nec contentus ſemel hoc dixiſſe; idẽ repetit, licet aliis verbis. Cuperet enim omnibus

Pſal. 9.

bus omnium cordibus hoc infixum eſſe, vt nemo non magnificè de Deo ſentiret. Quaſi diceret: Nolite paruum quid æſtimare, quòd dixi me à Deo exauditum in mea tribulatione. Sicut enim non leuis aut vulgaris fuit mea tribulatio, ſic verè non vulgaris fuit illa exauditio, ſed noua, ſed mira, quam nemo ſperare potuiſſet. Nam: *De uentre inferni clamaui, & exaudiſti uocem meã.* Vult dicere, Quòd ſancti & pii homines ad Deum audent clamare & etiam exaudiuntur, non mirum nec nouum eſt: ego autem eram peccator, & tamen auſus fui ad Deum clamare. Deinde nec hoc mirum, ſi quis in templo Hieroſolymitano poſitus exauditur: ego autem iacebam in maris profundo, concluſus in ventre piſcis, imò ſepultus in medio inferni, & tamen me exaudiuit Dominus. Hanc laudem Deo meo tribuo, hanc eius bonitatem commẽdo, hanc & vos obuiis manibus amplecti debetis. In me enim videtis, quòd nemo tam incluſus & abſconditus, nemo tam abiectus & deſperatus eſt, quem Deus non & videat & audiat. In me, inquam, videtis, quòd Deus etiam peccatores non abiicit, cùm ex toto corde ad ipſum currunt. Nolite igitur deſpondere animum in tribulatione, erigite corda veſtra surſum, cogitate qualem Deum habeatis, imò gratias agite, quòd tam piũ habetis. Ipſum igitur fiducialiter inuocate. Quàm enim eius bonitatem ego ſenſi, & vos experiemini. Fidelis eſt Deus, nõ poteſt ſeipſum negare, imò in me oſtendere voluit, quid vos ab ipſo expectare debeatis. Vidiſtis, quàm ſeuerus anteà in me fuit, cùm inobediẽs eſſem: videtis nunc econtrà, quàm benignus in me ſit, cùm ipſum inuoco. Hoc idem vobis de ipſo polliceamini, &c. En fratres hęc eſt cauſa, cur Ionas ſecundo repetit ſe à Deo exauditum. Nimirũ, vt magis admiremur & laudemus Dei bonitatem, quemadmodnm & Dauid monet. Laudate, inquit, pueri Dominum, &c. Et addit cauſam, Excelſus enim ſuper omnes gentes Dominus, &c. Imò, Quis ſicut Dominus Deus noſter, qui in altis habitat, & humilia reſpicit

3. Reg. 8
2. Ti. 2.
Pſ. 112.

ſpicit in cælo & in terra: Suſcitat de terra inopem, &c. Hęc, qui diligenter attendit & credit, nunquam deſperabit in ſua tribulatione, quantacunque tandem ſit. Quòd autem Ionas dicit, ſe è ventre inferi clamaſſe, non ſic intelligendum eſt, quaſi in inferno verè & realiter fuerit, hoc eſt, in loco damnatorum. Ibi enim nulla eſt redemptio, vnde & ex eo redire non potuiſſet. Nec piſcis ille potuit eſſe infernus: quantumcunque enim magnus fuit, non tamen potuiſſet in ſe recipere omnes dãnatos. Non enim tam pauci erunt dãnati, vt in vno piſce includi poſſint. Sed loquitur hîc Ionas ſecundum conſuetudinem ſcripturæ, imò ſecũdum quod ipſe in ſe tunc ſenſit. Tam horribilis enim erat aſpectus huius piſcis, tanta in ventre eius vaſtitas, tam denſæ tenebræ, tam crebri terrores, tam nullum effugium aut exitus, denique tã certa expectatio mortis & perditionis, vt Ionæ idem fuerit, ac ſi in ipſo inferno eſſet. Qui enim in his malis eſt, verè dicere poteſt, ſe in inferno eſſe. Quid enim aliud eſt in inferno, quàm tenebrę, terrores & perpetui horrores, mors, perditio, & nulla ſpes redemptionis? Sic Iob putabat ſe in inferno
Iob 17. eſſe. Si ſuſtinuero, inquit, infernus, domus mea eſt: imò in profundiſſimum infernum deſcendent omnia mea. Sic Dauid non ſemel gratulatur, ſe liberatum ab
Pſal. 29. inferno: Domine, inquit, exaltabo te, quoniam ſuſcepiſti me, &c. Eduxiſti ab inferno animam meam. Et
Pſal. 85. iterum, Eruiſti animam meã ex inferno inferiori. Ad hunc modum & Petrus interpretatur de Chriſto illud Pſalmi: Quoniam non derelinques animam meam in
Act. 2. inferno: Per infernum enim ſignificari & intelligi voluit dolores mortis acerbiſſimos, quos Chriſtus in cruce emittens ſpiritum, poteſtatiq; diuinæ ſe offerens, perſenſit. In hunc modum etiam Deus dicitur deducere ad inferos, & reducere. Sic & Ionas noſter dicit ſe de ventri inferni clamaſſe, & exauditum eſſe, hoc eſt, de ventre piſcis, in quo verè dolores & terrores mortis & inferni ſenſit. Sed audiamus etiam ſequentia:

Et proieciſti me in profundum, in cor maris. Hæc eſt ſecūda pars huius orationis, in qua Ionas ea numerat, è quibus facilè coniicere poſſumus, quomodo cor ipſius affectum fuit, antequam ad Dominum clamaret, & ꝙ fides eius tot tẽtationibus expoſita penè ſuccubuiſſet. Atque adeò in hoc textu ſuo ipſius exemplo, depingit nobis tentati hominis, & contra deſperationẽ pugnantis ingenium & cõditionem. Multis autem verbis hîc vtitur in deſcribendo periculo ſuo,vt ſimul videamus, quàm grauiter premat tentatio & manus Dei, & quàm non poſſit ſuis ipſius viribus homo in ea tẽtatione perſiſtere. Sed verba ipſa expendamus. Primò, proieciſti, inquit, me in profundum. Ecce vnum periculum, ſed tolerabile adhuc. Multi enim in profundum cadunt, ſed iterum euadunt? Ionas autem maius quiddam addit. Non ſolùm,inquit, in profundum me abieciſti,ſed in cor maris,hoc eſt, in medium maris. Cor enim medium eſt in animali. Hic nunc magis periculum fuit. Tripliciter igitur Ionas hic malum ſuum exaggerat. Proieciſti, inquit, me in profundum, in mare, imò in medium maris. Nec hic contentus,addit & alias exaggerationes. *Flumen*, inquit, *circundedit me, omnes gurgites tui ſuper me tranſierunt, pelagus operuit me.* Et hic igitur ſequens verbum ſemper maius periculum oſtẽdit, in magno periculo eſt, quem flumina circundant à lateribus: in maiori tamen, cùm ſuper eius caput gurgites tranſeunt: in maximo autem, cùm aquæ illæ non tranſeunt, ſed manent ſuper caput eius, ipſumq́; operiunt. Verùm nec ſic ceſſat Ionas exaggerare periculum ſuũ: *Circundederunt me*, inquit, *aquæ uſque ad animam, abyſſus uallauit me, ad extrema montium perueni, terræ uectes concluſerunt me in æternum.* Et hîc igitur quodlibet verbũ ſuũ pondus habet. Hoc autem vult oſtendere hac multiplicatione verborum, ſe ita vndiq; concluſum & terra, & mari, vt ſecundum hominum iudicium, impoſſibilis eſſet eius liberatio. Quemadmodum enim in carcerẽ coniecto, in turri planè manendum & moriendum eſt,

ſi ianua peſſulo muniatur: ſic quoq; ſubmerſo manendum eſt in mari, vbi à fluctibus abſorptus interiit. Et tunc quidem à terra concluſus eſt, hoc eſt, à montibus quibus vndique mare ſeptum eſt, ita captiuus tenetur, vt nulla ſit enarrandi, aut euadendi ſpes relicta. Atque hinc planè coniicimus, quales cogitationes animum Ionæ tunc timuerint, quod & infrà ipſe planius exponet. Sed quam, inquis, ob cauſam tot verbis periculũ ſuum exagerauit? Primò, vt in eius liberatione maior & mirabilior appareat Dei gratia & potentia, ad perpetuam ipſius Dei gloriam, & omniũ afflictorum cõſolationem. Deinde per hoc omnibus oſtẽdere voluit, quàm exactè Deus noſtram inobedientiã punire ſciat. Non tam peruerſos nos oſtẽdere poſſumus, vt Deus nobis reſpondere non poſſit. Hoc (inquit Ionas) ego in me ipſo expertus ſum. Puto enim inobedientiam meã egregiè punitam eſſe. Fugere volebam à terra, & ecce ad extrema vſque montium deſcendere coactus ſum: Abſcondere me volebam, nunc aũt verè me abſcondit Deus, vt nemo me facilè inuenire poſſit: In mari ſecuritatẽ mihi pollicebar, ecce aũt nunc experior, qualis ea ſecuritas ſit. Verbum Dñi abieceram, nunc econtrà ex omnibus hominibus abiectus ſum. Niniuitis inuidebam conſolationem verbi diuini, & ecce nunc omniũ creaturarum ſolatio deſtitutus ſum. Nolebam vt Iſraëlitæ ex prædicatione mea confuſionem aut damnum ſentirẽt, & ecce ſolus nunc vtrunque ſentio. Puto, inquam, me ſatis inobedientiæ meæ pœnas luiſſe. Hęc igitur nobis admonitioni ſint, ne ſimilia attentemus. Nihil enim tutius eſt, q̃ Deo humiliter obedire. Cum electo, inquit, electus eris Domine, & cum peruerſo peruerteris. *Pſal. 17* Maximè autem Ionas hac multiplicatione verborum oſtendere voluit, quid tentatus homo ſecum cogitet aut ſentiat, & quàm graue ſit iudiciũ Dei portare, quamque nulla hic ſit fortitudo noſtra. Iudicante enim Domino, neque intus, neque foris pax eſt. Externè videmus proiecti in extrema mala, putamus

mare & aquas caput noſtrū excedere, putamus impoſſibile eſſe, vt euademus. Internè autem, quod omniū maximum eſt, videmus iram Dei, atque adeò omnes creaturas nobis implacabiliter iraſci. Hinc Ionas, nec nautas, nec mare incuſat, non dicit: Nautæ me proiecerunt: ſed, Tu me proieciſti: nec dicit ſimpliciter, Gurgites ſuper me tranſierunt: ſed, Gurgites, & fluctus tui. Quæ verba apertè indicant, quòd cum externis malis, etiam iram Dei ſenſerit. Quid autem gaudii poteſt eſſe cum eo homine, qui ſimul & creaturas & Deum videt ſibi aduerſari? Imò quid aliud in ipſo & circa ipſum eſſe poſſet, niſi crebri & perpetui terrores, anguſtiæ, &c. Atque hoc eſt, quòd Moyſes etiam verbo Domini contemptoribus Dei comminatus eſt. Dabit, inquit, tibi Dominus cor pauidum, &c. & erit vita tua ſicut pendens ante te: Timebis die & nocte, &c. Et iterum: Timebis ad ſonitum folii volantis, &c. Ex his vide, quæ ſit fortitudo noſtra in iudicio Domini. Imò ex his vides, q̄ nulla ſit præſumptio noſtra. Superbimus in rebus proſperis, ac videmur nobis, quòd nec Deum nec diabolum timere velimus: At in tentatione etiam folium cadens nos terret. Quid autem vilius & abiectius folio arido, quod ne extremi quidem puluiſculi flatum ſuſtinuere poteſt? attamen in iudicio Domini etiam glorioſiſſimi & ſuperbiſſimi Tyranni terrē tur eo. Quid igitur de viribus noſtris præſumere poſſumus? Quòd ſi in tentatione ſic terret ſtrepitus folii cadentis, quid mirum ſi Ionam vaſtiſſimi maris abyſſus terruit? Imò, q̄d in extremo faciet ignis tartareus, atq; adeò diuina maieſtas cū omnibus Sanctis & creaturis? Huc pertinet quod toties in Prophetis dicitur: Quis ſtabit coram igne deuorante? Et, Ante faciem indignationis eius quis ſtabit? Reuera, fratres, non eſt fortitudo noſtra, fortitudo lapidum, nec caro noſtra ænea, vt perſiſtere poſſimus in igne tentationis. Nemo igitur in ſeipſo confidat. Aliud nobis requirendum eſt, in quo confidamus & tuti conſiſtamus, nempe id, quo Ionas

Deu. 28.

Leu. 26.

Eſai. 33.
Nahū 1.
Iob 6.

vſus eſt, fides ſcilicet & oratio ad Deum. Sic Dauid,
Pſal. 17 Dominus, inquit, firmamentum meum & refugium
Eſa. 28. meum, &c. Chriſtum nobis poſuit Deus lapidem fundamentalem, cui qui innititur, non confundetur in
Matt. 7. æternum. Etiamſi enim veniant flumina, & flauerint venti, non nocebunt homini illi. Fundatus enim eſt ſupra firmam petram.

FERIA SEXTA.

EVANGELIVM hoc vnum è præcipuis miraculis Chriſti habet, ac ꝑpterea omnibus Chriſtianis cõmendatiſſimum eſſe debet. Eſt enim hiſtoria, quę vel ſola ſufficiens eſt, fidẽ noſtram in Chriſtum confirmare, etiamſi nihil aliud de ipſo haberemus. Hic enim certum & indubitatum diuinæ potentiæ opus videmus: Tale (inquam) opus, quod nemo negare, nemo reprobare, nemo perperam interpretari poteſt. Hic etiam audimus ea verba, quorum ſimilia à condito mundo nunquam audita fuerunt. Quid enim potentius eſſe poteſt, quàm quòd Chriſtus etiam mortuos, etiam ſepultos, etiam quatuor dies in monumento habentes, excitare ſolo verbo potuit? Quid magis conſolatorium, quàm quod idem dicit: Ego ſum reſurrectio & vita, ac omnibus generaliter in ipſum credentibus, promittit vitam perpetuam, citrà vllum ſenſum mortis. Ob has igitur cauſas Euangelium hoc omnibus Chriſtianis meritò debet eſſe cõmendatiſſimum. Hoc qui non facit, verè ignorat, quantum roboris & conſolationis hoc ipſum Euangelium præſtet in neceſſitate mortis: verùm de his latius diſſerendi non eſt tẽpus nunc. Vnum hoc intactum & irreprehenſum prꝑterire non poſſum, nempe, ꝙ plerique circa hoc Euangelium

gelium prætermiſſis omnibus, quæ Chriſtus agit & loquitur, tantummodo inutilibus ſe occupant, curioſè quærentes ac ſcire cupientes, vbi nam locorum Lazarus hoc triduum mortis ſuæ fuerit, quid cogitarit, quid fecerit, quid ſenſerit, quid viderit, denique quæ noua ex longinqua illa regione mortuorum ad viuos attulerit. Tales, inquam, homines inueniuntur, qui Lazarum audirent noua quædam de altero mundo afferentem, interim nec Chriſtum, nec Euangelium eius curantes. Hos tu ne dixeris Chriſtianos, qui neglectis neceſſariis, curioſa tantùm & inutilia ſectantur? quãuis non impunè hoc faciãt. Iuſta enim permiſſione Dei inueniunt alios, qui vt curioſitati eorũ ſatisfaciant, fabulas ſuper fabulas, mendacia ſuper mendacia afferũt, ne.ſ. deſint ſimiles labris lactucæ, ſicq; iuſto Dei iudicio fit, vt incerta amplectentes, quæ certa ſunt negligant, & mendacio credentes, veritatem prætereant. Iuſtus es Domine: Sic puniri debet curioſitas noſtra. 2.Th.2. An non autem melius eſſet, vt ſcriptura manentes, ea curioſè non inquireremus, quæ Deus ſcire nos noluit? Vel, ſi omnino aliquid de ſtatu mortuorum poſt hanc vitam ſcire cuperemus, eos nobis præponeremus, qui etiã in vita hac dolores mortis & inferni ſuſtinuerunt, quales fuêre Iob, Dauid, & Ionas noſter. Hi enim omnem veritatem nobis enarrarent, quæ poſt hanc vitam mortuorum futura eſt conditio, præſertim impiorum. Huius ſi exemplum requiras, agè attendamus Ionam noſtrum. Is enim tribus diebus & tribus noctibus fuit in mari, in piſce, in morte, in inferno, vt ipſi quidem videbatur. Quæris, quæ noua nobis inde attulerit? Audi, Omnes, inquit, gurgites tui tranſierunt ſuper Ionæ 2. me, &c. En hæc ſunt, quæ Ionas & vidit, & didicit, & ſenſit, & cogitauit in regione illa mortis. Et hæc ipſa etiã certiſſimè erit conditio impiorum poſt mortem, nẽpe perpetuis mortis anguſtiis, perpetuoq; tremore, horrore & deſperatione: citrà vllã ſpem effugii, exagitari & cruciari. Hæc cogita Chriſtiane, multò

enim vtilius tibi erit, q̃ curioſa de Lazaro inquirere. Hoc enim, nimirum de Lazaro, Deus nobis manifeſtare noluit, ideo non cupiamus ea ſcire. Illa autem, de Iona ſcilicet, Deus nobis manifeſtauit, ideo oportet, vt ea conſideremus. Horrenda quidem ſunt, ſed eò magis ſimilia mala præuidebimus, eoque diligentius à Iona diſcere ſtudebimus, quid in his malis agẽdum ſit. Nunc igitur ipſum Ionam audiamus. Sic ergo idem Ionas poſt diffuſam periculorum ſuorũ enarrationem, proſequitur ſuam orationem. *Et dixi, Abiectus ſum à facie oculorum tuorum.* Cùm, inquit, in tantis malis eſſem, nec aliquis huiuſmodi malorum finis appareret: hæc mecum dixi & cogitaui, nempe, quòd abiectus eſſem à conſpectu oculorum tuorum. Et hoc quidem duplici ſenſu intelligi poteſt. Primò externè & corporaliter, ita ſcilicet, quòd ſecum ſtatuerat ſibi planè moriendum in mari eſſe, nec vnquam amplius in conſpectum Dei, hoc eſt, in terram Iſraël & templum Domini, vbi Deus præſens erat, peruenturus eſſet. Sic enim in ſcriptura abiici à facie Domini, interdum nihil aliud eſt, q̃ eiici è terra Iſraël. Sic Hie-
Hier. 15 remiæ dicitur, Eiice eos à facie mea. Sic alibi etiam
Hier. 7. tribui Iudæ minatur Deus, futurum eſſe, vt à facie ſua proiiciatur, hoc eſt, ex regione illa, quam patribus ipſorum dederat, & in qua templum ſuum ipſe elegerat, vbi & verbum & cultus eius erant. Secundò etiã ſpiritualiter intelligitur verbum hoc, quòd ſcilicet Ionas ſenſerit ſe perpetuò etiam à Deo proiectum, ſeque nunquam miſericordiam & gratiam amplius conſecuturum. Hoc autem non dubium eſt, ipſum in principio cogitaſſe, antequam fidem penè amiſſam & extinctam recuperaret, ac Dominum inuocaret. Hic igitur in mentem ipſi venere, omnis generis exempla diuini furoris, quibus peccatores olim vel grauiter puniuit, vel omnino deleuit ac ſubuertit, cuiuſmodi ſunt, Adæ & Euæ è paradiſo expulſio, Cain fratricidę damnatio, diluuii inundatio, Sodomæ & Gomorræ ſubuerſio, &c.

uerſio, &c. Hoc enim tentatio ſecum affert, quòd homo putat ſe à Deo derelictum & abiectum, atque hic terribilia quæque ipſi in mentem veniunt, &c. Sic igitur verbum hoc apertè indicat, quòd Ionas non tantùm ſenſerit externos terrores maris & ventorum, ſed etiam internos, inferni ſcilicet & deſperationis, & ꝙ per tres illos dies continuè ipſi pugna fuit cum morte & deſperatione. Hoc autem nos vel maximè conſolari debet, nimirum, quòd etiã ſanctiſſimi homines, à deſperatione tentati fuerunt. Huius enim vel apertiſſimum exemplum hic habemus in Iona. An non enim tentatio deſperationis eſt, vbi quis putat ſe planè à Deo abiectum? Similium cogitationum multas habuit etiam ipſe Iob, vt patet per totum ipſius librũ. Sic & Dauid, Ego, inquit, dixi in extaſi mea, proiectus ſum à facie oculorum tuorum. Quòd ſi etiam Sancti talium tentationum expertes non fuerunt, nec nos animum deſpondere debemus, ſi ſimiles cogitationes nobis inciderint. Hoc tantùm curemus, vt in eiſdem tentationibus faciamus, quod Sancti quique fecerunt, nempe, vt ad Deum nos conuertamus. Quãdiu enim nos ipſos tantum & peccata noſtra, & pœnam, quam patimur, attendimus, non poſſumus aliter iudicare, quàm quòd abiecti ſumus à Deo, ideo neceſſe eſt, vt oculos noſtros à nobis ipſis & præſentibus malis ad Deum vertamus, imò à iuſtitia Dei ad ipſius miſericordiam. Sic Dauid, Auertiſti, inquit, faciem tuam à me, & factus ſum conturbatus. Statim autem ſubdit, Ad te Domine clamabo, & ad Deum meum deprecabor. Hoc idem & Ionam feciſſe ſuprà audiuimus, imò hoc ipſum etiam nunc repetit, cùm ſubdit: *Cùm anguſtiaretur in me anima mea, Domini recordatus ſum.* Hoc eſt, cùm ego in anguſtiis mortis & deſperationis eſſem, Domini, hoc eſt, tui recordatus ſum, qui vniuerſorum Dominus es, ſciens te bonum, iuſtum, piũ, & in te ſolum ſperans. Recordatus quoque ſum tui, te deprecans pro auxilio tuo & liberatione mea, con-

Pſal. 30

Pſal. 29.

fidens, ꝙ propter bonitatem tuam non deſpiceres me. Sed quid ex hac recordatione Domini conſecutus eſt Ionas? Nimirum hoc, ꝙ ſtatim confortatus fide, & certificatus de ſua liberatione, dicere potuit, etiã tentatione, adhuc durante: Tu autem dñe Deus meus, ſubleuabis de perditione vitam meam. Et iterum, Verũtamen adhuc videbo tẽplum ſanctum tuum. Et tertiò, Perueniat oratio mea ad templum ſanctum tuũ. Verè magna fidei firmitas, ꝙ circundatus aquis, vallatus abyſſo, coopertus pelago, cõcluſus vectibus terræ, adeò nihil dubitat de auxilio diuino, vt certò etiam ſtatuat ſe ad templum venturum. Verè magna fides, verè mirabilis mutatio dexteræ excelſi. Paulò ante dixerat. Abiectus ſum à conſpectu tuo: nunc dicit, Subleuabis me, &c. Prius Dei conſpectum fugiebat, tãquam iudicis & Tyrãni, nunc blanditur vt patri, ac Dominum Deum ſuum nominat. Prius dixit, Terræ vectes me concluſerunt in æternum; nunc dicit, Verũtamen iterum videbo templum ſanctum tuum. Vnde igitur Ionæ in tantis periculis tanta ſpes? Non aliunde, q̃ ꝙ Domini recordatus eſt. Hinc ipſi affulſit trãquillitas, hinc cœpit ſentire meliores cogitationes. Hinc fides ipſius, quæ tantis afflictionibus iactata penè defecerat, iterum caput erigere cœpit. In ſumma, hinc finem habuit omnis deſperatio. En fratres, in hunc modum oportet etiam nos facere, quoties vel mala conſcientia, vel externæ tribulationes, vel quæcunq; etiã tentationes nos ad deſperationem adigere volunt. Statim, inquam, oportet nos oculos vertere à diuina iuſtitia & peccatis noſtris, ad diuinam miſericordiam. Et quidem hoc facillimè facere poſſumus nos Chriſtiani, quãdoquidem in Chriſto habemus ſpeculũ gratiæ & certiſſimum propitiatoriũ. Et quid, obſecro, aliud *Luc. 7.* ſeruauit peccatricẽ illã, itẽq; latronẽ, quàm ꝙ oculos à *Luc. 23.* diuina iuſtitia verterunt ad diuinam miſericordiam, quæ in Chriſto oſtendebatur? Vbi enim Dei recordatio in animo exoritur, protinus noua luce illuſtrantur omnia,

omnia,iterumque recuperandæ veniæ ſpes ſeſe oſtentat, & creſcit animo audacia inuocandi Deum. Vnde certa etiam ſequitur exauditio & liberatio. Hoc itaq; diſcamus & ſeruemus ex hoc verſu. Nec enim aliud mediũ eſt in huiuſmodi tentationibus, q̃ quo vſus eſt Ionas noſter, ideo & ſtatim ſubdit: *Qui cuſtodiunt uanitates, fruſtrà miſericordiam ſuam derelinquunt.* Vanitas eſt quicqd homo ex ſe ipſo eſt, facit, poteſt, cogitat, operatur. Vanitas item eſt, omne in quod, extra Deum, fiduciam ponimus. In ſumma, vanitas vanitatum eſt, *Eccl. 1.*
quicquid ſub Sole eſt. Econtrà autem Deo confidere, credere, Deum inuocare, Dei præcepta perficere, veritas eſt. Qui igitur in tẽtatione vel in ſeipſum, in ſua ſcilicet ſapientia, conſiliis, viribus, iuſtitia, vel in quacunq; creatura finaliter confidit, is verè vanitates obſeruat, in arenam ædificat, & miſericordiam ſuam fruſtrà relinquit, hoc eſt, Deum, qui eſt miſericordia noſtra, vt David ait, itemque robur noſtrum & refu- *Pſ. 143.*
gium, cuius etiam miſericordia noſtra miſericordia *Pſal. 50*
dicitur, quia nobis annuntiatur, promittitur, offertur. Infelices autem filii Adam in tentationibus non niſi vana cogitant, interim miſericordiam ſuam fruſtrà relinquunt, hoc eſt, certum auxilium à Deo promiſſum: Et tamen omnia hæc fruſtrà faciunt, nihil enim eis prodeſt, non conſequuntur effectum ſuum. An non autem magna inſania eſt, quod certum eſt abiicere, incertum autem & vanum aſſumere? Non ſic faciunt pii, ſed obſeruant veritatem & miſericordiam ſuam, hoc eſt, Deum non relinquunt, ſed ante omnia ad ipſum currunt, ideo & conſeruantur. Per hoc igitur Ionas duo quædam oſtendit. Primùm, quid cauſæ ſit, quòd tot homines in tentatione ſuccumbunt. Ipſorum, inquit, culpa ſit. Secundò, quòd non ſolidum fundamentum inquirunt, ſed vanitates ſequuntur. Tertiò, quòd miſericordiam ſuam ſponte relinquunt, non ipſos relinquit Deus, non auerſatur, ſed expectat: ipſi autem ſtantem miſericor-

ſericordiam & vltro ſe offerentem, ſponte propria derelinquunt, quid mirum igitur eſt, ſi pereunt? Hanc cauſam aſſignat Ionas, ſimulque docet, quòd in tentationibus in alia quapiam re fiduciam collocare, eſt miſericordiam, hoc eſt, Deum relinquere & abnegare. Obſeruãdum tamen, quòd Ionas non de omnibus loquitur, qui vel vana cogitant, vel vanitates ſectantur, ne damnare videretur cunctum genus humanum, & cuncto generi humano denegare miſericordiam. Quis enim tam ſanctus eſt, qui non aliquãdo vana vel cogiter, vel vanitatibus ſe occupet? Sed qui cu-
Pſal.7 2. ſtodiunt, inquit, vanitates ſiue mẽdacium: Vel (vt Dauid ait) qui tranſierũt in affectum cordis, qui vanitates non ſolũ faciunt & ſectantur, ſed ita cuſtodiunt, quaſi diligant & putent ſe inueniſſe theſaurum. Vult igitur Ionas hoc verbo docere, vt veritatem apprehendamus & ſectemur, & in ea nos ædificemus. Veritas autem Deus & Dei verbum eſt. Vbicunque ergo concluſus homo, ſiue hominis ſpiritus, vbicunque fuerit coanguſtatus, ſiue inferni, ſiue terræ vectibus, ſi apud ſe habet verbum fidei dum orat, non poteſt neſciri, quinimo ipſo verbo fidei, viſcera Dei, cor Patris altiſſimi fortiter tangit, vt in obliuionem venire non poſſit. Hinc igitur diſcamus, vt eo tẽpore, quo anguſtiatur anima noſtra, & à corporis compage diuellitur, non aliò cogitationẽ vertamus, niſi ad eum, qui & in corpore & extra corpus noſter eſt Dominus. Sic enim oratio noſtra perueniet ad templum ſanctum eius, hoc eſt, ad ipſam altitudinem cæli, cuius immenſitas, magna domus & amplum templum eius eſt. Sed ſatis hactenus audiuimus, quid in tribulatione faciendum ſit. Audiamus nunc, quid poſt liberationem faciamus. Nam & hoc docet Ionas, cùm ſubdit: *Ego autem in uoce laudis immolabo tibi, quodcunque noui reddam pro ſalute mea Domino*. Senſus eſt, Ego quidem etſi vanitatem feci, non tamen cuſtodio illam, ſed potius votum voueo tibi, votum corrigendi, votum obediendi & pergendi quocunque iuſſeris,

ſeris, & hanc obedientiam immolabo tibi in voce laudis, hæc vota pro ſalute mea reddam Domino. Vanitas quippe fuit, imò peccatum & mendacium, quod iuſſioni tuæ non ſtatim parui, & putaui me poſſe euadere à facie tua, & impedire conſilium tuum de puniendo Iſraële. Sed mendax, vana & falſa fuit hæc cogitatio, quia non è ſpiritu tuo profecta. At nunc illuſtraſti me Domine, ne cuſtodiam & ſeruem huiuſmodi pernicioſam & vaniſſimam cogitationem. Reſipiſcam igitur, & in voce laudis, hoc eſt, gratiarum actione ac prædicatione gloriæ tuæ, immolabo tibi non vitulos & arietes, *Pſal. 49.*
ſed ſacrificium laudis. Scio enim quòd reſipiſcentia & confeſſio gratiſſima tibi victima eſt, & reddam vota mea quæ voui. Ea autem vota non alia fuerunt, quàm quòd ſancti vouebant ſe, non alium Deum habere ſe velle, pręter vnum, verum Deum. Hęc vota tum redduntur cùm laudamus, confitemur, prędicamus nomen Dei, ipſumq; ex fide & puro corde colimus. Iuxta illud: Sacrificium laudis honorificabit me, &c. Ex hoc *Pſal. 49.*
igitur verbo habetis, quid poſt euaſionem tentationis agere debeamus, nēpe Deum laudare, & verè colere. Sic igitur ſanctus Ionas non ſatis habuit, ꝙ ipſe liberatus fuit, ſed inſuper cupiebat omnes docere, qũo tentationes euadere poſſent. Noſtrũ eſt hæc attendere, &c.

ANNVNTIATIONIS MARIAE.

FESTVM hoc glorioſum eſt & magnum, omnibusque modis dignum, vt & diligenter cōſideretur, & deuotè pieque celebretur: Non tamen neceſſariū arbitror, vt pluribus me hîc occupē. Tot enim cōciones & heri, & hodie de ipſo factæ ſunt, vt magis tædium, quàm deuotionem afferret, ſi nouam de ipſo concionem poſt alios

lios inſtituerem. Vt interim taceam, quòd cum Iona meo mihi feſtinandum eſt, ne ſcilicet Quadrageſimale tempus pœnitentialibus ipſius concionibus fraudetur. Qui igitur dicto audiens eſt, is facilè ex concionibus hodie factis colliget, quid feſtum hoc & nobis attulerit, & quid à nobis exigat. Qui autem audire dedignatur, circa hunc fruſtrà fieret, etiamſi omni hora nouæ conciones inſtituerentur. Tota tamen intentio huius feſti in eo conſiſtit, vt ſciamus diem hanc, diem eſſe boni & lætiſſimi nuntii, & talis nuntii, quod minimè omnium taceri debet, niſi velimus & coram Deo ingrati, & coram hominibus infideles & inuidi, atq; adeò vtrinque reprehenſibiles inueniri. Hæc pauca verba ſatis nos inſtruũt de feſto hoc. Primò enim certum eſt, quòd mundus hodie nouum & lætiſſimum nuntium accepit, idque è cælo: Certum eſt & illud, ꝙ idipſum nuntium omnes homines concernit, ideo nullo modo abſcondendum eſt, ſed palàm omnibus annuntiari debet, idq; tum ad gloriam Dei, tum ad proximorum conſolationem & ſalutem. Si igitur cupis huic feſto iuſta ſua facere, cogita quid & hodie factũ, & tibi faciendum ſit. Hodie Deus homo factus eſt, canit Eccleſia. Hoc eſt lætum illud nuntium, quod hodie è cælo attulit Gabriel, & q̃ diligentiſſimè virgini

Luc. 1. ſanctæ aperuit. Quis autem ſatis cogitare poteſt, quale, quantumq; opus ſit, quòd Deus homo factus eſt? Quis ſatis eloqui aut enumerare poteſt, quantum inde bonorum nobis profluxerit? Quis ſatis mirari poterit Dei ſapientiam & bonitatem, qua factum eſt, vt hominem tam charè redemptum voluit? Habet hoc fides noſtra, quòd Deus omnia poſſit, & ꝙ eius omnipotentia in hunc vſque diem nec minorata, nec mu-

Eſa. 59. tata ſit. Habet hoc & ſcriptura, quòd Deus omnia &

Sap. 8. ſapienter, & fortiter, & ſuauiter diſponat. Atque ita indubiè eſt. Poterat Deus ſola ſua fortitudine vti, cõtra ſeductorem hominis, ac ouem perditam violenter è faucibus lupi illius eruere. Hoc, inquam, potuit; ſed

ſed voluit negotium hoc ſuauiter exercere. Cur hoc? quia non tantùm oſtendere voluit, quid poſſet aduerſus Diabolum: ſed etiam, imò maximè, q̃ piè affectus eſſet erga hominem. Propter hominem, inquam, tāta ſuauitate vſus eſt. Nam propter Diabolum nunquam ſic conſcendiſſet. Nullo igitur forti & auſtero medicamine in ſanandis nobis vſus eſt, ſed leni, quale ſcilicet ferre potuit complexio noſtra. Propter nos enim infirmus factus eſt, vt ſua infirmitate noſtros morbos ſanaret. Sic & naturam noſtram aſſumpſit, vt mortalitatem, quam à nobis ſuſcepit, moriendo ſuperaret, & naturam noſtram ſecum ad ſuam immortalitatem ſubueheret. Per hoc enim, ꝙ ſe in naturam noſtram humiliauit, nihil detrimenti diuinæ ſuæ naturæ intulit, quēadmodum nec Sol virtutem ſui caloris & ſplēdoris vel amittit, vel mutat, etiamſi continuò humorem à terra ad ſe trahat: nec ignis ſuam naturam immutat aut perdit, etiamſi omnia alia in ſe conuertat. Meritò igitur circa hoc opus incarnationis Chriſti, & admiramur & gaudemus. Videmus ꝙ periti medici, nunc quidē contraria contrariis, vt calida frigidis, &c. curant: interdum ſimilia ſimilibus pellunt, vt veneno venenum, id quod videmus in Scorpionibus & Tyriaca. Atqui Chriſtus medicus noſter vtrunque fecit. Sua enim paupertate nos ditauit, ſua humitate nos ſubleuauit, ſua infirmitate nos ſanauit, ſua morte nos viuificauit, &c. Hoc eſt contraria contrariis curare. Deinde etiam morte ſua noſtram mortem ceu venenum veneno pepulit. Et noſtra quidem mors certiſſimè venenum eſt infernalis ſerpentis: mors autē Chriſti, etſi in ſe venenum non fuit, ſed pretioſiſſimum balſamum, veneni tamen ſimilitudinem habuit, quia ad dextra morti noſtræ ſimilis fuit, ſicq; venenum veneno pepulit. Et fratres chariſſimi omnia hæc in verbo illo includuntur, Hodie Deus homo factus eſt: Hodie, inquàm, hæc inceperunt fieri. Quid igitur mirū eſt, ꝙ nos Chriſtiani proprium diem habemus, ad hęc

myſteria

myſteria pro merito cogitanda? Atque vtinam cum tali deuotione, deſiderio, fide, hęc cogitare poſſemus, vt ſanctiſſima Virgo, quæ primò felix hoc nuntium accepit, audiuit, & cogitauit. Reuera enim ſequeretur & Magnificat, hoc eſt gaudium in cordibus, & laus Dei in ore noſtro. Imò reuera & nos grauidi efficeremur, concipientes ſpiritum ſalutis, & parituri
Eſa. 26. fructum pietatis. Atque hæc eſſent, quæ ſecundo loco huic feſto adhibenda ſunt. Atque hoc verè eſſet filio Dei occurrere, incarnationemq; eius celebrare. Et ò verè felices nos, ſi ſic ageremus? Nunquam enim nobis defutura eſſet gratia & conſolatio diuina. Quare, fratres chariſſimi, cõmendatam habeamus diem hanc, ꝙ ſi ſcimus eam nobis attuliſſe ſalutem, agamus gratias, quæramus ſalutem: Si ſcimus, quòd dies hæc triſtem & tempeſtuoſam hyemẽ diuinæ erga nos iracundiæ abſtulit, lætam autem & amœnam, calidam & lucidam æſtatem nobis attulit: Faciamus quod
Cant. 2. Chriſtus à ſponſa ſua exigit, Surge, inquit, propera & veni. Surgamus ergo à peccatis, properemus, ne tempus nos permanſeat: Veniamus & appropinquemus per fidem, ſpem & charitatem. Væ enim nobis, ſi etiam in hac die, in hac æſtate iacuerimus, tacuerimus, neglexerimus, &c. Hæc paucis de feſto hoc dicta ſint. Nunc Ionam proſequamur.

PROSECVTIO IONAE.

AVdiſtis hactenus, quomodo & qua de cauſa Ionas noſter eò neceſſitatis deuenit, vt in mare abiiceretur. Item, quid gratiæ & miraculorum Deus cum ipſo egerit, ipſum tribus diebus & noctibus in profundo maris & medio ceti, viuum & incolumem conſeruando. Audiuiſtis inſuper, q̃d Ionas in ea ſua tribulatione fecerit, & quomodo fides eius toto illo triduo pugnare coacta fuerit aduerſus mortem & deſperationem, finaliterque victoriam reportarit. Ad hæc igitur ſic ſequitur:

quitur: *Et dixit Dominus piſci, & euomuit Ionam in aridã.* Hic tãdem reuertitur ſcriptura ad hiſtoriam, atque adeò deinceps lętiora audiemus. Hactenus enim graué iram oſtenderat Deus erga Ionam, nunc alium ſe oſtẽdit, quia & Ionas alius factus erat. Cum ſancto enim *Pſal.* 17
ſanctus eſt Deus, & cũ peruerſo peruerſus. Vtrunque tamen propter nos & ſcriptum & factum eſt, tantũm curemus, vt rectè vtamur. Sed verba ipſa expendamus. Præcepit, inquit, Dominus piſci, &c. Hoc nimirũ non ſtatim ab initio factum eſt, ſed poſtquam Ionas tribus diebus & tribus noctibus in ventre ceti fuerat, quamuis ſcriptura nõ exprimat, num integros dies & noctes intelligere debeamus, an per Synecdochen, partem ſcilicet pro toto. Neq; admodum magni hoc referret, niſi Ionas in hoc potiſſimum figura Chriſti fuiſſet. Sicut enim Ionas fuerat in ventre ceti, ſic Chriſtus eſſe *Mat.* 12.
debebat in corde terræ. Parum, inquam, referret, ſiue Ionas integros dies & noctes, ſiue dimidiatos in mare fuiſſet. Verùm de triduo mortis Chriſti, oportet nos certos eſſe, alioqui multi errores incident, & videbuntur Euãgeliſtę ſibi ipſis contrarii. Verùm de hoc latius circa myſteria huius hiſtorię tractabimus. Nunc textũ proſequamur. Tribus diebus & noctibus Deus Ionam permiſit in ſua tribulatione, verùm non vltrà, alioqui potuiſſet Ionas deſperare. Nouit Deus quantum cui- 1. *Co.* 10
que infundere debeat, quid quiſque ferre, & quàmdiu poſſit. Fidelis enim eſt, nec patitur ſuos tentari ſupra id, quod poſſunt. Ideo iam ceſſat Ionam affligere, inſuper mandat piſci, vt eum reſtituat. Hęc autem iuſſio Dei ad piſcem, nihil aliud fuit, quàm motio piſcis. Mouerat eum Deus prius ad deuorandum Ionam, mouet nunc eum ad euomendum Ionam. Quod autem habetur, Deum dixiſſe ad piſcem, &c. more ſcripturæ factum eſt, vt ſciamus Deum verbo ſuo omnia facere & agere. Iuxta illud, Omnia per ipſum verbum facta ſunt, & ipſe dixit, & facta ſunt. Dicere enim Dei, eſt ipſius facere. Dixit, Fiat lux, & facta eſt. *Ioan.* 1. *Pſ.* 148. *Gen.* 1.
Sic

Sic hîc dixit piſci, vt Ionam redderet, & reddidit. Dixit autem non motione labiorum, quæ non habet, nec voce elementari, ſed illo verbo, per quod & cetum & ipſum mare fecit. Illius verbi virtute preſſus venter beluæ, Prophetam reddidit, quò & vbi ipſum verbum voluit. Hîc igitur nouum videmus miraculum, imò non vnum, ſed multa. Nō potuit piſcis amplius retinere Ionam, nec vectes terræ ipſum impedire, nec mare ipſum obtegere, quin iterum ad lucem prodiret. Et quod maius eſt, ita nūc omnia circa ipſum inuerſa ſunt, vt quæ prius preſentem illi intentabant mortem, nunc certatim vitæ illius ſeruiant. Hic piſcis qui prius erat mortis inſtrumentum, nunc organum vitæ eſſe iubetur. Per hunc enim ipſum nunc ad vitam reducitur, per quem paulò antè captus & abſorptus, ad mortem rapiebatur. Ipſum quoq; mare, quòd prius ipſius mortem & perditionem quæſiſſe viſum eſt, nunc eidem locum euadendi præſtat, liberamque, & innoxiam euadendi facultatem cōcedit. Hæc autem omnia propter nos ſcripta ſunt, vt conſolationem inde capiamus, & diſcamus Deo ex animo fidere. Hîc enim pri-

Pſ. 124. mò videmus, quàm potēs ſit Deus, & quàm nihil ei impoſſibile ſit, ſed quodcunque vult, facit in cælo, in terra, & in omnibus abyſſis, & quòd in manu ſua & mortē & vitā habet, poteſtque vtrunque ex æquo dare & adiuuare. Quòd ſi Deus Ionam eripere potuit è profundo maris, certè nulla tentatio tam magna erit, vnde nō poſſit eripere: Si piſci imperare potuit, poterit & aliis

Eſa. 59. imperare: Si ad Ionam vſque pertingere potuit manus omnipotēs Dei, poterit & ad te pertingere. Non enim abbreuiata eſt manus Dei, vide tantùm ne peccatis tuis te à Deo ſepares. Deinde videmus hîc, quàm bonus ſit

Thren 3. Dominus ſperantibus in ſe, animæ quærenti illum. Itemque, quàm diligenter pro ſuis curet, inuigilet, proſpiciat. Denique, & quam ob cauſam ipſos interdū tribulationibus obiiciat, nempe, non vt perdat, ſed vt erudiat, purget, humiliet, & in officio retineat. Nemo

non putaſſet Ionam Deo exoſum eſſe, at nũc videmus, quòd nihil minus quàm ex ira Dei priora mala ſuper ipſum venerunt, imò ex mera gratia. Meritò igitur Ionas dicere potuit. Caſtigans caſtigauit me Dominus, & morti non tradidit me. Sic & Hieremias dixit, Caſtigaſti me Domine, & eruditus ſum. Vnde & Thobias, Magnus es Domine in æternum, quia tu flagellas & ſaluas: deducis ad inferos, & reducis. Præterea hîc videmus, quid poſſit fides in tẽtationibus, & quàm verè Chriſtus dixerit: Si potes credere, omnia poſſibilia ſunt credenti. Et iterum, Si credideris, videbis gloriam Dei. Et iterum, Qui credit in me, opera, quæ ego facio, & ipſe faciet, & maiora his faciet, quia ego ad Patrem vado. Poſtremò videmus quàm felices ſint, qui ad Deum conuertuntur. Quid infelicius Iona, quàmdiu à Domino fugiebat? Econtrà quid nunc eo felicius. Sic quàmdiu in peccatis ſumus, & Deus & creaturæ nobis aduerſantur: Quamprimùm autem nos ad Deum conuerterimus, & Deus & creaturæ nobiſcum ſunt. Vnde in Iob dicitur de tali homine: Cum lapidibus terræ erit pactum tibi, & beſtiæ terræ pacificæ erunt tibi: Et in Ezechiele, Faciam, inquit, cum eis pactum, & ceſſare faciam beſtias ab eis, &c. Et, Percutiam eis fœdus cum beſtia agri & volucre cæli, & cum reptili terræ, imò cum cælo & terra. Nam ego exaudiam cælos, & ipſi exaudient terram, &c. Hæc itaque circa hunc locum obſeruemus, imò ſtudeamus & nos, noſtro triduo, hoc eſt, tempore vitæ præſentis pœnitere, confiteri, orare, &c. Sit nobis præſens tribulatio calcar ad omnem pietatẽ, certò inueniemus & habebimus Deum non aliter, quàm ipſum hîc expertus eſt Ionas. Hactenus igitur de ſecundo Capite. Sequitur:

Pſ. 117. *Hier. 31* *Tho. 13.* *Matt. 17* *Ioã. 11.* *Ioã. 14.* *Iob 5.* *Eze. 34* *Oſeæ 2.*

PROSECVTIO IONAE PROPHETAE CAPVT III.

ET *factus eſt ſermo Domini ad Ionam ſecundò, &c.* Hîc tandẽ reuertitur ad Niniuitas, propter quos vel maximè cœpta erat hęc hiſtoria. Interceſſerat mirabilis ille caſus circa Ionam, vnde & Deus primò omnium agere habuit cũ Propheta inobediente, nunc igitur etiam opus ſuum incipiet cùm Niniuitis. Cæterùm etiam hic primo loco videmus Dei bonitatem, in eo, quòd non contentus liberaſſe Ionam, inſuper etiã priſtinæ dignitati prophetali reſtituit. Simile quiddam & de Petro legimus, qui & ipſe poſt triſte illud triduum
Ioã. 21. mortis Chriſti imò peccati & pœnitentiæ, reſtitutus eſt ad priſtinum officium. Hoc igitur eſt, quod dudum promiſit Deus: Omium, inquit, iniquitatum eius nõ recordabor. Et iterum, Reuertere & ſuſcipiam te, etiam poſt adulterium in coniugem, quod non facit mũ
Ezec. 1. dus, &c. Quem autem non traheret hæc Dei boni-
Hier. 3. tas? iuſtè potuiſſet Ionæ ſpiritum Propheticum denegare, iuſtè poſſet relapſos in totum relinquere, &c. At nihil minus facit, vt hîc videmus. Nemo igitur ſe præterita peccata impedire ſinat, quo minus ſtrenuè ad Deum clamet. Potes enim omnia recuperare, quæ perdidiſti. Iterum autem dicitur: Verbum Domini factum eſt ad Ionam, & de nouo illi præcepiſſe ſuper Niniuitis. Suprà quidem à Deo iuſſus fuerat, verùm interceſſerat tentatio illa, de qua ſatis diu audiuimus: quantũuis autem nunc Ionas liberatus erat, neſciebat tamen num Deus ipſum vlterius ad Propheticũ officium reſumpturus eſſet. Vnde non auſus fuit ſeipſum ingerere, timebat enim ne malè hoc ſibi ſuccederet, quemadmodum

modum & olim Iſraëlitis, qui Domino iubente, nolebant ad terram promiſſionis pergere. Poſteà autem cùm ſententiam Dei audiſſent, iniuſſi, imò dehortante Moyſe, pergere volebant: verùm malè eis ceſſit, nã victi ab hoſtibus fuerunt. Hoc, inquam, timebat Ionas, ideo nouam à Domino iuſſionem expectabat. Iam enim à ſola voluntate Dei pendebat, nolebat amplius vanitatem ſuam ſequi, ſed votum ſuum de obedientia Deo præſtanda reddere. Per hoc autem nos docuit, ne quicquam ſine verbo Dei incipiamus: maximè, ne ſine diuina iuſſione aut ordinaria vocatione, Prophetæ officium vſurpemus, aut vnquam prædicare tentemus, niſi certi ſimus nos verbum Dei habere. Vbi enim horum alterum deeſt, quòd ſcilicet aut non vocati docemus, vel aliàs non certi ſumus doctrinam noſtram verbum Dei eſſe, ſemper periculo & damno erimus auditoribus. Vnde in Hieremia vtrunq; expreſſit. Currebant, inquit, & non mittebam eos: Prophetabant, & non loquebar eis. Ideo Petrus vtrunque horum excludi vult, cùm dicit: Si quis loquitur quaſi ſermones Dei: ſi quis miniſtrat, &c. *Surge, uade in Niniuen ciuitatem magnam.* Non iniuria hîc quæri poſſet, cur Dominus, qui non ſolùm Niniuitarum, ſed omniũ Gentium Deus eſt, magis de Niniuitis, quàm de cæteris Gentibus curauit. Poterat enim fieri, vt aliæ quoque gentes conuerterentur ad pœnitentiam, ſi prædicatores illis miſiſſet Deus, quemadmodum Chriſtus ipſe teſtatur: Si, inquit, in Tyro & Sidone factę fuiſſent virtutes, &c. olim pœnitentiam egiſſent. Verùm paucis reſpondeo. Ideo neglectos eſſe Tyrum & Sidonem & alias gentes, nam etſi pœnitentiam feciſſent, præuidebat tamen Deus, quòd non vera fuiſſet illa pœnitentia, quia tantummodo ad euadendam pœnam temporalem aſſumpta, non propter timorem Dei & deteſtationem peccati, deſideriumque gratiæ. Hanc autem pœnitentiam Deus non admodum curat. Et quanquã etiam Niniuitæ videantur tantummodo pro metu tẽ-

Num. 14 — *Hie.* 21. — 1. *Pet.* 4 — *Mat.* 11.

poralis excidii pęnituiſſe (Nam ſecuritate recepta,ſtatim priſtina vitia repetierunt, vnde & poſteà etiam pe
Thob. 14 rierunt iuſtæ cõtra eos Dei prolata ſententia, quemadmodum Thobias prędixit) ad ipſos tamen potius, q̃ ad alias quaſque gẽtes Prophetam miſit. Primò, quia Niniue eo tempore propter Monarchiã caput erat omniũ gentium, per ipſam Deus oſtendere voluit futuram omnium gentium non fucatam, ſed veram pęnitẽtiam. Secundò, quia Deus intendebat Iſraëlem tradere in manus Aſſyriorum, præmonſtrare voluit, Aſſyrios cõparatione Iſraëlis, iuſtiores eſſe, ne ſcilicet videretur Deus ſupplantare iudicium, tradendo in manus illorũ Iſraëlem, qui ſe profitebatur peculiarem populum Dei eſſe. Iniuſtum igitur viſum fuiſſet, ſi Aſſyriis in ſua terra permanentibus, Iſraël Dei populus de terra ſua trãs ferretur, & in ciuitatibus Aſſyriorum perpetua captiuitate detineretur. Hoc præcauere voluit Deus, ideo Ionam ad Niniuitas miſit, vt agendo pœnitentiam metu temporalium amittendorum, oſtenderent Iſraëlem dignum exterminio, vt qui neque propter temporalia, nec propter æterna pœnitentiam ageret. Sic enim Deus ſua iudicia exercet in impios, vt etiam ipſi cogantur fateri, ſe iuſtè punitos. Interim autem timendum fratres, ne tale aliquod iudicium etiam ſuper nos latũ ſit, vt qui indigni ſumus diutius in terra Sãctorum cõmorari, & nomine Chriſti abuti. Maturè igitur pœnitentiam agamus: nam reuera idem nobis imminere videtur, quod Iſraëlitis, tempore Ionæ. Verùm de his in ſequentibus. Sequitur: *Et ſurrexit Ionas, & abiit in Niniuen, &c.* Hîc videmus Ionam alium factum fuiſſe. Hîc enim non amplius fugit, nec officium iniunctum detrectat, ſed nec ſe excuſat vel vno verbo, quin potius ſimpliciter obedit. Hoc didicerat in mari, vt mallet iã millies ab hominibus irrideri vel occidi, q̃ diuinos il-
Heb. 10. los terrores adhuc ſemel pati. Verè enim horrendum
Eſa. 28. eſſe didicerat, incidere in manus Dei viuentis. Sic igitur vexatio dat intellectum. Non tamen ſic accipiendum,

dũ, quòd ſola flagella cor hominis immutare poſſint, quæ nec manum ſatis cohibere poſſunt, niſi adſit Spiritus Dei, ideo de impiis dicitur: Percuſſiſti eos, & non doluerunt. Quemadmodum in Pharaone videmus, qui tot plagis percuſſus, induratus tamen perſeuerauit. Ionas igitur flagellis quidem eruditus fuit, ſolo autem Spiritu ſancto cor eius eſt immutatum, vt tam promptè obediret. Et nos igitur imitemur Ionam, imò ſequamur tractum ſpiritus, qui ſubinde nos incitat ad bonum: Nec expectemus, donec flagellis nos vrgeat Deus, quãuis iamdudum flagella illa tulerimus, quòd tamen pauci ſentiunt. Imitemur, inquã, Ionam. Neceſſe eſt enim: vt aut voluntatem Dei faciamus, aut voluntatem eius circa nos patiamur. *Hier.5.*

DOMINICA QVINTA.

INSTAT iam ferè tempus, quo operæpretium erit, à Iona ad Chriſtum hoc eſt, à litera hiſtoriæ ad allegoriam, à figura ad veritatem tranſeundum nobis erit, quando quidem ex ipſius Chriſti verbis certum eſt, triduum illud Ionæ in ventre ceti, figuram fuiſſe tridui mortis & ſepulturæ Chriſti. Atqui Eccleſia hoc ipſo iam die incipit, filios ſuos paulatim ad Paſſionem Chriſti dirigere. Iam enim vexillum Chriſti expandit, iam crucem erexit, omniq́ue deuotione ſe ad eam vertit. Ad hæc videmus etiã, in Euangelio Paſſionem Chriſti haud procul abeſſe, quandoquidem hoſtes ipſius ita eum vrgent, damnant verbis, lapidant factis. Poſtremò etiam Paulus tota hodierna Epiſtola nihil aliud agit, quam quòd de Paſſione Chriſti loquitur, vt omnibus modis conueniens eſſet iam ſtatim oſtendere, quomodo in Iona Paſſio, Mors & Reſurrectio Chri- *Mat.12.*

ſti adumbrata fuerit. Verùm obſtat, quòd nihil adhuc de concione pœnitentiali ipſius Ionæ audiuimus. Neceſſe eſt autem, vt pœnitentia noſtra Paſſionem Chriſti præcedat, comitetur, & ſequatur. Nemo enim Paſſionē Chriſti fructuosè audire poteſt, niſi in corde pœnitenti, cōtrito, & humiliato adſtet, ſeipſum, hoc eſt, ſua peccata & dānationem, in chriſto agnoſcat, pectus ſuum percutiat, ac ſeipſum in Chriſto deploret. Ideo dilata paſſione Domini, hac ſeptimana audiemus, quid Ionas de pœnitentia docuerit. Ad hoc enim laboro, vt ſi poſſibile eſſet, omnes homines è paſſione chriſti cōſolationem & fructum referrent, quemadmodum & ea paſſio pro omnibus hominibus facta eſt. Interim autē, ne etiam nunc Eccleſia fruſtrà nos paſſionis Dominicæ commonefaciat, attendamus epiſtolam hodiernam, in qua Paulus admodum inſigniter de ipſa paſſione concionatur. Chriſtus, inquit, aſſiſtens Pontifex futurorū bonorum, &c. Hæc fuit hodierna Epiſtola, breuibus verbis ſummam eorum complectens, quæ circa paſſionem Domini cogitanda ſunt. Quòd ſi totis his quatuordecim diebus tantum diſceremus, vt de paſſione Chriſti ita cogitare, loqui, credere poſſemus, quemadmodum Paulus hic facit, profectò non ſine fructu abituri eſſemus. Paulus ſiquidem admodū inſigniter de paſſione Chriſti loquitur, ac magnificis titulis eam exprimit. Dicit eam eſſe redemptionem noſtram, emundationem noſtram, ſacrificium verum & vnicum, quod & iram Dei placauit, & cælum nobis aperuit. Poſtremò oſtendit eam eſſe theſaurum illum, vnde omnia bona nobis profluxerunt, gratiæ ſcilicet & gloriæ. Bone Deus, quàm ſublimiter ſenſuri, quàm charè æſtimaturi, quàm frequenter accurſuri, quamque diligenter gratias acturi eſſemus, ſi paſſionem Chriſti ita cū Paulo aſpicere ſciremus! Atqui ita omnino fieri oportet. Eramus venditi ſub peccatum, nec in omnibus facultatibus noſtris erat, quo redimi poteramus: At Chriſtus nos ſui ſanguinis pretio redemit. Gratis, inquit, venun-

Heb. 9.

Eſa. 52.

venundati eſtis, & ſine argento redimemini. Deinde, eramus immundi omnes, atque tam arctè nobis immunditia accreuerat, quòd nos ipſos non poteramus emundare: At Chriſtus ſuo ſanguine nos lauit. Præterea eramus nedū è cælo excluſi, ſed etiam à Deo proiecti, nec vllus patebat reditus, ſed nec vllo ſacrificio placari potuit Deus: Chriſtus autem pro nobis hoſtia factus eſt. Poſtremò, eramus pauperes, & omnibus bonis Dei ſpoliati, tam gratiæ ſcilicet quàm gloriæ. Nec vllus meritis noſtris ea poteramus recuperare: Chriſtus autem ſua paſſione iterum ea nobis meruit. Hæc conſideremus fratres, in hunc modū paſſionem Chriſti intueamur, & fieri non poterit, quin gratiam reportemus, &c. Hactenus de hodierna Dominica. Nunc Ionam proſequamur. *Eſa. 64.* *Apoc. 1.*

PROSECVTIO IONAE.

Audiuimus ſuprà, quòd Ionas noſter poſt liberationem ſuam iteratò mandatum accepit, vt adiret Niniuen, & ibi prædicaret. Audiuimus & obedientiam eius, iam tandem enim facere cogebatur, quod prius ſponte facere nolebat. Poterat omnia illa mala, de quibus hactenus diximus, effugere, ſi primò obediſſet: Verùm filii Adam non agnoſcunt Deum, niſi in plagis. Cùm occideret, inquit, eos, quærebant eum, &c. *Pſal. 77* Sed audiamus ſequentia: *Erat autem Niniue ciuitas magna, itinere dierum trium.* Magnitudo ciuitatis Niniue ideo deſcribitur, vt maiꝰ mirabiliusq; appareat, quod Ionas in ea effecerit. Erat, inquit, ciuitas magna. In Hebræo additur, Deo, vel Dei. Erat ciuitas magna Deo vel Dei. Vbi non iniuria quæritur, cur Niniue dicatur ciuitas Dei, cùm ibidem nec cultus Dei, nec tēplum, nec Prophetæ eſſent. Verùm hoc primò factū eſt ad ignominiam ciuitatis Hieruſalem, quaſi diceret: Putabant Iudæi nullam ciuitatem orbis poſſe dici ciuitatem Dei, quàm ſuam Hieroſolymam: At nūc

res ipſa declarabit, Niniuen quantumuis gentilem ciuitaté, iuſtius ciuitatem Dei nominari potuiſſe, quàm
Mat. 20 Hieruſalem. Sic nimirum fiunt nouiſſimi primi, & primi nouiſſimi, & quæ olim erat ciuitas ſancta, nunc fa-
Eſaia 1. cta eſt ciuitas meretrix: Et econtrà, quæ putabatur omnium peſſima, nunc inuenitur ciuitas Dei eſſe. Hinc igitur videmus, quòd qui impiè viuunt, nomen Dei amittunt: Econtrà autem qui ab impietate ſe auertunt,
Eſa. 62. nomen Dei acquirunt. Iuxta illud: Vocabitur tibi nomen nouum, quod os Domini locutum eſt. Hoc igitur nobis dictum eſſe ſciamus, qui iamdudum nomen
1. Pet. 2. Dei habuimus. Nam vocati ſumus populus Dei, filii Dei, templum Dei, Eccleſia Dei, & tamen nihil minus re ipſa fuimus. Videamus igitur, ne & ipſum etiam nomen amittamus. Non patitur Deus, vt ſuo nomine abutamur, &c. Deinde Niniue etiam ideo hìc dicitur ciuitas Dei, quòd Deus iam ad eam ſpeciali quodam modo præ aliis ſe conuerterat, mittendo illi Prophetam & verbum ſuum. Itemque, quòd ipſi tam facilè verbo Dei crediderunt, & pœnitentiam egerunt. Quem enim Deus ita ſua gratia præuenit, quòd & Dei verbum, & Dei ſeruos ſuſcipiat in vero corde, hoc acquirit, quòd filius Dei dicitur, etiam ſi priùs maximus peccator fuerit. Tam facilè quis è ſumma ignominia, ad maximum honorem peruenire poteſt: Eò fortius nobis conādum eſt, vt eam dignitatem & con-
Rom. 5. ſequi & retinere poſſimus. Quæ enim maior dignitas eſſe poteſt, quàm vbi quis audet gloriari in ſpe gloriæ filiorum Dei? Tertiò tamen & præcipuè vocatur Niniue ciuitas Dei, propter magnitudinem, diuitias, pulchritudinem. Scriptura enim quicquid eximiè, magnum eſt & præſtans, Dei eſſe dicit. Sic Dauid:
Pſal. 35. Iuſtitia tua ſicut montes Dei, hoc eſt, ſicut montes al-
Pſal. 79. tiſſimi. Sic in alio Pſalmo, Cedri Dei vocantur, Cedri
Gene. 13 altiſſimi. Sic de regione Sodomæ dicitur, quòd erat quaſi paradyſus Dei, hoc eſt, quaſi hortus amœniſſimus. Nihil enim aliud vult quàm oſtendere, optimum

ſitum

ſitũ illius regionis. Sic & Niniue hic dicitur ciuitas Dei, hoc eſt, tam magna, tam pulchra, tam diues, &c. vt ſi Deus in ciuitate aliqua habitare voluiſſet, illam præ omnibus elegiſſet. Quòd autem in fine additur, eã habuiſſe tridui itineris amplitudinem, plures quidem ſic intelligunt, quòd in gyro vix tribus diebus circuiri potuiſſet. Verùm ſecundum hunc ſenſum, habuiſſet ad minus duodecim aut quindecim miliaria Germanica in circuitu, quod veriſimile non eſt, cùm nec Babylon tantę magnitudinis fuerit, quę tamen ab omnibus Hiſtoriographis omnes alias orbis ciuitates in magnitudine ſuperaſſe dicitur. Rectiùs igitur ſic intelligitur. Niniuen tantę magnitudinis fuiſſe, vt omnes eius plateas vix in tribus diebus quis peruagari potuiſſet. Omnia autem hæc ideo tam diligenter deſcripta ſunt, vt maiori admirationi ſit tantæ ciuitatis populum tam vnanimi conſilio ad pœnitentiam conuerſum fuiſſe, quod de nulla alia ciuitate, ne de Hieruſalem quidem legitur. Sequitur igitur: *Et cœpit Ionas ingredi ciuitatem itinere dies unius*. Sunt qui putent Ionam & pręcepti & ſuperioris naufragii memorem, tanto feruore prędicaſſe, vt viam trium dierum vnius diei feſtinatione compleuerit. Quamquam alii ſimpliciter ſic intelligant, quòd in tertia tantùm vrbis parte prædicauerit, & ad reliquos cõfeſtim prædicationis ſermo peruenerit, quòd ipſum auget miraculum tam ſubitæ conuerſionis eorum. Sed quidnam Ionas prædicauit? Audi: *Adhuc quadraginta dies, & Niniue ſubuertetur*. Breuiſſima concio, in qua tamen ſimul videmus & iuſtitiam Dei & miſericordiã. Iuſtitiæ eſt, quod ait: Niniue ſubuertetur. Nã hoc commeruerãt, quamuis nõdum finalis eſſet ſententia, ſed tantùm comminatio, cum conditione, niſi ſcilicet conuerterentur, quemadmodum & & omnes aliæ comminationes intelligendæ ſunt, vt ex Hieremia patet. Miſericordiæ autẽ Dei eſt, quòd ipſos prius futuræ perditionis præmonet, ac ſimul etiam tempus pœnitentiæ dat, quemadmodum & olim ante *Hier. 18*

dilu-

Gen. 6. diluuium pœnitentiæ tẽpus dabat centum viginti an-
Gen. 15. nos, Chananæis autem multò plures. Nam à tempore Abrahæ iam cõmeruerant exterminari. Niniuitæ autem breue tempus patiendi habebant, quia diu expectauerat & diſſimulauerat Deus, & iam menſura ipſorum pléna erat. Peccata enim ad ſummum vſque accreuerant. Quamuis autem Ionas ſciret Deum ipſis condonaturum peccata propter pœnitentiam, non tamen quicquam verbis Dei auſus fuit addere, ſed ſimpliciter propoſuit, quod iuſſus fuerat ꝓponere. Adhuc quadraginta, inquit, dies, &c. Iudicium enim Domini erat, vt hoc verbo terrerentur, vel terrore huius verbi affligerentur Niniuitæ. Volebat inſuper Deus illis Spiritum ſuum infundere, quò & veritatem agnoſcerent, & humiliarentur, confunderenturque per hoc impii ex Iſraël, qui Niniuitis ad vnius diei prędicationem cõuerſis, multis & ſummis Dei Prophetis apud eos continuis nõ acquieuerũt, quin potius eos perſequuti ſunt. Sed dicis, Nihílne amplius prędicauit Ionas, ꝗ̃ hoc? aut qualis prædicator fuit, qui ſolo terrore homines ad pœnitentiam adducere voluit, cùm certum ſit, eam pœnitentiam, quæ ex ſolo terrore oritur, ad ſalutem nõ ſufficere? Reſponſio. Scriptura hoc loco tantùm paucis his verbis prædicationis eius ſummam complexa eſt. Veriſimile enim eſt, Ionam nedum hæc verba dixiſſe, ſed copioſius etiam ſubuerſionis futuræ rationem reddidiſſe, quam ob rem ſcilicet ipſis expectanda eſſet ira Dei, & quanta in vrbe eſſet malitia. Item quomodo & quibus mediis veniam conſequi poſſent, periculũq; euadere. Deinde ex ipſis verbis, vt iam dictum eſt, patet, quòd Ionas cum terrore, quem ingerebat, ſimul etiam gratiam Dei prædicauerit, in eo quòd oſtendit adhuc tempus pœnitendi ipſis ſupereſſe & à Deo concedi. Hinc enim planè videre poterant Dei miſericordiam, vt qui ipſorum perditionem non cuperet, ſicq; ſpem de venia conſequenda concipere. Non immeritò tamen Ionas à terrore incipit prędicationem pœnitentię.

nitentiæ. Nemo enim perfectè pœnitet, niſi agnito peccato: peccatum autem non agnoſcitur, niſi ex reuelatione diuini iudicii. Hinc eſt, quòd Ionas à iudicio Dei incipit. Hinc item eſt, quòd Deus legem Euangelio præmiſit. Nullum enim locum in homine inuenit gratia, niſi prius in ſpiritu vehementi, in ipſo conterantur montes ſuperbiæ humanæ, &c. Quis autem dubitat magnũ terrorem fuiſſe in Niniue, cùm Ionas ille omnes per plateas clamaret: Adhuc quadraginta dies, &c. Cæterùm ſimiles clamores nos quotidie audimus. Siquidem ſapientia clamitat in plateis, clamat & iuſtitia Dei. Ioannes clamat, Tranſit mundus & concupiſcentia eius. Clamat Paulus, Reuelatur ira Dei de cælo ſuper omnem impietatem, &c. Dicit Ioannes, Chariſſimi, nouiſſima hora eſt. Dicit Paulus, Tempus breue eſt. Dicit idem, Adhuc modicum aliquantulũ, & qui venturus eſt, veniet, &c. Hæc & huiuſmodi continuò audimus. Non ceſſat enim Ionas inter nos deambulare, idque ex ſpeciali Dei gratia. Vtinam autem faciamus quod fecerunt Niniuitæ. Sequitur: *Et crediderunt uiri Niniuitæ Domino.* Hic audis fructum prædicationis Ionæ, & verè mirabilem fructum, quem nullus in Niniuitis ſperaſſet. Primùm in eo, quòd primo ſtatim die prædicationis, cùm Ionam vt ignotum potuiſſent contemnere, crediderunt. Deinde, quòd omnes ſimul conuertuntur. A minore, inquit, vſque ad maximum. Poſtremò ꝙ non fucatam, ſed veram pœnitentiam agunt: idque eo ordine, quo oportet. Hoc, inquam, admiratione dignum fuit in Niniuitis gentilibus. Nam ſi Iudæi ſimile quid feciſſent, non adeò mirum fuiſſet, vt qui à iuuentute verbo Dei edocti erant. Atque hoc etiam eſt, quod Chriſtus Iudæis, vtinam non & nobis, obiicit. Viri, inquit, Niniuitæ ſurgent in iudicio cum generatione hac, &c. Simile quiddam & alibi, admiratus fidem Centurionis, dixit: Amen dico vobis, nõ inueni tantam fidem in Iſraël, ideo dico vobis, multi venient

3.Re.19 Pro.10. 1.Ioã.2. Rom.1. 1.Ioã.2. 1.Co.7. Hebr.10 Mat.12. Mat.8.

venient ab Oriente,&c. & recumbent cum Abrahã.
Verùm ipſa verba ponderemus præſentis textus. Et crediderunt, inquit, Domino. Hoc plus eſt, quàm ſi dixiſſet: Et audierunt Ionam,&c. Cæterùm vtroque verbo damnantur Iudæi & multi etiam Chriſtiani, vt qui ne audire dignentur, tantum abeſt vt credant. Deinde pulchrè etiam à fide inceperunt, alioqui nihil curaſſet Deus ipſorum ieiunium, &c. Fides nãque primum & vltimum eſſe debet, tam in pœnitentia,quàm in aliis bonis operibus, alioqui quod ex fide non fit,
Rom.14 Deo placere non poteſt. Hinc eſt, quòd ſcriptura toties Iudæorum opera reiicit, etiam quæ in ſpeciem bona erant. Hinc etiam eſt, quòd Paulus ipſos à vera iuſtitia excludit,vt quam conſequi nequirent. Quia, in-
Rom.10 quit,quaſi ex operibus, non autem ex fide. Sed quidnam crediderunt Niniuitæ? Nimirum non iocum, ſed rem ſeriam eſſe, quod Ionas prædicabat. Credebant Deum ipſis iratum, credebant ſe puniendos, credebant quòd Deus iuſtus, verax, potens eſſet, credebant tãdem ipſum etiam bonum & miſericordem eſſe. Hoc, inquam, crediderunt, non Iſraëlitæ, ſed Niniuitæ. Atque vtinam nos tota vita noſtra ex tot concionibus auditis, tantum didiciſſemus. Cæterum, ꝙ tam citò crediderunt, Deus ipſe affecit ſua gratia, ad maiorem condemnationem Iſraëlis, imò omnium etiam pſeudochriſtianorum. Sed nunquid tantum crediderunt? Nequaquam. Sic enim ſequitur: *Et prædicauerunt ieiunium, & veſtiti ſunt ſaccis.* Fixa in Niniuitis pretioſiſſima fidei radice, impoſſibile erat non ſequi fructus veræ pœnitentiæ & bona opera: Fides enim vera, ſemper eſt operoſa. Credentes, inquit, Niniuitæ ſtatim prædicauerunt ieiunium, hoc eſt, reipſa & externa ſpecie oſtenderunt, ſe ex animo dolere de peccatis, & veniam quærere & deſiderare. Ieiunium enim & ſaccus, conueniens eſt cibus & veſtitus ad pœnitentiam. Cæterùm, ſi credentes ſic faciunt, conſequitur, ꝙ qui poſt auditum verbum Dei adhuc

in peccatis & luxu permanent, non credant, hoc eſt, viuam fidem habeant. Vide igitur, quàm noſipſos decipiamus, qui de ſola & nuda fide gloriamur. Quale autem fuerit ieiunium illud Niniuitarum, & quid ſignificet ſaccus, infrà audiemus. Dignum quippe erat, vt qui luxu, & ambitione Deum offenderant: nunc damnatione eorum Deum placarent. Pulchrè autem omnes ſimul pœnitēt, quia nemo ſine peccato. Pulchrè etiā maiores incipiūt, vt ipſorū exemplo iuniores permoueantur, imò in totum pulcherrimus ordo hic obſeruatur. Præcipit Deus Prophetæ, & Propheta prędicat ciuitati, prius viri credunt, illis ieiuniū prædicantibus, omnis ætas ſacco induitur. Et viri quidem non ſaccum prædicant, ſed ieiuniū: At verò hi, quibus pœnitentia præcipitur, ad ieiunium, etiam ſaccum copulant, vt inanis venter, & habitus luctuoſus, vehementius Deum permoueant. Quamdiu enim in luxu viuimus, & ambitione veſtium nos oſtentamus, ſignum eſt, quòd non ex corde pœnitemus. Nihil quidē hæc externa ſatisfaciunt, ſed tamen animum verè pœnitentem oſtendunt. Niniuitę igitur, ſicut internè pœnitebant, ſic externæ pœnitentiæ etiam ſigna, imò fructus veros præ ſe ferebant. Quis autem non videt, quàm hic nos damnet hæc Niniuitarum pœnitentia? Quis enim noſtrûm terretur ad verbum Dei? Quis vel tantillum remittit prioris & conſuetæ crapulæ & pompoſitatis veſtium? &c. Sed ſubinde ſaxis duriores manemus, quotidieque verbū Dei audientes & iudicium Domini, ſubinde peiores efficimur, &c. Quis igitur non videt, quid nobis expectandum, imò timendū ſit? Faxit Deus, vt mala noſtra præueniamus, &c.

FERIA QVARTA.

EVangelium hoc ab exordio ad finem vſque, nihil niſi inſignia verba habet, & talia, quę merito piis gaudium, impiis terrorē incutere deberent,

quamuis

quamuis Chriſtus duo hæc ita temperet, vt longè plura ſint eorum verborum, quæ conſolantur, quàm quæ terrent. Meruerant Iudæi, vt ſæuerius à Chriſto tracta rentur, verùm ipſe vno verbo contentus eſt ipſos com
Ioan. 8. monuiſſe. Vos, inquit, non creditis, quia non eſtis ex ouibus meis. Simile quid & in Euangelio Dominicæ pręcedentis audiuimus: Propterea, inquit, vos non auditis, quia ex Deo non eſtis. Sunt quidem duo breuia verba, ſed quæ magnam ſeueritatem oſtendunt. Altero enim eorum ipſos à gratia Dei, altero à ſuo patroci nio excludit. Quid autem homo his expectare poſſet niſi certam perditionem, qui neque ad Deum, neque ad Chriſtum pertinet, quem neque Deus ſua gratia dignatur, nec Chriſtus eũ inter ſuas oues connumerat? Hęc ſibi dictã ſciant, qui etiam inter nos verbum Dei contemnunt, &c. Chriſtus enim hîc apertiſſimè dicit, quòd qui verbum Dei non audiunt, nec ex Deo, nec ex ouibus ſint Chriſti. Vbi tu coniice, cuius ſint & ad quem pertineãt, qui & à Deo & à Chriſto alieni ſunt: Econtrà autem pius homo cum gaudio audiat, & cum diligentia ſecum recogitet, denique ſinat ſibi eſſe incitamentum ad omnia bona, quòd Chriſtus tam magna promittit his, qui verbum, & vocem eius audiunt. Nominat enim ipſos oues ſuas, dicit ſe eos cognoſcere, dicit ſe eis vitam æternam daturum, dicit ipſos nunquam perituros, dicit neminem eos poſſe rapere de manu ſua, imò dicit ipſos in manu Patris ſummi poſitos, & finaliter nominat ipſos etiam deos. Et quid maius promittere potuiſſet? Quem hæc promiſſa non trahunt, nihil trahet. Itaque fratres, hæc attendamus: huc conemur, quęrant alii diuitias, nos Chriſtum & verbum Dei quæramus. Futurum eſt enim, vt mundi amatores cùm in reſurrectione euigilauerint, nihil diuitiarum inuenturi ſint in manibus ſuis:
Pſal. 75 Econtrà videbunt pii, certiſſimam eſſe felicitatem ſequi Chriſtum, &c.

FERIA SEXTA.

HOc Euangelium, ſi rectè attendamus, verum & primum exordium eſt Dominicæ paſſionis. Nam in hoc cõcilio finaliter cõcluſum & ſententiatũ fuit, Chriſtum interimẽdum eſſe, & ab eo die etiam quærebant opportunitatem ipſum capiendi. Impius *Ioan. 11* enim Cayphas eum diutius videre non poterat, nam clariſſima veritatis lux adeò impium hunc pontificem excęcauerat, vt amplius videre non poſſet, quid ęquũ, quid iuſtum, quid diuinum, quid denique ſibi populoque ipſius eſſet commodum vel incommodum. Chriſtus illi erat ſpina in oculis, ideo ita inſanit in concilio, iraſcitur, quòd tunc primum conſultare volebãt, & nõ iam dudum ipſum quoquo modo interfeciſſent. Vos neſcitis, inquit, quicquã, nec cogitatis, &c. Adeò feſti *Ioan. 11* nabat impius ille, vt Chriſtus ex oculis eius tolleretur, cùm tamen non opus fuiſſet hac de re feſtinare. Iam enim propediem futurũ erat, vt Chriſtus & impium hũc & omnes complices eius in perpetuum relicturus eſſet, quemadmodum & paulò pòſt factum eſt. Quia igitur hoc Euangelium totius paſſionis exordiũ eſt, conueniens videretur, quòd vel nunc tandem à Iona ad Chriſtum nos verteremus: Cogor tamen prius cœptam de pœnitẽtia Ionæ prędicationem abſoluere, ob cauſas pręcedenti Dominica aſſignatas. Dilata igitur etiam nunc paſſione Domini in futuram ſeptimanam, nunc Ionam abſoluamus.

PROSECVTIO IONAE.

AVdiſtis ſuprà, qualem pœnitentiam inſtituerint Niniuitæ, cùm à Iona audirent Deum ita decreuiſſe,

uiſſe, vt poſt quatuordecim dies tota ciuitas, propter peccata inhabitantium, funditus ſubuerteretur. Crediderunt, inquit, Deo, & prædicauerunt ieiunium, &c. hoc eſt, ad primum auditum verbi Dei ceſſauerunt à conſueto luxu & voluptate cibi & potus, itemque à ſuperbia & pompoſitate veſtium, quin & ſtatim ad contraria ſe vertentes, ieiunium & humiliationem ſui apprehenderunt, nimirum vt præcedentem voluptatem, quam habuerant in cibo & potu, fame & abſtinentia, priorem autem ſuperbiam in veſtibus, humilitate punirent ac penſarent. Et hoc quidem, etſi nōdum perfecta eſſet pœnitentia, nō paruum tamen exordium ad ipſam erat, Sicut enim cor verè pœnitens eſſe non poteſt, vbi adhuc voluptas in cibo & potu, & ſuperbia in veſtibus quæritur: ſic non dubium eſt, cor hominis immutatum eſſe, imò hominem diſplicentiā habere de præterito ſuo luxu & ſuperbia, vbi incipit ſeipſum punire voluntaria abſtinentia & humiliatione ſui. Itaque quod Niniuitæ hactenus fecerunt, exordium quidem pœnitentiæ dici poteſt, at nondum perfecta eſt pœnitentia. Quid igitur amplius requiritur ad veram pœnitentiam? Audi ſequentia: *Et peruenit verbum ad Regem Niniue, &c.* Hic tandem videbimus perfectam Niniuitarum pœnitentiam, non ſolùm quo ad populum, ſed etiam quoad ipſos principes & regē. Eſt autem opus, quod meritò omnibus admirationem incutit. Simile enim in nulla hiſtoria legimus, ne ſacra quidem. Prophetarum quidem totum ſtudiū erat, talem pœnitentiam inſtituere in Hieroſolymis & populo Iſraël. Hinc Iohel clamat, Canite tuba in Syō, prædicate ieiuniū, &c. Hoc, inquam, cupiebant Prophetæ, at fruſtrà. Quòd ſi etiam Iſraëlitæ talem pœnitentiam inſtituiſſent, non tam mirum fuiſſet, cùm legem Dei haberent, & tot Prophetas, tot pios reges, tot ſacerdotes, tot inſignes ſanctimonia viros: At apud Niniuitas nihil fuerat, niſi merus Paganiſmus, mera impietas, nihil de Deo vero audierant, niſi nunc à Iona.

Iohel 2.

na. Nec quiſquam Prophetarum ad ipſos venerat vnquam, niſi vnus Ionas, & tamen tam properè conuertuntur. Vixdum Ionas in tertia parte vrbis prædicauerat, & iam fama ad omnes peruenerat, vt pœnitentiam maior pars inciperet, antequam Ionam vidiſſent aut audiſſent. Non igitur mirum, quòd Chriſtus incredulis Iudæis, imò omnibus impœnitentibus hoc exemplum obiicit. Viri, inquit, Niniuitæ ſurgent in iudicio *Mat. 12.*
cum generatione hac, & condemnabunt eam. Quomodo enim & quibus modis nos excuſabimus, ſi Chriſtum quotidie audientes, non tantum facimus propter euitanda æterna mala, quantum illi ad vnam prædicationem Ionæ fecerunt, ad euitandum temporale exterminium? Cogitemus hæc fratres. Nō fruſtrà Chriſtus cum tanta grauitate hoc exemplum Niniuitarum aliis obiicit: Nec eſt, quòd quiſquam putet ſolis Iudęis hoc obiectum eſſe. Si enim nos in ipſorum locum vocati ſumus, ad gratiam & promiſſiones Dei, certò etiam ſuper nos venit quicquid illis comminatus eſt Deus, ſi ipſorum peccata & ingratitudinem imitemur. Si ſpiri- *Rom. 2.*
tuales Iſraëlitæ eſſe volumus, vt verè ſumus, oportet etiam nos, ſi mali ſumus, expectare mala, malis Iſraëlitis comminata. Sed de his ſatis. Expendamus ipſa verba textus. Peruenit, inquit, verbum ad regem Niniue. Verbum hoc dupliciter poteſt intelligi; primò, ſecundum morem ſcripturæ de toto facto Niniuitarũ, vt verbum accipiatur pro facto, quéadmodum & aliàs, cùm dicitur: Quod eſt verbum, quod factum eſt, &c. *2. Re. 1.*
Et ſecundum hoc magna laus eſſet iſtius regis, quòd etiam facta & negotia populi ad ſe peruenire paſſus eſſet. Qui enim rex aut princeps hoc facit, is in omnibus conſulere ſcit populo. Hinc enim videt & vbi auxiliari, & vbi prohibere debeat. Nec quicquam peius apud nos eſt, q̃ ꝙ verbum non peruenit ad reges & principes. Sunt eorum aliqui ex ſeipſis tam ſuperbi, vt ignominiam ſuam putẽt cauſas ſubditorum audire. Sunt alii qui audire quidem prompti eſſent, ſed adula-
 tores

tores obſiſtunt,quo minus negotia ſubditorum perueniant ad principes. Et ob eam cauſam ſæpe patitur iuſtus. Væ igitur omnibus regentibus, qui non imitantur hunc regem Niniue in hoc. Aliter autem & propius ad rem, intelligitur verbum hoc, de verbo Dei, quòd ſcilicet etiam hoc peruenerit ad regem Niniue. Hoc autem ſcriptura ſignanter commemorare voluit, quia admodum rarum eſt in mundo. Nam quòd pauperes ſe humiliant, quòd indocti aliis obaudiunt, quòd miſeri ad Deum clamant, non adeò mirum eſt: nam ad huiuſmodi eos incitat & vrget ipſorũ paupertas, ignorantia, miſeria. Quòd autem quis magna poteſtate præditus, ſe ex corde humiliet, & in magno honore conſtitutus, ſe nihil & peccatorem agnoſcat, & magnis diuitiis plenus Dei timorem non excludat. Denique, vt qui doctus & in oculis ſuis ſapiens eſt, ſimplici verbo Dei credat, verè rarum eſt. Poteſtas enim & gloria, diuitiæ & ſapientia mundana, homines ita excæcare ſolent, vt pro maxima ignominia ſua ducant, ſeipſos humiliare, orare, ſe peccatores confiteri, & verbo Dei obſequi. Quid autem facit hic rex? Peruenit, inquit, verbum Ionæ ad regem Niniue. Non dicit, quòd Ionas ad ipſum peruenerit, & de nouo ipſi prædicauerit: Sed, Verbum, inquit, quod Ionas in ciuitate clamauerat, ad ipſum peruenit, ea communi & populari concione contentus, ita verbum ipſum accepit, quaſi ab ipſo Iona, imò ex ipſo ore Dei audiſſet. Non enim faciebat, vt noſtrorum regentium aliqui faciunt, qui etiamſi ſciant verbum Dei eſſe quod audiunt, & videant alios eodem verbo moueri ad pietatem, ipſi tamen primùm diſputare incipiunt, quis ſit qui verbum annuntiauerit. Sic faciebat impius Ocho-
4. Re. 1. zias, qui audita in ſe Dei ſententia, quaſi nihil curans, quæſiuit cuius conditionis eſſet Propheta, qui eam ſententiam pronuntiaſſet. Non ſic facit rex Niniue, non quærit de Propheta, ſed verbum Dei ſuſcipit, & pœnitentiam agit etiam antequam Ionam videat.

deat. Et quanquam ſcriptura dicat, verbum Dei per Ionam prius veniſſe ad populum, & poſtremò omniũ ad regem, cùm iam tota ciuitas plena eſſet (ſic enim communiter veritas tardè peruenit in aulas principũ; nec quiſquam ipſis miſerior eſt, vt qui ferè nunquam veram veritatem audiunt.) In hoc tamen rege laude dignum eſt, quòd verbum Dei, etſi tardè ad ipſum perueniat, tamen locum ingrediendi aulam eius habet & inuenit. Quot autem nunc inueniuntur nedum principes & reges, ſed humiliores etiam ſtatus homines, qui non tantùm aures, ſed etiam omnes ianuas occludunt verbo Dei & Prophetis? ne quoquo modo triſtitia aliqua carnale ipſorum gaudium perturbet. O inſanos homines, qui quod manibus & pedibus quærendum erat, excludunt. Neſcitis miſeri, ꝙ excludendo verbum Dei, etiam Deum ipſum excluditis, atque adeò propriam ſalutem? Qui vos, inquit, ſpernit, me ſpernit. Aut putatis, quòd de tam putrido verme tantum ſui contemptum vindicaturus non ſit Deus? An non legiſtis, quod ad Saulem dictum eſt: Quia abieciſti verbum Domini, abiecit te Dominus, ne ſis rex. Iam ſi contingat te eiici ex eo in quo confidis, quid pòſt facies, cùm Deum ipſum iam dudum amiſeris?

Luc. 10.

1. Re. 15

Videtis fratres, quàm neceſſarium eſſet, vt hoc exemplum regis Niniuitarum bene ponderaretur? Verùm nondũ finis, Rex ille noſtrates principes adhuc magis confundet. Quid igitur amplius fecit? *Abiecit ueſtimentum ſuum, & indutus eſt ſacco, &c.* Hîc obiicit aliquis, Hóccine tam magnum eſt, indui ſacco, abiicere veſtimentum, ſedere in cinere? Verè magnum eſt, ſi eo modo fiat, quo hic rex fecit. Non enim hic externus tantùm apparatus aut geſtus, attendendus aut cogitandus eſt, non enim hoc vult textus hic, quòd rex, more inſanorum, veſtimenta abiecerit, aut ꝙ in ſaccum aliquem prorepſerit, vel denique, quòd ad focum accedens, in cinere ſederit. Sed hac verborum congerie ſcriptura oſtendere voluit perfectam huius regis hu-

 milia-

miliatione͂, vt qui audito Dei iudicio, nec Regiæ digni tatis, nec gloriæ veſtium, nec voluptatis ciborum, &c. memor, imò omnium horum oblitus, ſe totum Deo proſtrauerit, caput dimiſerit, pectus percuſſerit, genua curuauerit, hominem mortalem & peccatorem ſe recognouerit, omni gratia indignum, ſummam autem pœnam commeritum. Hoc erat regi huic in ſacco & cinere ſedere, alioqui ſaccus & cinis nihil ad rem faciunt, niſi ex fide & animo proficiſcantur. Non igitur Chriſtianos, ſed ſimios agunt, qui externa tantùm in aliis imitantur, non attendentes ipſorum fidem & animum, &c. Rex igitur Niniue indutus eſt ſacco, & ſedit in cinere. Hic igitut attendite Reges & Principes. Hoc enim exemplum omnes vos nunc pudefacit coram mundo, & in fine damnabit coram Deo: Viri, inquit, Niniuitæ ſurgent in iudicio, &c. Bone Deus, quàm diſſimiles Niniuitis ſumus! Quãdo ſemel verè pœnitebimus, ac verè honorabimus verbum Dei? Videmur quidem id ipſum externè honorare, &c. at interim nemo ſurgit è ſolio ſuo, nemo humiliatur, nemo emendatur, imò plerique verbo Dei excuſare nituntur peccata ſua, &c. Hóccine autem eſt verbum Dei honorare? Non ſic fecit reo ille, ſed longè alium honorem exhibuit verbo Dei, in eo, ꝙ ſurrexit de ſolio, &c. Nec hoc contentus, etiam alia nos docebit adhuc maiora. Audi igitur: *Et clamauit ex ore Regis & Principum, &c.* Pro ſe iam plura fecerat, at nunc curat etiam pro ſubditis. Nam ſententia Dei per Ionam prolata, non tantùm contra ipſum erat, ſed contra totam ciuitatem. Quatuor autem per ordinem mandat. Primùm, vt homines & iumenta nihil guſtent aut edant. Et hoc quidem quoad iumenta, ridiculum videtur. Quid enim illa commiſerunt, vt indicatur eis ieiunium beſtiarum? Aut nunquid Deus fame beſtiarũ mouetur? Nihil minus. Quid igitur ſibi vult hoc regium mandatum? Sunt qui per homines & iumenta hic intelligunt doctos & indoctos, adultos & infantes.

ſantes. Alii ad literam intelligunt, regem præcepiſſe, vt etiam iumentis ad tempus pabulum ſubtraheretur, vt ſic homines nõ tantùm in ſeipſis, ſed etiam in rebus ſuis punirentur. Potiſſimum tamen per hoc oſtẽditur, pœnitentiam Niniuitarum fuiſſe ſeriam, grauem & efficacem. Animus enim metu cõſternatus & conſciẽtia contrita & humiliata, maiora & abſurdiora facit, vt teſtetur ſe ſeriò duci anteactæ vitæ pœnitentia, atque adeò ſi vllo modo fieri poſſet, etiam ligna, ſaxa, ſilices, omnes præterea creaturas ad vnà lugendum & lamentandum induceret, & tamen ne ſic quidem minimam partem verę pœnitentię ſe aſſequi poſſe putaret. Neq; enim vlla oratione ſatis explicari poteſt, quanta ſit cordis peccata ex animo deteſtãtis pœnitentia, putat enim neminem non ita debere eſſe affectum, vt ipſum eſt. Atque hi ſunt gemitus inenarrabiles, quos operatur in nobis Spiritus ſanctus. Hinc & Dauid fatetur ſe in morem leonis rugiiſſe præ gemitu cordis ſui; hoc eſt, tantam fuiſſe in corde ſuo pœnitentiam & gemituum ſuſpirationem, quam erũpentibus lachrymis & eiulatibus adeò immanè declarauerit, ac ſi quis frendentis leonis rugitum audiuiſſet. Vbi autem Deus tam ſeriam cordis pœnitentiam conſpexerit, contentus eſt: adeò, vt illi etiam quæ abſurdè fiunt placeãt, quæ alioqui ne aſpiceret quidem, niſi tam certa vſqueadeò humiliati cordis ſignificatione fierent. Quamobrem & Ionas Niniuitarum pœnitentiam valde ſignificanter & graphicè depinxit, vt eam quæ fuerit grauis, ſeria, efficax. Sic igitur intelligendum eſt, quòd rex Niniue etiam voluit, vt iumenta ieiunarent, ſaccis indurentur, & clamarent. Obſeruandum autem, quòd nõ qualemcunque abſtinentiam, ſed omnimodam indixit rex ille. Vnde ſatis colligimus, ieiunium in ſcripturis aliud quiddam eſſe, q̃ temperãtiam aut ſobrietatem victus. Nam temperantia omnibus & ſemper præcepta eſt, ne ſcilicet grauentur corda noſtra crapula & ebrietate: Ieiunio autẽ, hoc eſt, omnimoda abſtinentia tan-

Pſal. 37 *Luc. 21.*

tùm vtebantur tempore pœnitentiæ & orationis, &c. Errant igitur, qui nolunt in Eccleſia aliud ieiunium habere: quàm temperantiam totius vitæ. Nam & ieiunium non minus quàm ſobrietas, fundamentum ſuum in ſcriptura habet. Obſeruandum & hoc, quòd tempore neceſſitatis poteſtas indicere poteſt ieiunium. Malè igitur & iniuſtè ob hoc damnatur Eccleſia, quæ certis diebus filiis ſuis indicit ieiunia & orationes, &c. Sequitur: *Et clament ad Dominum in fortitudine, &c.* Hoc eſt tertium, quod rex Niniuitarum ſubditis mandat: (Nam ſecundum erat, vt homines & iumenta ſaccis veſtirentur) Non ſimpliciter autem vult vt orent, ſed vt clament, idq; nõ frigidè, ſed in fortitudine, & non vnus tã
Mat. 18. tum, ſed ſimul omnes. Clamorem, inquam, magnum & communem exigebat: fieri enim non poteſt, quin multorum clamor ex fide clamantium nõ exaudiatur. Et reuera magnus & miſerabilis clamor fuit in Niniue inter tot homines & iumenta, vbi adulti pro gratia clamarent, pueri autem & iumenta ex fame. Hoc enim agebat rex, vt omnium maximè miſerabilis clamor eſſet, quò citius Deus ad miſerendum commoueretur. Sed nunquid ſatis eſt clamare? Nequaquam. Quin quod maximè neceſſarium eſt, nondum audiuimus: *Et auertatur uir à uia ſua mala & ab iniquitate, quæ eſt in manibus eius.*

Hîc tandem veræ pœnitentiæ caput attingit. Nam ſine hoc nihil proſunt omnia priora. Atq; hîc tandem videmus, quale fuerit ieiunium ipſorum, nempe non tantùm abſtinentia à cibis, ſed etiam à peccatis. Itéq;, qualis fuerit eorum humilitas, nempe non ficta & hypocritica, ſed vera qua ſcilicet ex animo cõfitebãtur ſe hactenus malè egiſſe. Videmus ecõtrà hic oſcitantiam noſtrã, qui in pœnitẽtia tãtùm externa illa attẽdimus, ieiuniũ ſcilicet & orationẽ, &c. de emendãda vita nihil curamus. Indicimus ieiunia, at nihil de emẽdãda vita, cùm hoc potiſſimum ſit in pœnitentia, quod Deus maximè quærit. Diſcamus igitur vel à Niniuitis verè pœnitere.

pœnitēre. Si enim verè & ex animo doles de peccatis, cur ea non relinquis? cur ea repetis? hoc eſt, Quieſcite agere peruerſè, diſcite bene facere, &c. Item, declina à malo, & fac bonum, &c. Sequitur: *Quis ſcit ſi cõuertatur Deus & ignoſcat, & reuertatur à furore iræ ſuæ, & non peribimus*. Hic perinde loquitur rex, quaſi incertus ſit, num Deus velit eſſe clemens & propitius, cum tamen fides requirat certitudinem, ne de gratia Dei dubitemus. Qui enim dubitat, non æſtimet ſe aliquid acccepturum à Deo. Sunt autem qui putent, regem data opera ſic dubitanter loquutũ, vt homines eò fortius ad pœnitẽtiam moueret, quaſi diceret: Faciamus quęcunque poſſumus, vix tamen credibile eſt, vt miſericordiam conſequamur, quantò minus ſi frigidè & remiſsè egerimus. Alii volũt verbum hoc regis eſſe quidem ſignum fidei, ſed eius, quæ adhuc in metu eſt, & pugnat, quæque gratiam Dei ante oculos habeat præfixam. Quaſi diceret: Agamus quod poſſumus, ieiunemus, emendemur, clamemus, &c. Quis ſcit ſi conuertatur, &c. Eſto, ſimus Pagani, & de promiſſione gratiæ nihil à Iona audierimus: quis ſcit tamen, ſi fortè etiam nobis ignoſcat? Sumus enim & nos creaturæ eius, non minus quàm Iudæi: Simus nos qualeſcunque ſumus, tamen Deus idem permanet, ſeipſum negare non poteſt, &c. Fortaſſis etiã dubitauit rex ille, num eſſet ſententia diffinitiua, aut tantùm comminatio. Quis ſcit, inquit, &c. Nos noſtra faciamus, de euentu Deus ipſe viderit, nec nos volumus deſperare. Vide quàm piè omnia inſtituat & loquatur rex ille, vtinam idem facerent omnes reges & principes, &c. Hactenus igitur ſatis audiuimus pœnitẽtiam Niniuitarum, quàm pia & perfecta fuit. A fide enim incipiunt, in ſpe miſericordiæ Dei concludunt, in medio ieiunant, humiliantur, orant, à peccatis ceſſant, &c. Quomodo hanc pœnitentiam deſpiceret Deus? Et quomodo melius agere potuiſſent, etiamſi à puero in ſchola Chriſti edocti fuiſſent? Atq; hinc facilè

Eſa. 1.
Pſal. 33
Iaco. 1.
2.Tim.2

cilè videmus, quid nobis deſit. Nam plerique Ionam clamantem nec audire dignantur, alii audiũt quidem, ſed non ſurgunt ad pœnitentiam. Alii pœnitentiam ap prehendunt, ſed externam tantùm, ſine fide, ſine contritione cordis. Alii pœnitent, ſed vitia non relinquũt. Alii in ſua opera confidunt, &c. Omnes hos damnat pœnitentia Niniuitarum. Vera itaque pœnitentia hæc exigit, nimirum, vt audiamus, ſurgamus, credamus, ieiunemus, humiliemur, cõfiteamur, emendemur, hęc omnia in ſpe diuinæ miſericordię per Chriſtum. Hęc, inquam, exigit vera pœnitentia. Hæc exigit à nobis Quadrageſima, quam tunc rectè nos abſoluiſſe putemus, ſi Niniuitas imitantes, quæ iam dicta ſunt, præſtiterimus, &c.

DOMINICA PALMARVM.

HAEC iam altera Dominica eſt, quæ nos Paſſionis Dominicæ admonet, ſed aliquantò vehementiùs, quàm prior illa. Imò, hodie initium habemus felicis illius Septimanæ, in qua ipſa Paſſio Chriſti & cœpit & cõſummata eſt, vnde & congruũ eſt, vt vel hodie primùm & aures, & oculos, & corda ſtudioſiùs aperiamus, nimirum, vt cum maiori diligentia audiamus, cum maiori deuotione intueamur, cum maiori denique laude & gratiarũm actione cogitemus, magnum illud noſtræ redemptionis, reconciliationis, & beatificationis opus, quod hoc tempore per mortem Chriſti ſanctiſſimam factũ eſt. Et quidem Euangelium præcedentis ſextæ Feriæ, exordium Paſſionis Chriſti ſatis quidem oſtendit, ſed à longè adhuc. Hodie autem propiùs accedunt omnia ad ipſam Paſſionem. Tunc quidem Concilium habebant potentes Iudæorum, conſultantes quid in hac re agerent,

agerent, ac finaliter concludebât, Chriſtum omnibus modis occidēdum, quòd vt quàmprimum fieret, omnē diligētiam & laborem pro ſe quiſque pollicebatur. At ibidem tamē ſtatim ſequitur, quòd Chriſtus ab eo die ſe ex oculis eorum & conſpectu occultabat, quo facto cruentum ipſorum conſilium ad tempus, etiam contra ipſorū voluntatem differebatur. Feſtinabant quidem illi, vt ante feſtum Paſchæ Chriſtus occideretur, ſed fruſtrà. Emittebant mandatum, vt ſi quis noſſet, vbi Chriſtus diuerſaretur, eum indicaret, ſed fruſtrà. *Ioā.* 11.
Chriſtus ipſe & tempus, & diem, & horam ſuæ Paſſioni elegerat, quam Cayphas omni ſua potentia & aſtutia præuenire non potuit, quemadmodum cùm ea hora iam adeſſet, nemo eam impedire potuit, nec Petrus gladio percutiendo, nec Iudas iniquitatem ſuam confitendo, nec Pilatus Chriſtum multipliciter excuſando, nec denique Diabolus ipſe vxorem Pilati inſtigando. Oportebat enim fieri, quod Chriſtus ipſe dixerat: Poteſtatem habeo ponendi animam meā, &c. *Ioā.* 10.
Nemo eam à me tollet, ſed ego ipſe eam ponam. Sic igitur Chriſtus etiam poſt concilium Iudæorum ad tempus latuit, verùm non diu. Appropinquabat feſtum Paſchæ, feſtinabat populus ad Hieroſolymam, *Ioā.* 11.
nemo non ſe præparabat ad diem feſtum, quærebatur Chriſtus inter turbas, mirabantur omnes, ꝙ non veniret. Et ecce cùm nihil minus ſperarent, veniebat cū diſcipulis ſuis, non occultè, vt priùs aliquando fecerat, ſed manifeſtè. Imò vt ab omnibus videretur, conſcenſo aſino, ciuitatem intrauit. Denique & corda populi ita commouit, vt omnium obliti, ipſi occurrerent, cum honore eum ſuſciperent, ac cum canticis acclamationibusque ad templum vſque deducerent. Atque hic eſt ingreſſus ille, de quo Euangelium hoc dicit, ſpectaculum ſcilicet, cuius ſimile in Euangelio toto non inuenitur. Hiſtoria ab omnibus Chriſtianis cordi inſcribenda, denique opus, vnde meritò gaudere debent omnes filii Dei. Quæris quo modo? Audi.

In hac

In hac hiſtoria primò videtur qualis rex & quorum rex ſit Chriſtus. Humile ſiquidem illud iumētum, cui inſidet, pauperes diſcipuli, qui eum comitantur: Contemptus ille popellus, qui eum ſuſcipit: Pueri, qui in templo etiam adhuc clamant. Oſanna filio Dauid, maximè autem ipſius Chriſti humilis forma, amabilis facies, voluntarius aduentus, ac compaſſiuæ illi lachrymæ, quas ſuper ciuitatem Hieroſolymam fudit, ſatis indicāt, eum non eſſe talem regem, quales interdum mundus habet, nempe ſuperbos, faſtuoſos, auaros, rapaces, immiſericordes, tyrannos, &c. ſed qui plenus gratia, miſericordia, & charitate eſſet, qui omnibus cuperet benefacere, neminem propter paupertatem contemnens, nec propter peccata abiiciens: qui denique ſuos non grauaret, non magna exigeret, ſed paucis contētus, fidelem confeſſionem, humilem orationem, viridem ex arbore ramuſculum, hoc eſt, opus aliquod ex fide viua proueniens, veſtimētum vel aliud quoddam ſolatium pro animali ſuo, &c. boni conſuleret, ac pro magno æſtimaret, ac gratum haberet, taliaque facientes pro ſuis agnoſceret, ipſos non deferens, ſed à morte, peccatis & Diabolo erutos, ad cæleſtem Hieroſolymā & templū illud ſummi Dei duceret. Hoc, inquam, videtur, in hac hiſtoria. Talem ſe Chriſtus hic oſtendit. Et quid igitur mirū eſt, ſi Chriſtiani nos ad hāc hiſtoriam ſpeciali quodam modo afficiamur, vt non contenti eam legiſſe & audiſſe, etiam ipſam repræſentemus, ac omnibus modis ita agamus, quaſi nunc primùm coram oculis noſtris fieret. Verè enim duriſſimi cordis eſſet homo ille, qui non accurreret, hoc ſpectaculum non cuperet videre, hunc regem non honoraret, & non etiam ipſe cum omnibus electis cantaret: Benedictus qui venit in nomine Do-
Luc. 19. mini rex Iſraël: Pax in cælo: Gloria in excelſis: Saluifica & adiuua fili Dauid, &c. Hoc itaque primò videmus in hac hiſtoria. Deinde videmus hic, quo affectu & animo Chriſtus ad Paſſionem ſuam acceſſerit. Nam

Nam in hac hiſtoria non tantùm attendendi, quòd ſic intrare voluit Hieroſolymam, ſed quòd paſſurus ſic intrauit. Propter hoc enim hac vice aderat, pati & mori pro homine volebat, imò morte & paſſione ſua & mortem & Diabolum vincere. Ideo prius ab omnibus nedum videri voluit, ſed etiam proclamari vt rex Iſraël, eoque clamore totam ciuitatem commouere, *Mat..21* vt omnibus palam fieret eum adueniſſe, ne quis poſtea diceret: Ipſum vi & dolis Iudæorum præuentum fuiſſe. Impleri oportebat, quod prædictum erat: Oblatus eſt, non quia hoſtes eius voluerunt, ſed quia ipſe *Eſa. 53.* voluit. Præterea videmus in hac hiſtoria, quàm diligenter Chriſtus omnes figuras legis impleuerit, ne quis dubitare poſſit, ipſum eſſe verum illum promiſſum Meſſiam. Lex erat Iudæorum, vt in veſpere Paſchæ agnum immollarent, eumq; agnum quinto die *Exo. 12.* ante feſtum è grege ſeparent, vt omnes ſcirent eum ſacrificio Paſchali deputatum. Hanc figuram Chriſtus hodie impleuit, ipſe erat verus ille agnus, qui tollere debebat peccata mundi. In feſto autem Paſchali decretum erat, vt immolaretur, ideo quinto ante die ſe videndum omnibus præbet, vt omnes ſcirent, ipſum ex omni humano genere electum eſſe, qui pro peccatis mundi immolaretur. Omnia enim eò tẽdunt quaſi dicere vellet: En filiis Iſraël, ſatis iam figuris occupati fuiſtis, adſum ego veritas ipſa, diu & multa prędixerunt Prophetæ de Meſſia venturo, diu & cum magnis ſuſpiriis expectauerunt patres: En hic ſum, veſter rex, ſacerdos, mediator & ſacrificium, veſter ſum, & eſſe volo, pro vobis mori paratus, nec deſiſtam, donec plenè vos redimam, ideo nunc aduenio, &c. En hoc ſibi voluit hiſtoria hæc, cui Paulus apoſtolus, pulchram addit admonitionem. Hoc ſentire in vobis, &c. Hæc fuit hodierna Epiſtola, quæ pulchrè huic Euangelio additur. Duobus ſiquidem modis paſſio Chriſti attendenda eſt. Primò, vt donum. Secundò, vt exemplum. Et in Euangelio quidem

Chriſtus

Chriſtus ſe manifeſtè nobis donat,ſimulque & paſſionem ſuam. Ne igitur quid deſit, monet Paulus, vt Chriſtum etiam imitemur, maximè in humilitate & charitate, quod ne cui durum videatur, oſtendit Chriſtum per ſui humiliationem, hoc eſt, per crucem & mortem perueniſſe ad ſummam gloriam. Hoc,inquã, addit, vt etiam nobis præſentem crucem ſpes gloriæ leuiorem faciat. En in hũc modum Eccleſia hodie incipit ſanctam hanc ſeptimanã, &c. Hæc ſi attenderemus ſtatim in initio,quid nõ boni conſequeretur? &c.

PROSECVTIO IONAE.

SAtis hactenus audiuimus, quid Ionas Niniuitis prædicauerit,et quid fructus inde ſecutum ſit,nempe vniuerſalis omnium pœnitentia, & non tantùm pœnitentia,ſed quod maius erat,etiam emẽdatio vitę. Pręceperat enim rex,vt non tantùm ieiunarent,ſed etiam auerterentur ab iniquitatibus ſuis: & hoc non tantùm aliis præcipiebat, ſed ipſemet faciebat, alioqui nihil profuiſſet aliis multa præcipere, ſi ipſe, cũ ſuis in luxu permanſiſſet, id quod videmus, & quotidie experimur. quàm nihil profit, populo pœnitentiã indicere, ſi pręlati in peccatis perſeuerent. Iam pœnitentiam quidem Niniuitarum audiuimus,ſed nondum fructum eius pœnitentiæ. Reſtat vnum adhuc verbum in tertio capite, quod præterire non poſſum. Nam idipſum verbum oſtendet: quid ſua pœnitentia conſecuti ſint Niniuitæ, & quæ fuerit ipſorum abſolutio. Ideo breuiter etiam illud verbum exponam, poſtea paucis etiam oſtendã, quomodo Ionas ad paſſionem Chriſti nobis deſeruiat. Sicut enim ab exordio dixi, Ionas nõ tantùm fuit prædicator pœnitentiæ, ſed expreſſa etiam figura paſſionis & reſurrectionis Chriſti. Audi igitur finem pœnitentiæ Niniuitarum. *Et uidit Deus opera eorum, quòd conuerſi eſſent de uia ſua mala.* Hoc verbum oſtendit, quid Niniuitæ ſua pœnitentia conſecuti ſunt. Eſt autem

tem tale verbum,quod non tantùm inceptam pœniten tiam leuem reddere, ſed etiam duriſſimum quenque ad pœnitentiam emollire poſſet & deberet. Pœnitentia, inquiunt, ritè peracta, bonam meretur abſolutionem: Niniuitæ pœnitentiam apprehẽderant quemadmodum oportet. Ideo etiam conſequuntur quod quærebant. Inceperant à fide, concluſerant in emendatio ne vitæ. Inter hęc duo ieiunauerant,humiliauerant ſe, clamauerant. Et quomodo poſſibile eſſet,vt talis pœni tentia apud Deũ miſericordem nõ impetraret omnia? Quòd ſi nos talem pœnitentiam ageremus, non dubitarem,quin & dignè ad Sacramentum acceſſuri, & inſuper à Turca omnibusque hoſtibus noſtris ſecuri cõſiſtere poſſemus. Ipſa igitur verba expendamus. Nam ſingula quæque ſuum pondus habent. Primò vidit,inquit, Deus opera eorum. Nihil hic magni aut noui videtur innui, cùm certum ſit, omnia nuda & aperta eſſe oculis Dei, adeò vt etiam ipſe arcana cordis videat, quemadmodum ipſe dicit: Ego, inquit, ſum, ego vidi. Nihil igitur nouum eſt, ſi etiam opera Niniuitarum vidit, verùm maius quiddam hic innuitur. Non enim tunc primùm vidit Deus opera Niniuitarũ, cùm ea iam facerent, ſed iãdudum viderat priuſquam illuc Prophetam miſerat. Iſraële,inquam,Prophetas occi dente,Deus non incertus præſcierat,ꝙ ſi longè ad gentes mitteret Prophetas, illi audirent & pœnitentiam agerent. Vidit ergo,hoc eſt,videre fecit per hoc experimentum, quàm damnabilis eſſet Iſraël in comparatione gentium, vt non ſolùm Prophetæ, ſed totus etiã orbis terrarum audiens, iuſtum comprobaret eſſe iudicium, in eo quòd gentibus Deus miſeretur, Iſraëli autem non, eo quòd illi auerterentur à viis ſuis malis, hi autem minimè. Sic igitur Deus vidit opera Niniuitarum, hoc eſt, videre fecit. Deinde, non ſimpliciter Deus vidit opera eorum, ſed ita, vt ei placerent. In ſcriptura enim Deus videre & audire dicitur, quòd illi placet, idque ipſo facto oſtendit. Sic in Geneſi,

Hebr. 4.
Hier. 4.

etſi

Gen. 4. etſi Cain illum non minus videret, quàm Abelem, ſcrĩ
ptura tamen dicit eum tantùm reſpexiſſe ad Abelem,
& non ad Cain, hoc eſt, placebat illi Abel, non autem
Cain. De hoc aſpectu Dei multa in ſcripturis legi-
mus, vt cùm dicitur: Reſpice ſuper ſanctuarium tuũ.
Pſal. 79. Item, Vide & viſita vineam iſtam tuam, &c. Eodem
modo hic vidiſſe dicitur Deus, ſed quos, aut quem?
Num Iſraëlitas aut ciuitatem Hieruſalem? Non,
ſed Niniuitas. Quis hic non ſtatim exclamet cum
Act. 10. Petro? In veritate comperi, quòd non eſt perſona-
Pſ. 117. rum acceptor Deus, &c. Et cum Dauide, Confite-
mini Domino, quoniam bonus, quoniam in ſæculum
Pſ. 144. miſericordia eius: Et miſerationes eius ſuper omnia
opera eius. Fratres, ſi Deus etiam Niniuitas aſpectu
gratiæ ſuæ dignatus eſt, non eſt quòd quiſquam no-
ſtrũm deſperet. Sed quídnam Deus vidit in Niniui-
tis, quod ipſi placuit? Vidit, inquit, non verba, ſed
opera eorum. In Iudæis nihil videbat niſi verba.
Exo. 24. Promiſerant ſiquidem ſe omnia facturos, quæ Deus
præceperat, at nihil horum opere præſtabant, quem-
admodum eam virtutem etiam nos ab ipſis didicimus,
vt præter magnifica folia verborum, nihil proferamus
Luc. 13. fructus. At hoc non placet Deo, vt patet in ficulnea,
Mat. 21. quam exſcindi præcepit, & in altera, cui maledixit.
At in Niniuitis vidit opera. Hoc illi placet. Sed quid,
inquis, audio? Nunquid Deus etiam opera noſtra vi-
det & attendit? aut nunquid etiam opera illi placent?
Quomodo igitur ſtabit, quod Hieremias dicit: Do-
Hier. 5. mine, oculi tui reſpiciunt fidem? Reſpondeo. Scio
non paruam diſceptationem nunc eſſe de fide & ope-
ribus. Aliqui ſiquidem audientes in Iona, quòd Deus
vidit opera Niniuitarum, plus æquo extollunt opera
etiam quæcunque ſine differentia, nihil interim cu-
rantes de fide, nec attendentes de quibus operibus hic
mentio fiat, ſed planè putant Deo placere, quicquid
quacunque ratione faciunt. Sunt econuerſo alii, qui
audientes in Hieremia, quòd Deus reſpiciat fidem, o-
mnia

mnia fidei tribuunt, nihil operibus, quin ea contẽnũt, irrident, planè aſſerentes, Deum nec bona nec mala opera curare, ſed ſolam fidem vel incredulitatẽ. Atqui vtrinque erratur. Scriptura expreſsè dicit, Deum reſpicere fidem: Eadem etiam expreſsè dicit, ipſum reſpicere opera. Vtrunque igitur verum eſſe neceſſe eſt. Cur igitur tu alterum verbum accipis, alterum nedum reiicis, ſed damnas? Ergo, quia capiti tuo, imò errori tuo non conſentaneum eſt, ideo verum nõ eſt, quod ſcriptura dicit? Hóccine eſt ſcripturas interpretari? tantùm ſcilicet ea accipere, quæ capiti tuo arrident? Non ſic facit Eccleſia: ſcit Deum fidem & opera reſpicere, & vtrũq; accipit, ſed in vero ſenſu. Nam differenter Deus fidem & opera aſpicit: Fidem aſpicit ex ſe & in ſeipſa, opera autem non niſi ex fide. Hæc differentia ſummè notanda eſt, ꝙ opera ſcilicet etiam quantacunque ante fidem vel ſine fide facta, non placent Deo: Opera autem quæ fidem ſequuntur, & ex ea fiunt, placent Deo, delectant Deum, beneuolum reddunt Deum, mitigant Deum, proſunt operanti, cõducunt illi ad temporalia, neceſſaria ſunt ad æterna, id quod tota ſcriptura clamat. Obſeruandum autem, quòd non dicit: Vidit Deus opus ipſorum, quamuis vnum tantùm nominet, nempe auerſionem à peccatis: ſed, Vidit, inquit, opera eorum in plurali. Quæ autẽ fuerunt illa? Fides, ieiunium, ſaccus, oratio, emendatio. Hic vides, quòd non tantùm bona opera ſunt, quæ quiſquis ex vocatione ſua debet, vt ꝙ vir regat familiam, mulier curet domum, &c. vt quidam volũt, nec tantùm bona opera ſunt, quæ Decalogus exigit, quæ & Ethica dici poſſunt: ſed iam Eccleſiaſtica illa, vt eſt audire cõciones, intereſſe ſacris, orare, pſallere, ieiunare, &c. verè bona opera ſunt, quæ Deus videt & Deo placent. Malè igitur fecerunt, qui ea opera tã vilia fecerunt, vt nemo ea amplius curet, quæ res intolerabilem iacturam Eccleſiæ fecit. Hinc enim factũ eſt, vt nemo amplius ieiunet, confiteatur, oret, &c.

Sentiunt hoc, qui primi tam indiſcretè ſcripſerunt, clamant contra idipſum, at damnum hoc reſtituere nõ poſſunt. Quia enim populus ſemel audiuit fidem ſufficere, opera nihil prodeſſe, non amplius ſe ad ea perſuaderi patitur. Sed audiamus ſequentia. *Et miſertus eſt Dominus ſuper malitia, quam locutus fuerat ut faceret eis, & non fecit.* Hîc vides, quomodo viderit Deus opera eorum, nempe ad complacentiam, vidit ea oculo gratiæ, idque reipſa oſtendit, reuocando ſententiam ſuã. Nec eſt, quòd hîc multis diſputemus, num Deus mutet ſentẽtiam ſuam. Scimus ex Hieremia, quòd omnes comminationes Dei, ſecum habeant adiunctam conditionem, niſi ſcilicet homines pœniteant. Non igitur mutatur Deus, ſi hominibus pœnitentibus reuocat cõminationem ſuam. Nam ideo comminatur peccatoribus, vt pœnitentiam agãt, potius igitur ſtabilitatis eſt, quòd pœnitentibus parcit, ſicut promiſit. Hoc potius mirandum & attendendum eſt, quòd Niniuitæ tam incredibili fide præditi fuerunt, vt nõ ſolùm crederẽt, quæ Ionas de ſubuerſione ciuitatis prædixerat, verùm etiam, quòd diuinam gratiam ſibi polliceri audebant, cùm nullam eius promiſſionem audirent. Secundò, quòd tantas minas à Iona audientes, non in eum ſæuiebant, quemadmodum Iudæi in Stephanum, Pharao in Moyſen, Roma in Chriſtianos, &c. Tertiò, quòd in tanta trepidatione non deſperarunt, cùm nobis tot Apoſtoli, tot Prophetæ, tanta copia ſcripturarum, &c. adſint, & tamen vix à deſperatione nos continemus. Illi vnã tantùm guttã, nos magnum mare conſolationum habemus. verè igitur mirabilis & admirabilis fuit eorum fides & pœnitentia. Hæc igitur attendamus fratres, exemplum ſcilicet Niniuitarum, imò Dei miſericordiam tam manifeſtè oſtenſam. Hoc nos moueat ad pœnitentiam. Cogitemus quanta ſit miſeria hominis, quem diuinum vrget iudicium; id quod in Iona vidimus. Cogitemus quàm breui labore & diſpendio magnum & infinitum bonorum cumulum acquirere poſſimus,

ſimus, magnóq; animo pœnitentiam arripiamus. Sic enim Quadrageſimam noſtram bene concludemus, dignè ad Sacramentum accedamus, & bene præparati paſſionem Domini audiemus.

FERIA QVARTA DE SACRA COMMVNIONE.

OMNES *eandem eſcam ſpiritualem manducauerunt, & omnes eũdem potum ſpiritualem biberunt: ſed non in pluribus eorum complacitum eſt Deo*. Superiori Dominica paucis vos admonui, imò me vobiſcũ, vt corde percipiamus, oculos, aureſque, & animos erigamus ad cogitãda, idque ſerio & deuotè, ea, quæ Chriſtus Dominus noſter his diebus in gratiam noſtri fecit & pro nobis paſſus eſt; ſimulq; breuem quandam introductionem adiunxi, quomodo ſcilicet in ea ipſa cogitationes veſtras vtiliter dirigatis. Ecce autem iam tempus eſt, vt audita opere impleamus. Cras enim dies illa eſt, in qua Chriſtus paſſionem ſuam incœpit. Poſtridie autem dies illa eſt, in qua idem Chriſtus pro noſtris & totius mundi peccatis mortuus eſt. Quò propius igitur magnum illud & ſaluberrimum opus pro ianuis eſt, eò feruentius ſe quiſque Chriſtianus ad ipſum præparare debet. Hæc autem præparatio tunc rectè fit, ſi eo ordine ad paſſionem accedamus, quo Chriſtus acceſſit. Conſtat autem ex omnibus Euangeliſtis, quòd Chriſtus paſſionem ſuam inſigni illa cœna auſpicatus eſt. Pulchrè igitur & piè ſic in Eccleſia obſeruatur, quòd ante paſſionem etiam magnæ illius cœnæ memoria celebratur, idque non tantùm nuda cogitatione aut prælectione, ſed externa etiam repræſentatione, vt prius ſcilicet cum Domino noſtro conuiuantes, eque manibus

1.Co.10.

Ioã. 11.

bus ipſius cibum vitæ capientes, pòſt, ipſum etiam ad paſſionem euntem ſequamur. Hunc ordinem ſeruauit Chriſtus, ſeruarunt & Apoſtoli, ſeruemus & nos.
Luc. 22. Deſiderio deſiderauit Chriſtus hoc Paſcha nobiſcum manducare, antequam moreretur: deſideremus & nos idem Paſcha cum ipſo manducare, antequam ad paſſionem illius accedamus audiendam. Ad hoc igitur ordinata eſt dies craſtina, ad hoc etiã ordinata eſt concio hæc veſpertina. Cras, inquam, habemus diẽ magnæ illius cœnæ, hodie ergo Paraſceue noſtrum ſit, hoc eſt, dies præparatorius. Cras, inquam, conuiuaturi ſumus, non cum mundano aliquo principe, aut rege, ſed cum Chriſto filio Dei, omnibusq; electis. Hodie igitur diſcamus, quales ea menſa, veſtes, mores, verba, operaque requirat. Cœna quidem parata eſt, videamus nos, vt ſimus digni. Si hac Quadrageſima tranſacte feciſſemus ea, quorum Eccleſia nos admonuit, nihil opus iam eſſet noua admonitione, quoniam Chriſtus ipſe nobis iam acclamaturus eſſet: Ve-
Prou. 9. nite, comedite panem meum, & bibite vinum, quod
Cant. 5. miſcui vobis: Venite amici & bibite, & inebriamini chariſſimi: Comedite fauum cum melle meo, & bibite vinum cum lacte meo. Quia autem, proh dolor, timendum eſt, ꝙ multi adhuc & fortaſſe maior pars Eccleſiæ, admonitiones non curauerint, nec cordi admiſerint, periculoſum autem ſit non vocatos aut malè diſpoſitos, ad menſam magnatum accumbere, piè ordinarunt præceſſores noſtri, vt hoc veſperi ſermo fiat, ne quis ſcilicet hoc in Chriſtum offendat, reusque fiat
1.Co.11 corporis & ſanguinis eius, vt Paulus ait; Chriſtus e-
Eſa. 8. nim & hìc & vbique aliàs, non tantùm eſt lapis fundamenti, ſed etiam lapis offenſionis, vt qui æquè multis cedit in ruinam, ſicut in reſurrectionem: Tantùm hoc
Luc. 2. optarem, vt adeſſet, qui hanc admonitionem efficaciter facere ſciret & poſſet. Nam (vt verũ fatear) adeò me præſens rerum ſtatus, imò potius omnium rerum deordinatio dubium reddit, vt vix ſciam, vbi & vnde

potiſ-

potiſſimum incipere debeam. Nam ſi de gratia & conſolatione huius Sacramenti dixero, omnesque citrà diſcretionem ad illud inuitauero, confirmabuntur impii in ſua illa leuitate, qua iamdudum, heu nimium temerè, & inconſideratè ad hoc Sacramentum irrumpunt. Si autem econtrà in huiuſmodi temerarios inuexero, periculaque indignè accedentium exaggerauero, periculum eſt, ne etiam pios quoſque à perceptione Sacramenti abſterream. Quid hic faciam fratres? Si dixero, vt meretur impietas noſtra, multos offendam: Si tacuero, multorum perditionis reus ero. Si omnes mali eſſetis vel omnes boni, facilè eſſet ſermonem iuxta veſtram diſpoſitionem inſtituere; Nunc autem in tanta diſſimilitudine morum & vitæ, difficile eſt ita de Sacramento loqui, ne cui vel ad leuitatem, vel ad puſillanimitatem occaſio detur, Ob hanc igitur cauſam, mallem alios de hac re audire, q̃ ipſe aliquid dicere. Quia autem res ita nunc comparata eſt, cogor vel ipſa neceſſitate aliquid de Sacramẽto hoc dicere, itaque quod poſſum faciam. Si non datur ſcopum ipſum ita attingere, vt in nullam partem plus æquo declinem, ſaltem hoc conabor, ne procul à ſcopo ſim: Si non poſſum omnia quàm exactiſſimè dicere, certè nullum Deo adiuuante, ſeducam. Ad rem igitur accedamus. Scopus huius negotii eſt, vt inſtitutioni Chriſti ſatisfaciamus, hoc eſt, ita Sacramento vtamur, vt & Chriſto gratum & nobis ſalutare ſit. Hîc igitur neceſſe eſt tria cogitare. Primò, quid ipſum Sacramentum ſit in ſe. Secundò, quomodo nunc vulgus hominum eo vtatur, imò potius abutatur. Et tertiò, quis ſit verus eius vſus, quidque Sacramentum hoc à nobis exigat. De his tribus pauca dicam, partim nunc, partim cras. De primo, quid ſcilicet Sacramentum hoc ſit in ſe, non opus eſt diffuſa oſtenſione. Ipſa perſona eius, qui Sacramentum hoc inſtituit, & verba quibus inſtituit, & mores geſtusque, quibus in inſtitutione vſus fuit, denique & cauſa, propter quam

inſtituit, & perſonæ quibus hoc Sacramentum primò dedit, tempus præterea, in quo hæc omnia facta ſunt, ſatis indicant Sacramentũ hoc non eſſe, aut eſſe poſſe quid paruum aut contemptibile, ſed neceſſario magnum quid, ac mirum, ſalutiferumque eſſe oportere. A magnis ſiquidem perſonis non niſi magna, & ab amicis non niſi bona & vtilia expectare ſolemus, maximè ſi à nobis diſcedentes perpetuã ſui apud nos memoriam relinquere cupiant. At Sacramentum hoc non alius inſtituit, quàm Chriſtus ipſe, qui nedum homo, ſed etiam DEUS & Saluator noſter eſt, id ipſumq; dilectiſſimis ſuis amicis dedit: idque in ſuo receſſu, & in perpetuum ſuiipſius memoriam. Non igitur aliter cogitari poteſt, quàm quòd Sacramentũ hoc ſpeciale quid & maximi momenti ſit, quomodo enim talis & tantus tali tempore & talibus amicis exiguum

Luc. 11. quid daret? Si vos, inquit, cùm ſitis mali, noſtis bona data dare filiis veſtris, quantò magis Pater veſter, &c. Ad hæc Chriſtus in inſtitutione huius Sacraméti admodum nouis & mãſuetis geſtibus & verbis vſus fuit. Nam & in cælum aſpiciens, Patri gratias egit, panem illum benedixit, per ſeipſum fregit, ſingulisque diſtribuit, quæ nunquam antehac feciſſe legitur. Denique manifeſtis verbis dixit: Hoc eſſe corpus ſuum, quæ iterum ſatis indicant dignitatem huius Sacramenti. Nihil igitur opus eſt hîc multis verbis. Eſt enim Sacramentum hoc, verum illud manna, quo in deſerto hoc ſuſtentamur. Eſt panis vitæ, qui confirmat

Pſ. 103. cor: Eſt cibus & refectio, quam Chriſtus filiis ſuis ex ſpeciali gratia præparauit: Eſt certiſſimũ pignus immenſi amoris, quem Chriſtus ad nos gerit: Eſt infallibile ſigillum noui Teſtamenti, omniumque promiſſionum Dei. Et vt ſemel omnia dicam: Eſt corpus Chriſti atque adeò totus Chriſtus, cum omni ſua gratia, ſpiritu, luce, bonis, imò cum corpore, anima, & diuinitate. Non enim poteris mihi hic negare concomitantiam, nec tantùm panem, aut tantùm corpus

ſine

ſine vita & ſpiritu aſſerere: Vbi enim corpus Chriſti eſt, ibi eſt & anima eius & diuinitas. Non patitur ſe diuidi Chriſtus, aut totum, aut nihil. Quod enim ſemel aſſumpſit, nunquam dimittet. Semel quidem per mortem anima eius à carne ſeparata fuit ad tempus; nunquam autem amplius ſeparabuntur, quia Chriſtus nunquam amplius morietur, imò etiam in ipſa morte, quantumuis anima & corpus à ſe inuicem ſeparata eſſent, neutrum tamen fuit ſeparatum à diuinitate. Corpus enim Chriſti etiam in ſepulchro, deitati coniunctum fuit, itidem & anima eius etiam in inferno. Quòd ſi nec mors diuinitatem à corpore, nec infernus ab anima Chriſti ſeparare potuit, nec tu quiſquis tandem es, ea mihi abinuicem in Sacramento ſeparabis. Cùm itaque totum Chriſtum in Sacramento hoc habeamus, certum relinquitur, nihil maius aut pretioſius ſub Sole nos habere, quàm hoc Sacramentũ. Hoc igitur in nobis excitare debet affectum & deuotionẽ, imò & deſiderium ad hoc Sacramentum, vt quilibet ſecum dicat: O quãti mercenarii in domo Patris mei cæleſtis hoc pane reficiuntur, & ego hic fame pereo! Itemque, Ecce ſerui Dei comedunt, tu eſuris: Ecce illi bibunt, & tu ſitis: Ecce illi lætantur, tu confunderis. O quàm felices ſunt, qui ad cœnam agni vocati ſunt, qui ad menſam ſummi Dei ſedent, totq; & tam pretioſis cibis reficiuntur! Vtinam, & ego dignus eſſem tali menſa & tali conuiuatore. Surgam igitur, & ibo ad Patrem meum, &c. Tale, inquam, deſiderium excitare in nobis deberet conſideratio Sacramenti, & reuera excitaret, ſi in eum, quem diximus, modum conſideraretur. Nemo tam altè in peccatis dormit, ſi hæc conſideraret, certè cum Chananæa, clamando & orando ſequuturus eſſet, vt vel micas huius conuiuii accipere mereretur. Vbi autem tale deſiderium in corde eſt, ibi bene agitur cum eo homine. Non enim ipſi deerit fides, nec quicqnam omittet, quod dignum, aut cõmittet vel in ſe patietur, quod in-

Rom. 6. *Luc. 15.* *Eſa. 65.* *Matt. 15*

dignum eũ hac menſa faciat. Et quamuis nemo alius, niſi ſpiritus Dei, hoc deſiderium in homine excitare poſſit, non parùm tamen etiam ad hoc facit, ſi quis & Sacramenti dignitatem, & ſuam indignitatẽ: eorum autem, quibus hoc Sacramentũ paratum eſt, felicitatẽ ſecum cogitat. Hoc igitur primũ eſt, cuius vos in hoc ſermone admonere volui. Alterum non tam lætum erit aut amabile, imò neceſſe erit, vt duris & increpatoriis verbis hîc agam: maximè, ſi dicendum mihi eſt, quantum bonum nos Chriſtiani in hoc Sacramento habemus, & tamen noſtro vitio efficimus, vt plus damni quam cõmodi hinc ad nos perueniat. Vnde enim putatis venire tot mala, quæ nunc experimur corporaliter, temporaliter, & ſpiritualiter? Vnde, inquã, quòd Deus indies tot nouos morbos, tot noua & periculoſa bella immittit, tot deniq; errores & peccata permittit? Aſſignet quiſque quam velit cauſam tantorum malorum, ego planè ſentio, horum malorum non minimam cauſam eſſe, abuſum illud damnabilem huius Sacramenti, idque perſuadent mihi Dauid & Paulus.

Rom. 1. Quia, inquit, Paulus, cùm cognouiſſent Deum, non ſicut Deum glorificauerunt, ideo tradidit eos Deus in reprobum ſenſum, &c. Hîc habes, vnde fit, quòd in tam nefanda & horrenda vitia labimur. Vltra dicit

1. *Co.* 11 Paulus: Ideo (propter indignam ſcilicet ſumptionem Sacramenti) inter vos multi infirmi & imbecilles, & dormiunt multi. Hîc habes cauſam malorum corporalium. Dauid autem primò quidem Iudæis, deinde

Pſal. 48 omnibus incredulis imprecatur, vt & mẽſa eorum fiat ipſis in laqueum. Hîc habes cauſam errorum. An non autem Deus in reprobum ſenſum nos dedit, qui etiam nefandiſſima videntes, imò facientes, non pudeſcimus, non emendamur, imò in rebus peſſimis gloriamur?

Prou. 2. An non menſa hæc noſtra nobis in laqueum verſã eſt, tantis noſtro tempore erroribus circa Sacramentum ortis? vt interim taceam de morbis, qui quotidie noui nos moleſtant: Pœnam igitur videmus. Nemo autem

dicet horũ malorum cauſam deeſſè, ſi perpendat quo pacto nos ad hoc Sacramentum hunc præparamus. Bone Deus, quanta negligentia, quanta leuitas, quanta impietas hîc in nobis apparet? Quantumuis Eccleſia ab ipſo ſtatim exordio Quadrageſimæ nos admonet, vt per pœnitentiam nos præparemus ad communionem. Nihil tamen de Sacramento aut præparatione præuia vel cogitamus, vſque ad ipſum pũctum, quo accedere debemus. Nihil nos mouent promiſſiones, nihil terrent comminationes, nihil toto anno negligentius agimus. A peccatis adhuc calidi accedimus ad tremenda hæc myſteria, quorum ſe etiam angeli indignos iudicant. Accedimus autem ſine contritione, ſine pœnitentia, ſine confeſſione, imò etiam ſine præmeditatione præuia. In peccatis ſumimus Sacramentum, ac Chriſtum cum Iuda oſculamur, cùm ſimus hoſtes Chriſti. Denique à Sacramento ſtatim ad peccata redimus, atq; priſtinum vomitum, prioribuſque peccatis noſtris ſummum illud addimus, quòd edentes panes Chriſti, ipſum pedibus ſupplantamus, ſicut in Propheta conqueritur, imò ipſum denuò crucifigimus ac ſummè cõtemnimus, vt pium hominem, qui hæc videt, tædere poſſit vitæ huius, quemadmodũ olim Mathatiam, cùm videret templum prophanari. Imò, vt verè mirum ſit, quomodo Deus tantum ſui cõtemptum ferre poſſit. Verùm quid agitis Chriſtiani? quò ruitis ò miſeri? Non videtis quantã iniuriam Deo ingeratis? quantum damnum vobis ipſis inferatis? Iudæi figuram tantùm habebant, & tamen quinto die ante eſum agni, incipiebant ſe circa eum agnum occupare, & neceſſaria quæque præuidere, & tu mãducaturus carnem Chriſti, vix dimidia hora prius cogitas, quid faciendum tibi ſit? aut fortè putas te ſatis dignum eſſe? certè vita tua aliter clamat. Iudæis præceptum erat, ne carnes agni crudas, aut aqua coctas ederent, ſed cogebantur eas igni coquere. Et tu carnem Chriſti crudam ſine aliqua præmeditatione aut igne amo-

Pſal. 40
Heb. 6.
1. Mac. 2
Exo. 12.

ris præuio audes manducare. Et quis impios, horrendos & abominandos abuſus circa hoc Sacramentum omnes enarrare poteſt ? Væ omnibus in poteſtate conſtitutis,qui huiuſmodi leuitates, abuſus, abominationes, impietates vidēt, & tamen tacent, non prohibēt. Legimus olim Deum ipſum permiſiſſe, vt tēplum ipſius Hieroſolymis,cū omnibus, quæ in ipſo erant,funditus ſubuerteretur ob impietates & abominationes, quę fiebāt in eo. Et nobis quoque certò certius hæc cōtingent: Non ſemper patietur Deus tantùm ſui contēptum. Ideo chariſſimi fratres, cautius in his agamus. Non tam proteruè iram Dei in nos prouocemus, ſatis & plus quàm ſatis peccatorum iādudum habemus, nō ōpus eſt addere maiora, parcamus nobiſipſis,noſtra enim leuitate & corpora & animas perdemus. Huc igitur pertinent verba, quibus ſermonem hunc auſpicatus ſum,quæ vtinam in ſolis Iudæis verificata fuiſſent.

1.Co.10 Omnes,inquit,eandem eſcam ſpiritalem manducauerunt, ſed non in pluribus eorum placitum fuit Deo, quòd & ſequens plaga oſtendit: Nam proſtrati,inquit, ſunt in deſerto. Quomodo proſtrati fuerunt ? Aliqui gladio cæſi,aliqui à ſerpentibus infecti, aliqui igne cōſumpti,aliqui à terra abſorpti, & ſæpe multa millia ſimul vel vna plaga proſtrati fuerūt. Et cur? quia fuerūt idololatræ fornicatores, murmuratores, tentatores Dei, &c. An non autem omnia hæc,imo multò peiora in nobis quoq; inueniuntur ? Et tamen omnes manducamus eandem eſcam ſpiritalem. Vides igitur, quòd timendum eſt, imò certum eſt, quòd non in omnibus nobis placitum eſt Deo. Quòd ſi tam terribiliter ſonat, quod Iſraëlitæ panem de cælo comedentes, tamen proſtrati ſunt in deſerto, nec ad terram promiſſam peruenerunt, quanto terribilius ſonat, ſi corpus Chriſti manducantes, nihilo ſecius tamen damnemur ? Sic igitur videtis, quòd nedum eadem pœna, ſed etiam eadem cauſa in nobis inuenitur, quæ olim in Iſraëlitis erat. Quid autem prodeſt, quòd eandem

eſcam

eſcam manducamus cum piis, ſi non placemus Deo, nec aliud nobis expectãdum eſt, quàm ira & iudicium Dei? Omnia hæc (inquit Paulus) in figura contingebant iilis: Scripta ſunt autem ad correptionem noſtrã. *Ibidem.* Mira autem cæcitas & peruerſitas in nobis ſit oportet, qui hæc legimus, audimus, ſcimus, & tamen nedum pro tanto cibo non gratias agimus, ſed inſuper etiam in omnia vitia præcipites imus. Vis ſcire vnde hæc leuitas noſtra ſit? Multa hîc cauſas adducere poſſum. Prima eſt, Naturalis illa negligentia, quam habemus in rebus ſpiritualibus. Adeò enim infecta eſt natura noſtra, vt ſolùm temporalia curet & affectet, ſpiritualia negligat, &c. Hinc eſt, quòd in externis prudentes & prompti ſimus, in ſpiritualibus autem & ad ſpiritualia deſides. Sic ituri ad conuiuium vicini, nos decentibus veſtibus ornamus, ac omnibus modis curamus, ne ipſum offendamus: At verò ad menſam Domini improuidi accurrimus, &c. Secunda cauſa eſt *Mat.24.* infelicitas & malitia temporis huius nouiſſimi, in qua omnis iniquitas abundat, omnis autem deuotio & charitas friget, vnde fit, vt omnia iam ad pietatem inducentia contemnatus. Incepimus à conſtitutionibus humanis, iam etiam ad Dei ordinationes cõtemptus noſter venit. Nihilo enim reuerentius tractamus Sacramentum hoc, quàm ſi eſſet merum humanum iumentum. Sic nos ducit diabolus paulatim à paruis ad magna, & tamen necdum ſentimus aut agnoſcere volumus cogitationes eius. Tertia cauſa noſtræ leuitatis circa Sacramentum, hoc eſt patientia Dei, quòd contemptores non ſtatim punit ſicut ab initio. Puniuit *Leu.10.* olim ſtatim filios Aaron, tantùm ob id, quòd ignem alienũ ſumpſiſſent in cultu Dei. Sic Ananiam & Sap- *Act.5.* phyram morte ſubitanea olim puniuit, propter vnum delictum. Sic qui olim excommunicabantur, ſtatim à diabolo vexari corporaliter incipiebant. Sic Co- *1.Co.11* rinthii, propter abuſum Sacramenti morbo & morte puniebantur. Sic Cyprianus martyr horrenda ſcribit,

Cypria. ſermo.de lapſis. bit, quomodo indignè communicantes ſuo tempore, à DEO puniebantur. Nunc autem, qui ceſſauerũt pœnæ, ceſſauit & omnis timor, quaſi Deus ideo leuitatẽ noſtram vel neſciat, vel non curet, quòd non ſemper punit, cùm ſua patientia ad pœnitentiam nos adducere moliatur. *Rom. 1.* Sic igitur, quia non citò contra malos *Eccl. 8.* profertur ſententia, filii hominum abſque vllo timore cõmittunt mala. Quid dicemus autem, ſi Deus iterum incipiet punire, vt olim, ſicut & ſe facturum multis præambulis minatur? An non ſatius erat, nos patientia DEI non abuti, quàm iram eius ſentire velle? Quarta cauſa leuitatis noſtræ, eſt ambitio quorũdam Pſeudoapoſtolorum, qui vt videantur eſſe gratiæ præ aliis prædicatores, neminem non admittunt, imò inuitant ad communionem ſacram, quantumcunque criminoſum, modò dicat ſe credere: nulla vitia arguunt, imò planè docent, nec bona opera nobis prodeſſe, nec *Mat. 16.* mala obeſſe, ſed tantùm in fide omnia ſita eſſe. Hi etſi *Ioã. 20.* ſciant Chriſtum Apoſtolis duas claues, hoc eſt, duplicem poteſtatem cõmiſiſſe, aperiendi ſcilicet & claudendi, ſoluendi & ligandi, remittendi peccata & retinendi, ſolũmodo tamen ſoluunt, aperiunt & remittũt, alteram autem clauem ſupprimunt cum magno damno auditorum, qui ideo licentius peccant, cùm vident neminem excludi aut ligari, &c. Hæc, inquam, non minima cauſa leuitatis noſtræ eſt. Contra hos & ab *Pro. 17.* his nos monet Sapiens; Meliora, inquit, ſunt vulnera diligentis, quàm fraudulenta oſcula odientis. Et *Eſaia 5.* Eſaias, Popule meus, qui beatum te dicunt, ipſi te de*Eze. 13* cipiunt. Et Ezechiel, Iuſtificant animas, quę non viuunt, dicentes: Pax, pax, cùm non ſit pax. Contra huiuſmodi etiam Cyprianus acriter inuehitur, ſermone quinto de lapſis: Certè fratres non ideo res omnis ſalua nobis eſt, ſi nihil niſi pax & gratia nobis prædicetur, imò ſæpenumero melius nobis eſſet, ſi iram DEI nobis inculcarent prædicatores. Quinta cauſa leuitatis noſtræ circa Sacramentum, eſt falſus intellectus,

quem

quem aliqui noſtris temporibus diſſeminarunt circa Sacramenti inſtitutionem, nempe quòd dicunt ipſum inſtitutum eſſe in remiſſionem peccatorum. Hinc eſt quod clamant: Si peccata tua te premunt, accede ad menſam Domini, hic inuenis remiſſionem peccatorum, interim nullam mentionem faciunt pœnitentiæ ac reſipiſcentiæ: Sed falſus eſt hic intellectus. Nullus Euangeliſtarum vel vna litera meminit, Sacramētum hoc eſſe inſtitutum in remiſſionem peccatorum. Sed nec Paulus hoc dicit. Hoc autem omnes vnanimiter fatentur, inſtitutum eſſe in memoriam Chriſti. Certum quidem eſt, quòd Sacramentum hoc auget gratiam, & confert gratiam, quòd ſi poſt perceptam abſolutionem adhuc dubitamus de remiſſione peccatorum, Sacramentum hoc etiam nos certificat, quia eſt quaſi ſigillum noui Teſtamenti. Ipſa autem remiſſio, alia Sacramenta habet, nempe Baptiſmum & pœnitentiam. Baptiſmo enim tollitur originale, pœnitentia autem tolluntur actualia. Cùm itaq; homines illi Sacramento huic tribuant, quod pœnitentiæ eſt, non mirum ſi homines facilius hic quærant remiſſionem peccatorum, quàm in pœnitentia, quia hic minori labore opus eſt. At Eccleſia Chriſti ſic docet: Si poſt Baptiſmum peccaſti, dole, geme, ora, pœnitentiam fac, confitere, da eleemoſynam, reconciliare Eccleſiæ, ſatisfac ei quem læſiſti, & ſic tandem accede ad menſam Domini, &c. Sexta cauſa leuitatis noſtræ circa hoc Sacramentum, eſt negligentia paſtorum, qui iam amplius nec voce neque baculo vtūtur, ſed altùm dormiunt, omnia diſſimulantes, &c. Non ſic faciebant primi illi paſtores, ſed voce, ſed baculo paſtorali, hoc eſt, cenſuris obſiſtebant & arcebant indignos à ſacris, id quod ſatis oſtendunt veteres illæ cæremoniæ de pœnitentia publica, quarum veſtigia quædam etiā nunc videmus in Eccleſia. Hic paſtorum feruor & zelus, homines continebat in timore & diſciplina, quæ nunc omnia corruerunt. Sic igitur videtis, non vnam

tantùm

tantùm cauſam eſſe noſtræ leuitatis. Sunt in culpa paſtores, item indiſcreti prædicatores, ſumus & noſipſi in culpa. Quomodo autem reſpondebunt ſummo iudici, qui vel ſua malitia vel negligentia tantum damnum intulerunt & inferunt Eccleſiæ Dei? Hæc attendamus fratres. Cogebar hoc multis verbis oſtendere, non vt quenquam à Sacramento abſterrerem, ſed quòd cuperem, vt Sacramentum ſumeremus in timore Dei, & Chriſtiana diſciplina. Sic enim poſſemus ingentem fructum reportare. Copioſa enim hic benedictio eſt, tantùm ne noſipſos impediamus. Sacramentum hoc in ſe non venenum eſt, ſed antidotum & mera gratia, ſed noſtra negligentia fit, vt noceat. Quanta igitur inſania eſt, rem pretioſiſſimam nobiſipſis in venenum vertere? Sed quid, inquis, faciendum mihi eſt, vt dignè communicare poſſim? Hoc in ſequenti ſermone, Deo volente oſtendam. Satis ſit tantùm nunc didiciſſe, quòd Sacramentum hoc ſummæ dignitatis & vtilitatis eſt, & quòd nedum fructum non reportant, ſed etiam Deum offendunt, & ſibiipſis maximum damnum inferunt, qui indignè accedunt. Faxit Deus, vt vtrunque animis inſcribamus, &c.

IN COENA DOMINI DE SACRA COMMVNIONE.

1. Co. 10 OMNES *eandem eſcam ſpiritualem manducauerunt, &c. ut ſuprà.* Euangelium iam dictum

Ioã. 13. pars quædam eſt, & quidem non minima cœnæ Dominicæ, in qua ſatis perſpicuè videri poteſt, qualiſnam fuerit illa cœna, & quanta cum grauitate illis omnia facta ſint & contigerint, verba ſcilicet, geſtus, & opera. Nihil enim illis vanum aut fruſtraneum fuit, nullus luxus, nulla leuitas, ſed omnia illic erant ſancta, matura, deuota, diuina. Et talia etiam

verba, opera, geſtus, & corda hoc Sacramentum habere vult. Vnde non immeritò tot verbis heſterno veſperi in noſtram negligentiam & leuitatem inuectus fui, imò in abominandum illum abuſum & ignominiam, quàm Sacramento & circa Sacramentum oſtendimus, tam Sacerdotes quàm Laici. Nec dubito, quin multos per hoc offenderim, & quòd non omnibus placuerint, quæ illic dixi: Suauius ſonant noui illi ſermones, qui dicunt: Si peccatores, ſecurè accede ad Sacramentum, quò plura habes peccata, eò dignius accedis, &c. Ego autem ſcio, quòd teneor vos monere à periculo veſtro: Periculum autem ſummum Eze. 13
eſt, ſi citrà pœnitentiam accedatis. Nolo igitur loqui placentia, nolo conſuere puluillos ſub cubitis peccatorum, quò ſuauius & minori grauamine conſcientiæ in peccatis dormiant. Iterum igitur moneo, ne tam ridiculè & iocosè cum Deo agamus. Si peccauerit vir 1. Re. 2.
in virum, placari poteſt ei Deus: Si quis autem peccauerit in Deum, quis orabit pro eo? Non igitur tantum theſaurum, tam ſcurriliter & contemptim tractemus: Siquidē & mors & vita hic nobis propoſita ſunt. Mors, ſi indignè: vita, ſi dignè accedamus. Habemus hodie duo exempla, quæ meritò nos monere debent: alterum in Euangelio iam dicto, alterum in cæremoniis Eccleſiæ. An non terribile exemplum eſt in Iuda, qui ex vltima cœna Chriſti adeò nihil boni retulit, vt Diabolus etiam corporaliter in ipſum ingreſſus ſit. Sic enim ſcribit Ioannes: Et poſt buc- Ioā. 13.
cellam introiuit in eum Sathanas, qui vt priùs miſe- Mat. 26.
rum ad vitia illiciebat, ſic nunc eum totum poſſidet, vt melius fuiſſet ei, ſi nunquam natus fuiſſet. Ideo & ſtatim à Chriſto eiectus fuit, vnde paulò pòſt etiam Mat. 27.
deſperauit, ac miſerabiliter periit. Hoc exemplum te moneat Chriſtiane, vt non ita crudo, & indeuoto, multò minus impio corde accedas. Alterum exēplum, quod & ipſum docet, quāta grauitate & diſcretione olim veteres Sacramentum hoc diſtribuerunt,
ſunt

ſunt pœnitentes, cum quibus hodie tam multa agit Eccleſia. Videbitis ipſos extra Eccleſiam ſtare, totum Clerum pro ipſis orare, ipſoſq; tandem intromitti per paruam ianuam & anguſtiam, & duci in medium Eccleſiæ, non tamen ſtatim admitti, vt inter alios ſtét, ſed primò cogentur proſterni in facies coram omnibus orare, & aliorum ſuper ſe orationes expectare, nec ſurgere audere, donec Epiſcopus eos iubeat ſurgere, cum
Epheſ. 5 verbo: Surge, qui dormis, &c. Scio multis puerilia hæc videri, imò riſui eſſe, at qui & verba & cauſam attendit, vix ſe continere poteſt à lachrymis. Eſt enim indicium, quid olim in Eccleſia cum publicis peccatoribus actum ſit. Qui enim publicè peccabant, publicè etiam pœnitere cogebantur: Ea autem pœnitentia hoc ordine fiebat. Qui publicè & criminaliter peccabat, primò admonebatur ſemel atque iterum, ac tertiò à Præſidibus Eccleſiæ, ſi incorrigibilis manebat, denun-
Mat. 18. tiabatur, iuxta præceptum Chriſti: Si te non audierit, dic Eccleſiæ. Hîc tam iterum à paſtore & aliis publicè arguebatur. Si adhuc non emendabatur, adhibebatur virga Eccleſiæ, hoc eſt, excommunicatio. Ex tunc inhibebatur omnibus, ne cum ipſo conuerſationē ha-
1. Co. 5. berent. Interim Eccleſia lugebat perditam ouem, & omnibus modis ſatagebat eam reducere: Non enim ex odio, ſed ex charitate illa pœna procedebat. Atq; hoc ſignificat, quòd ſacerdotes ante admiſſionem pœnitentium diu orant. Pòſt ſi illuminatus reſipiſceret, recipiebat eum Eccleſia ad pœnitentiam, & ad certum tempus imponebat ei pœnitentiam, vt probaret eius animum. Per id autem tempus permittebatur ei ſtare ante oratorium, vt ab ingredientibus ſuffragia orationum petere poſſet: hoc ſignificat, quòd pœnitentes extra Eccleſiam ſtant. Toto autem tempore pœnitentiæ cilicio induebatur, nudis pedibus incedebat, ieiunabat. Poſtquam autem ſatis probatus erat, publicè confitebatur, quandoquidem omnes ſcandalizauerat ac veniam precabatur. Hîc iam omnes cum ipſo flebāt

& eúm conſolabantur, ſicq; in Eccleſiam introducebatur, vbi generalis vel communis ſuper ipſum fiebat oratio Eccleſiæ, quam ſequebatur abſolutio ab Epiſcopo: Extunc iubebatur ſurgere, admittebatur ad Euchariſtiam. Hîc iam omnia priora in obliuionem veniebant. Hîc fiebat cum ipſo, ſicut cum prodigo, Adducite vitulum ſaginatum, &c. En fratres, tantam *Luc.15.* curam adhibebant veteres, ne quis indignus ad Sacramentum accederet. Hoc conſeruabat homines in timore & diſciplina, itemque in reuerentia Sacramenti. Et ſic etiam fieri deberet cum omnibus ſcandalosè peccantibus, nec vnquam leuitas moderna reprimi poterit, niſi publica pœnitentia reuocetur in Eccleſiam, vt vel pudore & confuſione publica reprimantur à ſceleribus, quos pietas & Dei cultus minimè reprimit. Nobis interim hoc exemplum Eccleſiæ eò ſeruiat, vt probemus noſipſos, & quilibet ſecum dicat. En homo ita tecum agi oporteret, eiici meruiſti ab Eccleſia, prohiberi à communione Sacramentorum, imò conſortio omnium hominum, dignus non es, qui inter Chriſtianos viuas, qui oculos ad cælum leues. O fratres, quàm bona eſſet hæc probatio, & ad quàm multa conducibilis! Sed ſatis iam de hoc, videamus nunc etiam, quomodo Sacramentum ſit ſuſcipiendum, imò audiamus, & attendamus, quòd Paulus dicit: Probet autem ſe- *1.Co.10* ipſum homo, & ſic de pane illo edat, &c. Hæc probatio nonnihil exigit à nobis & ante ſuſceptionem Sacramenti, & in ſuſceptione, & poſt ſuſceptionem. Ante ſuſceptionem optima præparatio eſt, pœnitentia, vt ſcilicet propter peccata noſtra pœniteamus, humiliemur, doleamus, confiteamur: & ab eiſdem reſipiſcamus, auertamur, cumque prodigo ſurgamus, & redeamus ad Patrem, & cum publicano pectus tũdamus, *Luc.15.* cũ peccatrice ploremus, cumque latrone oremus pro miſericordia. Deinde abiectis peccatis, iuſtitiæ operibus nos ornemus. Hæc, inquam, præparatio eſt, quæ & neceſſaria eſt ante ſumptionem Sacramenti. Ratio huius

huius eſt, quia cibus hic ſolis amicis paratus eſt. Lege Euangelium, & videbis nullum hoſtem admiſſum, vnus quidē ſe intruſerat, ſed magno ſuo malo, melius illi fuiſſet, quàm longiſſimè ab hac menſa abeſſe. Is eſt Iudas, quem tamen eo tempore nemo adhuc hoſtem eſſe ſciebat, niſi ſolus Chriſtus. Quandiu autem incredulus & inobediens es, ac præceptis Dei data opera ſciens & volens reluctaris, amādo quæ ille odit, &c. hoſtis Dei es. Altiſſimus enim odio habet peccatores:
Eccle. 1. Non igitur pertines ad hāc menſam. Nam alioqui ti-
Mat. 22 bi dicetur: Amice, quid huc intraſti, non habens veſtem nuptialem? Acceſſurus igitur ad Sacramentum, vide in primis, vt amicus fias. Ad amicos enim & filios pertinet hæreditas, non ad extraneos. Cùm magnus & nominatus quiſquam diues teſtamentum facit, aſſcribit nominatim hæredes: Et qui in eo teſtamento ſcripti non ſunt, nihil accipiunt, nec quicquā illis prodeſſet, etiamſi vel vi vel dolo codicillum teſtamenti ad ſe perducerent. Cur hoc? quia aperto teſtamento non inueniūtur ibidem nominati: Sic Chriſtus promiſit gratiam & omnia bona ſua, pœnitentibus & credentibus. Pœnitemini, inquit, & credite Euangelio, appropinquat enim regnum cælorum. Et hanc ipſam promiſſionem ſuam morte ſua firmauit,
Mar. 1. hocque Sacramento ceu ſilligo muniuit. Iam, ſi etiam Iudæus quiſpiam aut Turcha ſigillum hoc raperet, nihil tamen bonorum Chriſti acciperet, quia nō eſt nominatus in eo teſtamento, imò propter infidelitatem & impietatem manifeſtè excluſus eſt. Hoc idem ſentiendum eſt de impœnitentibus. Cura igitur primùm, vt fias amicus: Amicus autem Dei non potes fieri, niſi per Chriſtum. Hunc ſi amicum habes, & Deum habes amicum: Chriſti autem amicus efficeris, credendo & pœnitendo de priori vita: Reuertere, inquit, & ſuſcipiam te. In hunc modum Chriſti gratiam & ami-
Hier. 3. citiam meruerunt peccatrix illa, Zachæus, Matthęus,
Exo. 12. Petrus poſt negationem, Paulus & alii. Huc pertinet

quòd

quòd in lege agnus iubetur edi cum lactucis agreſtibus. Item, quòd comedentes agnum iubebantur renes præcingere & calciati eſſe, &c. Huc pertinet, ꝙ Chriſtus in hac ipſa cœna pedes diſcipulorum lauit. Hoc Petrus quidem pati nolebat, ſed audiuit: Si non lauero te, non habebis partem mecum. Hic vides neceſſe eſſe, vt lauemur; & quòd illoti non poſſunt habere partem cum Chriſto. Lauit autem nos Chriſtus ſanguine ſuo, hoc eſt, meruit remiſſionem peccatorum, ſed ea nobis non aliter impartitur, quàm per fidem, idque in Baptiſmo primùm, pòſt in pœnitentia. Quæ cùm ita ſint fratres, ſtudeamus priùs ablui, antequam inter Dei filios in conſpectu Dei appareamus. Studeamus Deum prius pœnitentia, orationibus, lachrymis, eleemoſynis reconciliare, quàm ad menſam eius accumbamus. Si hominem offenderis, non audes ad eius menſam accedere, niſi reconciliatus. Et quod homini præſtas, Deo non facis? Conuertamur igitur ad Dominum mente tota, & pœnitentiam, criminis confeſſione, & veris doloribus exprimentes, Dei miſericordiam comprecemur. Pœnitenti, credenti, operanti, & roganti, Deus clementer ignoſcit. Si conuerſus, inquit, fuerit, omnium iniquitatum eius non recordabor. Verùm ſatis hactenus de præparatione. In ſuſceptione autem Sacramenti, omnium maximè requiritur, vt Chriſti recordemur. Ad hoc enim potiſſimùm inſtituit hoc Sacramentum: Hoc, inquit, facite in mei memoriam. Hinc eſt, quòd etiam in lege præceptum erat, vt ſanguinem agni linirent in poſtibus domus, nimirum, vt ſemper præ oculis eum ſanguinem viderent. Hinc eſt, ꝙ etiam Chriſtus circa inſtitutionem Sacramenti, frequenter paſſionis ſuæ meminit. Huc pertinet, quod & Paulus ait: Quotieſcunque manducabitis panem hunc, &c. mortem Domini annuntiabitis. Huc pertinet etiam, ꝙ Eccleſia circa hoc Sacramentum etiam externis ritibus, ipſam Dominicam Paſſionem quaſi

Ioã. 13. *Eze. 18* *Mat. 26.* *Exo. 12.* *1.Co.11*

tur. Quòd ſi ingratitudo etiam coram mundo iure reprehenditur, quantò magis hîc? Gratiam igitur fideiuſſoris tui ne obliuiſcaris, &c. Agnoſce & confitere cum magna gratiarum actione, quòd te corpore & ſanguine ſuo non ſolùm à morte redemerit, ſed etiam è ſeruitute diaboli, &c. Huc pertinet, quòd Eccleſia in adminiſtratione huius Sacramenti publicè dicit: Gratias agamus Domino Deo noſtro. Ad quam vocem omnes reſpondent: Dignum & iuſtum eſt, &c. Huc pertinet, quòd etiam Chriſtus poſt inſtitutum Sacramentum gratias & hymnum dixiſſe legitur. *Eccl. 29.*
Cæterùm non ſatis eſt verbis & ore gratias agere, niſi & operibus, & vita etiam idem faciamus. Verbis quidem gratiarum actio illi non diſplicet, at magis illi placet, ſi tota vita nos gratos illi oſtendamus. Huc pertinet, quod Paulus ait: Empti eſtis pretio magno, glorificate Deum in corpore veſtro. Et iterum, Chriſtus pro nobis mortuus eſt, vt qui viuunt non ſibi viuant, ſed ei qui pro ipſis mortuus eſt & reſurrexit. Huc igitur pertinet prompta obedientia faciendi & patiendi, quæ Deus iubet. Solebant veteres olim Elephantos ſanguine vuæ, aut mori incitare ad prælium, & nos excitare debet ſanguis Chriſti, vt quilibet ſecum dicat, Domine, ſi pro me tanta paſſus es, &c. cur non ego paterer? Fiat igitur voluntas tua, paratum cor meum Deus, paratum cor meum, &c. Hoc ſequi deberet ſumptionem Sacramenti, &c. Omnium maximè autem ſequi debet charitas proximi. Huc pertinet, quod Paulus dicit: Vnus panis & vnum corpus ſumus omnes, qui de vno pane participamus. Huc pertinet, quòd Chriſtus Sacramentum hoc in eis rebus inſtituit, quæ ad vnum aliquid rediguntur. Ex multis enim granis, vnus panis conficitur; & ex multis vuis vinum confluit, &c. Huc pertinet quòd Chriſtus poſt inſtitutionem Sacramenti, tam multa de charitate proximi dixit: Mandatum, inquit, nouum do vobis. Huc pertinet, quòd Eccleſia etiam nunc man- *Mat. 26.* *1. Cor. 6* *2. Cor. 5* *Pſ. 107.* *1. Co. 10* *Ioan. 13*

datum celebrat, quamuis tantum ſpectaculum iá ſit.
1.Cor.11 Nam pauperes negligimus, facimus, vt Corinthii, comedimus, & ſinimus alios famelicos aſpicere, &c. Verùm non ſic fuit in primitiua Eccleſia, pauperes vel maximè fouebantur circa ſumptionem huius Sacramenti. Sic igitur breuiter habetis, quomodo hoc Sacramentum ſuſcipiendum ſit. Præcedat pœnitentia, comitetur memoria Paſſionis Chriſti, ſequatur gratiarũ actio, obedientia & charitas. Et ô ſumme Deus, quantum gratiæ, quantum conſolationis, quantum roboris, quãtum auxilii inde reportaturi eſſemus, ſi hæc faceremus. Iterum igitur admoneo, Attẽdamus hęc. Si omnes ſumimus Sacramentum, cura ſit, vt & omnes Deo placeamus. Deus quidem nullum prohibet, ſed veniet tempus cùm ſeparabit oues ab hædis, triti-
Mat.25. cum à palea, &c. Si volumus, ſummam conſolationem habemus in hoc Sacramento. Faxit Deus opt. max. vt Sacramentum hoc dignè ſuſcipiamus, & perpetuò fructum eius in nobis conſeruemus, Amen.

EXORDIVM IN PASSIONEM DOMINI, EX ALLEGORIA IONAE.

HACTENVS audiuimus hiſtoriam Ionæ, maximè quantum ad priora capita ſpectat: exigit nunc tempus hoc, vt etiam attendamus, quid in ea hiſtoria præfiguratum fuerit: Non enim ſine magno myſterio factum eſt. quòd Ionas ad gentes miſſus eſt, & antequam illuc perueniret, in mare eiectus, à piſce deglutitus, & triduo mirabiliter illic conſeruatus, tandem die tertia iterum ad lucem & homines venit, ſicque demum gentibus prædicauit: Nihil, inquam, horum ſine myſterio eſt, imò omnia ad paſſionem Chriſti ſpectant & deſeruiunt,

deſeruiunt, vt nihil opus ſit pluribus præfari in paſſionem Dominicam. Solus Ionas ſatis nos docebit, quid circa paſſionem Chriſti cogitandum ſit. Poſſent enim fermè omnia quæ hactenus de Iona audiuimus, ad Chriſti paſſionem trahi, quamuis non neceſſe ſit, vt Ionas in omnibus Chriſtum præfigurauerit: Imò aliqua de ipſo Iona audiuimus, quæ in Chriſtum minimè competunt, vt quòd primò tam inobediens fuit, & quòd in quarto cap. ſic iraſcitur, & temerè loquitur contra iudicia Dei. Hæc enim in Chriſtum non competunt, vt qui nunquam inobediens fuit, nec vnquam contra iuſtitiam Dei locutus eſt: Alias autem fermè omnia ad Chriſtum & paſſionē eius aptari poſſunt. Ionas ſiquidem interpretatur columba, & dolens, & fuit filius Amathi, hoc eſt, veritatis. In quem autem hæc nomina melius competunt, quàm in Chriſtum? Super ipſum ſiquidem Spiritus ſanctus ſpecie columbæ apparuit. Ab ipſo denique Eccleſia columbæ nomen habet in Canticis, quia ab ipſo ſuſcipit ſpiritum & plenitudinem gratiæ. Vnde non immeritò columbus dici poteſt. Ad hæc de ipſo dicitur: Verè languores noſtros ipſe tulit, &c. Fuit igitur etiam in hoc Ionas, id eſt, dolens. Ad hæc verè fuit filius veritatis: Deus enim veritas eſt. Vnde & Chriſtus ipſe dixit: Ego ſum via, veritas & vita. Ionas igitur tam nomine quàm progenie Chriſtum ſignificauit. Deinde ſicut Ionas ſignanter ad hoc electus fuit, vt gentes per eum conuerterentur: ſic & Chriſtus potiſſimum ad ſalutem gentium miſſus eſt. Iuxta illud: Poſtula à me, & dabo tibi gentes, &c. Itemque, Parum eſt mihi, vt ſuſcites feces Iſraël: dedi te in lucem gentium, vt ſis ſalus mea vſque ad extremum terræ, &c. Et ſicut Ionas præceptū à Domino accepit de prædicando, ſic & Chriſtus. Iuxta illud: Spiritus Domini ſuper me, euāgelizare pauperibus miſit me, &c Et Ionas quidē maluiſſet Iudęis prædicare, valdéq; doluit Iſraëlem perdendum eſſe. Sic Chriſtus primò omnium Iudæis

Matt. 3. *Cant. 2.* *Ioā. 14.* *Pſal. 2.* *Eſa. 49.*

tiones & perſecutiones Iudæorum patienter tolerando, quaſi dormiuit, cùm tamen diſcipuli ſæpius in his timerent, Chriſtumq; ad vindictam ſtimularent, vt cùm dicerent: Vis dicamus, vt deſcendat ignis de cælo, & conſumat eos? Et ſicut Ionas de ſuo ſtatu & de conditione interrogatus fuit, ſic & Chriſtus ſæpe audiuit, Tu quis es? Vbi eſt pater tuus? In qua poteſtate hæc facis? Concordat & illud quòd Ionas iram Dei ſenſit, imò omnes terrores mortis inferni & iudicii diuini, idque propter peccatum. Idem ſenſit Chriſtus propter peccata, non quidem ſua, ſed noſtra, quæ in ſe ſuſceperat. Vnde & ante captionem dicebat: Triſtis eſt anima mea vſque ad mortem. Et in cruce dixit: Deus meus vt quid me dereliquiſti? Nec diſſonat & illud, quòd Ionas ſe vltro in mortem dedit. Tollite, inquit, me, & mittite in mare, & quòd nautę cupiebant quidem ipſum ſeruare, cùm tamen viderent hoc fieri non poſſe, miſerunt eum in mare vel inuiti. Sic Chriſtus vltro & ſpontè ad paſſionem acceſſit? Si quæritis, inquit, me, ecce hîc ſum, attamen ſinite hos abire. Et quamuis diſcipuli ipſum primò gladiis defendere niterentur, poſtea tamen eum reliquerunt in mari perſecutionis. Et quid multis opus? Sicut Ionas ab his, qui eum defendere debuerant, miſſus eſt in mare, inſuper etiam à ceto deglutitus: ſic Chriſtus à ſuo populo in mortem traditus fuit, nec ſolùm mortem guſtauit, ſed etiam infernũ adiit, non vt perpetuò illic maneret, ſed vt inferni principe deuicto, ſuos inde eriperet. In ſumma, quàmdiu Ionas in mari erat, non ceſſabat tempeſtas, quàmprimum autem in mare proiectus fuit, ſtetit mare à feruore ſuo. Sic antequam Chriſtus moreretur, Dei ira implacabilis erat contrà hominem: mortuo autem Chriſto, ſtatim ira Dei quieuit. En, ſic fermè omnia quæ de Iona dicta fuerunt, ad Paſſionem Chriſti applicari poſſunt. Verùm ad hoc multum tẽporis requireretur. Breuitatis igitur cauſa vnicum tãtum verbum illud vobis commendo, quo de Iona di-

Luc. 9. *Ioan. 8.* *Mat. 26.*

ctum eſt: Tulerunt eum & miſerunt in mare, & ſtetit mare à feruore ſuo: Et timuerunt nautæ Dominum, & immolauerunt & vouerunt vota. In his verbis nedum videmus quid Ionæ acciderit, ſed etiam cauſam, fructum & vſum eius rei. In mare fuit proiectus à nautis. Sed cur? propter tempeſtatem ſæuientem. Ea autẽ tempeſtas acciderat propter peccatum & inobedientiam: Hæc fuit cauſa. Cęterùm eiecto Iona & deglutito à piſce, ſtetit mare, & ceſſauit tempeſtas. Poſtremò nautæ timuerunt Deum, &c. Hic fuit vſus. En, hæc quattuor vel maximè in Chriſti paſſione ſpectanda ſunt. Modum paſſionis Chriſti docet hiſtoria. Cauſa mortis Chriſti, fuit tempeſtas iræ Dei contra humanum genus. Ea tempeſtas diu durauerat, eiecerat hominem è Paradiſo, &c. clauſerat cælum: orta autem erat propter peccatum hominis & inobediẽtiam. Hoc peccatum Chriſtus in ſe ſumpſit, ideo in hanc tempeſtatem venit, vt tandem eiiceretur in mare.

Gen. 3.

Hoc, inquam, ſecundo loco conſiderandum, nempe peccata noſtra cauſam fuiſſe mortis Chriſti. Nunquã hæc tempeſtas Chriſtum tangere potuiſſet, niſi peccata noſtra in ſe ſumpſiſſet. Seruire, inquit, me feciſti in peccatis tuis, &c. Et ſecundũ hæc paſſio Chriſti non tantùm hiſtoria eſſet, ſed etiam ſpeculum noſtræ miſeriæ & iudicii diuini contra peccata. Tertio loco cogitandus eſt fructus paſſionis Chriſti: Is autem eſt, quòd per eam ſedata eſt tempeſtas iræ Dei, remiſſaque nobis ſunt peccata, &c. Vnde in cruce dicebat: Pater remitte illis, &c. Et poſt reſurrectionẽ, primò omnium diſcipulis annuntiauit pacem. Huc pertinet, ꝙ Paulus paſſionem Chriſti nominat, redẽptionem noſtram, emundationem noſtrã, ſacrificium noſtrum, quo Deus reconciliatus eſt, & theſaurum omnium bonorum, vt in Epiſtola præcedentis Dominicæ diximus. Et ſecundum hoc paſſio Chriſti eſſet Euangelium, hoc eſt, lætum nuntium, magna nobis bona nuntians. Poſtremò videndum etiam eſt, quo-

Eſa. 42.

Heb. 9.

modo

modo paſſione Chriſti vtendum ſit, & hoc etiã docet Ionas, Timuerunt, inquit, Deum, &c. In hunc modũ paſſione Chriſti vtamur: Primò, vt timeamus Deum, caueamus ipſum offendere poſt tam grauem reconciliationem. Sic docet Petrus: Videte vt in timore ambuletis, ſcientes, quòd non corruptibilibus redempti eſtis, &c. Secundò, vt immolemus ſacrificia, hoc eſt, gratias agamus & Deo patri, qui proprio filio non pepercit, &c. Et Chriſto Domino, qui ſeipſum tradidit pro nobis hoſtiam Deo. Tertiò, vt voueamus vota, id eſt, vt & noſipſos Deo offeramus, per veram fidem & obedientiam & charitatem. Et ſecundum hoc paſſio Chriſti, etiam nobis exẽplum eſſet. Sic igitur verbum illud è Iona productum, nos docet, vt paſſionẽ Chriſti accipiamus vt hiſtoriã, vt ſpeculum miſeriæ noſtræ, vt Euangelium bona nuntians, & vt exẽplum Chriſtianę vitæ, hoc eſt, vt ſimul conſideremus & modum paſſionis, & cauſam, & fructum, & verum vſum. Hæc qui fecerit, non ſine fructu à paſſione audita diſcedet, &c.

1. Pet. 2

Eph. 1.

FERIA SEXTA PARASCEVE.

GENERATIO *hæc ſignum quærit, & ſignum non dabitur ei, niſi ſignum* Ionæ *Prophetæ.* Prouerbio dicitur: Vino vendibili nõ opus eſſe ſuſpenſa hedera, & ſic etiã re ipſa inuenitur: quod enim in ſe bonum eſt, nõ opus habet magna cõmendatione. Omnes enim idipſum appetunt, etiam non adſit laudator, vt plus indignationis, quàm gratiæ ab hominibus acquirat, qui longa oratione eos remorari conetur ab eo quod appetunt. Quid autem melius vnquam è cęlo nobis venit, quàm quòd Deus Flium ſuum miſit? quid maius vnquam in terra factum eſt, quàm quòd Filius Dei mortuus eſt? quid

Mat. 12.

ſti, quòd Ionas paſſionis Chriſti typus fuit. Cùm igitur cogitamus, quid Ionæ contigerit & cur. Itemque, quid inde ſecutum ſit, & quales inde effecti fuerint ea videntes, iam præcipua illa habemus, quæ circa paſſionem Domini meditanda ſunt. Ionas fuit proiectus in mare, & deglutitus à ceto: Hæc eſt hiſtoria. Tempeſtas fuit in cauſa: fructus, tranquillitas maris & ceſſatio tempeſtatis. E quibus omnibus etiam gentiles homines diſcebāt Deum timere, colere, & bona proponere. Hæc autem ſunt, quibus tota Chriſti paſſio incumbit. Nam & Chriſtus in mare paſſionem abiectus fuit. Iuxta illud, Aquæ intrauerunt vſque ad animam meam, &c. Hoc docet hiſtoria. Cauſa autem paſſionis Chriſti, fuit magna illa tempeſtas iræ Dei ſuper hominem quam tempeſtatem nemo ſedare potuit, imò in eo omnibus nobis pereundum fuerat, niſi Chriſtus in eam deſcendiſſet. Fructus paſſionis Chriſti eſt, quòd per eam ſedata eſt tempeſtas illa, noſque Deo reconciliati ſumus. Hinc igitur & nos diſcere debemus, Deum timere & colere: Hîc erit verus vſus paſſionis Chriſti. Secundum hoc igitur quatuor modis attendenda eſt. Primò, vt hiſtoria, quæ certò contigit. Secundò, vt ſpeculum, in quo clarè videmus, quo in ſtatu res noſtræ fuerũt ante aduentum Chriſti. Tertiò, vt Euangelium, quod nobis nuntiat Deum reconciliatum. Et quartò, vt exemplum & forma, cui imprimamur. Et hæc quatuor circa quemlibet articulum conſideranda ſunt. Ego igitur quàm ſimpliciſſimè hiſtoria oſtendam, tria reliqua vobis cõmendo, vt ſcilicet circa quemlibet articulum conſideretis, cur Chriſtus hoc paſſus ſit, quid nobis per hoc meruerit, & quid per hoc etiam nos docere voluerit. Det nobis piiſſimus Deus ſalutarem hanc hiſtoriã ita audire, vt non tantùm inde cõmoueamur, ſed etiã ædificemur in fide, ſpe, charitate, & omni pietate, Amẽ. In exordio igitur hiſtoriæ, Euangeliſtæ ſatis apertè deſcribunt, quomodo & vnde magna illa tempeſtas

Mat. 12.

Pſal. 68.

ſuper

ſuper Ionam noſtrum orta fuerit. Quatuor magni venti inuicem concurrentes, eam excitarunt. Primus vẽtus fuit voluntas Dei patris, qui hoc medio homini ſuccurrere voluit: Is ventus deſurſum veniebat. Secundus ventus, de deorſum veniens erat diabolus, qui tam Iudam quàm Iudæos, imò etiam & Paganos milites in Chriſtum inſtigabat. Tertius ventus è latere veniens, erat Iudas, qui ex parua admodum re, propter modicam ſcilicet pecuniam, ſe contra Chriſtum oppoſuit.
Mat. 26. Hic ventus flare cœpit, cùm mulier illa Chriſtum vngeret: hic primùm occultè ſuſurrabat contra Chriſtũ, pòſt autem vehementior factus eſt, cùm ad Phariſæos
Ioã. 11. properaret, & Chriſti hoſtibus ducẽ ſe preberet. Quartus ventus ex alio latere, erant Iudæi: Is ventus diu ſe continuerat, tandem autem manifeſtè erupit in conſilio Cayphæ, & adhuc fortius, cùm etiam nocte Paſchali omnium obliti, ad capiendum Chriſtum ſeruos miſerunt. Hi, inquam, quatuor venti tempeſtatem illam excitarunt. Sed quid dicit ſcriptura? Mare ibat & intumeſcebat. Omnia hæc in Ionam noſtrum irruebant, vnde primùm in tantam anguſtiam peruenit, vt etiam ſanguinem ſudaret. Deinde etiam externè in eũ ſæuiebat tempeſtas, cùm in horto crudeliter inuaſus; duriſſimè vinctus, pœnaliter ductus, in domo Annæ ignominioſè, à viliſſimo ſeruo percuſſus; in domo autem Cayphæ, falſò accuſatus, & ſicut blaſphemus reus mortis condemnatus, ac deinde ſine omni miſericordia ab illis conſputus, illuſus, percuſſus fuit. Hæc præterita nocte paſſus eſt Chriſtus. Hoc fuit exordium tempeſtatis, interim cùm mare ſic ſæuiret, nautæ, hoc eſt, Apoſtoli timuerunt valde: & quamuis primo ſtatim ingreſſu Chriſtum defendere conniſi erant, poſteà autem videntes magnitudinem tempeſtatis, præ timore fugerunt, & Chriſtum ſolum reliquerunt, imò eum etiam abnegarunt. Interim au-
Eſa. 53. tem Ionas noſter dormiebat, manſuetus erat, patien-
1. Pet. 2. ter ferebat, ſicut ouis quæ ducitur ad victimam. Cùm
enim

enim malediceretur, non maledicebat, cùm pateretur, nō comminabatur, pauca enim locutus eſt, & quidem modeſtiſſimè. In horto quidem tria tantùm verba ad hoſtes, in domo Annæ duo, in domo Cayphę vnū tātùm verbū dixit. Quātumuis autem Chriſtus tacebat: nihilominus tamen mare ſæuiebat, & ſemper magis ac magis, nec quieſcere poterat, donec Ionas eiiceretur. De his igitur nunc deinceps audiamus, quomodo ſcilicet mare amplius intumuerit, quomodo Ionas eiectus fuerit, & quomodo etiam à piſce deglutitus, Audi igitur hiſtoriam. Manè autem facto, &c.

IN FESTO PASCHAE.



Rat *Ionas tribus diebus & tribus noctibus in uentre ceti: Poſteà autem dixit Dominus piſci, & euomuit Ionam in aridā.* Cùm mecum conſidero, ad quantam gloriam Chriſtus hodie euectus ſit, quamque lætum nuntium triſtibus hodie Apoſtolis allatum, imò quantum gaudiū toti mundo attulerit reſurrectio Chriſti, Et in ſumma, quàm citò, quamq; mirabiliter dies hæc omnia circa Chriſtum & ſuos immutauerit, non poſſum hunc ſermonem melius incipere, quàm vt cum Eccleſia dicam: Salue feſta dies, toto venerabilis æuo, qua Deus infernum vicit & aſtra tenet, imò vt Deus ſuper omnia regnat, qui paulò antè, vt homo abiectiſſimus crucifixus erat. Hæc, inquam, verba, ſi rectè conſiderentur, omnes Chriſtianos excitare poſſem, vt & cupidè audirent, & cum diligentia & deuotione cogitarēt, denique etiam læto corde & ore, annuntiarent magnam illam gloriam, ſalutem, beatitudinem, gaudium & diuitias, quas nobis hæc dies attulit. Et ſic etiā facto opus eſt fratres: nemo chriſtianus hodie dormire debet, Ionæ 2.

Similem

diabolus Iudæos in Chriſtũ inſtigabat, & mors ipſum inuadebat, imò & occidebat. Denique & infernus aperto ore eum deuorare cupiebat, vt interim taceam, ꝙ Iudæi adeò eum occiſum cupiebant, vt omnem etiam eius memoriam abolitam vellent. Nam & titulum regni ſuper crucem poſitum, mutare conabantur, & ſepulchrum militibus & ſigillis muniebant, ne Chriſtus quomodo reſurgere poſſet: At quid profuerunt hęc omnia? Omnia hodie mutata ſunt. Chriſtus ſurrexit inuitus etiam omnibus hoſtibus ſuis. Vbi igitur nunc eſt Iudęorum irriſio, qua Chriſtum in cruce pẽdentem irridebant? Vbi diaboli potentia? Vbi peccati aculeus? vbi mortis acerbitas? vbi inferni horror? *Mat. 27.* Omnia per Chtiſtum victa ſunt, omnia Chriſto ſubiecta ſunt. Data, inquit, eſt mihi poteſtas in cælo & in terra. De hoc igitur gaude, ô Chriſtiane, ac Saluatoris tui diem triumphalem lętus celebra, aſſiſte ei triumphãti, admirare eius potentiam, age gratias ipſius gratiæ, lauda ipſius miſericordiam, canta de ipſius dilectione, lætare, te hanc diem habere, in qua hæc facta ſunt, iterumque dic: Salue feſta dies, &c. En fratres chariſſimi, hæc ſunt mirabilia illa, quæ hodie facta ſunt. Et quis hominum maiora, lætiora, meliora vidit vnquam? Horum igitur veſtram charitatem vel paucis verbis in exordio ſermonis commonere volui, vt maiori affectu ad huius diei celebrationem permoueamini. Nec dubito, quin hodie ab aliis diffuſus de his audieritis. Deinceps igitur oſtendam, quomodo etiam in Iona noſtro pręoſtenſa fuit patribus reſurrectio Chriſti. Huc ſpectant verba thematis. Erat, inquit, Ionas tribus diebus, & tribus noctibus, &c. Et ſuprà quidem ſatis oſtendi, quomodo Ionas in eo, ꝙ in mare proiectus & à ceto deglutitus fuit, paſſionẽ Chriſti præfigurauerit, vt qui propter nos omnem illam diuinæ iræ tempeſtatem ipſamque etiã ſententiam mortis ſponte in ſe ſuſcepit, pro nobis mortuus etiam & ſepultus fuit. Sed nũquid Ionas tantùm paſſionis Chri-

Mat. 28.

ſti

ſti figura fuit? Aut nunquid abiectio illa Ionę, ſignificauit Chriſtum omnino ſupprimendum? Nequaquã. Nam Ionas in mare quidem proiectus fuit, at non ideo ſubmerſus, imò magna omnium admiratione poſt tres etiam dies ad lucem rediit. Sic & Chiſtus affixus quidem fuit ligno, & in eo mortuus, poſt etiam ſepultus fuit, at nõ ideo periit. Cur, aut vnde hoc? quia Deus præparauerat piſcem grandem, qui Ionæ eo triduo eſ-

Pſal. 15. ſet habitaculũ, & de Chriſto diu ante prædixerat Dauid, quòd Deus animam eius non relicturus eſſet in inferno, nec corpus ipſius in putrefactione. Itaque, ſi attendamus quid de Iona ſcriptum ſit, poſtquàm in mare proiectus fuit, habebimus omnia quæ & Euangeliſtæ ſcribunt, Eccleſia docet, & fides noſtra tenet de reſurrectione Chriſti. Quatuor autem de Iona aſ-

Ione 2. ſerit ſcriptura. Primùm, quòd nedum in tribulatione ſua, ſed etiam è ventre inferi clamauit ad Dominum. Secundum, quòd tribus diebus fuit in ventre piſcis. Tertium, quòd Deus præcepit piſci, vt emoueret Ionam in terram. Quartum, quòd Ionas poſt reſtitutionem ſuã, Gentibus incœpit prædicare. Atqui hæc ſunt, in quibus tota hiſtoria reſurrectionis conſiſtit. De ſingulis

Ione 2. igitur pauca dicamus. Primò, in tribulatione mea (inquit Ionas) clamaui ad dominum, & exaudiuit me: De ventre inferi clamaui, & exaudiſti me. An non autem hæc in Chriſto completa ſunt? Audiſtis in paſſione, quoties ad Deum clamauerit in ſua illa tribulatio-

Mat. 26. ne. Nam ſtatim ab initio ter ad Patrem orauit, vt au-

Luc. 23. ferretur ab eo calix. Deinde, in cruce poſitus, iterũ clamauit: Pater, inquit, dimitte eis, quia neſciunt quid fa-

Mat. 27. ciunt. Et paulò pòſt magna voce clamauit. Deus meus

Luc. 23. vt quid me dereliquiſti? Et iterum, Pater in manus tuas commendo Spiritum meum. Atque hîc clamor tam validus fuit, vt in ipſo & vocem & vitam amitteret. Sic itaque Chriſtus in tribulatione ſua clamauit, & hunc eius clamorem etiam homines audire potuerunt. At quomodo è ventre inferi clamauerit, nemo audire

audire potuit mortalium, tamen antequàm veniret in hunc mundum, Spiritus ſanctus in ſcriptura prædixit, quid clamaturus eſſet de ventre inferi. Sic enim in perſona eius dixit Dauid: Domine Deus ſalutis meæ, in die clamaui & nocte coram te, &c. Quoniam repleta eſt malis anima mea, & vita mea inferno appropinquauit: Aeſtimatus ſum cum deſcendẽtibus in lacum, &c. per totum. Et in alio pſalmo, Quæ vtilitas, inquit, in ſanguine meo, ſi deſcendero in corruptionem? Nunquid confitebitur tibi puluis, &c. Et ſequitur, Audiuit Dñs, & miſertus eſt mihi, &c. Conuertiſti plãctum meum in gaudium mihi, &c. Sic igitur Chriſtus in tribulatione ſua orauit pro noſtra reconciliatione. E ventre autem inferi, hoc eſt, ſepulchro, clamauit pro ſua glorificatione & reſurrectione: Et in vtroque exauditus fuit. Nam & nobis impetrauit remiſſionem peccatorum, & ſuæ humanitati impetrauit reſurrectionem & glorificationẽ. Exauditus, inquam, ſtatim fuit, verùm ea exauditio hodie primùm innotuit mundo. Nam in triduo illo paſſionis & mortis eius, nemo hæc ſcire potuit: toto enim illo tẽpore videbatur eum Deus planè abieciſſe, vt meritò Chriſtus cũ Iona dicere potuerit. Omnes fluctus tui tranſierunt ſuper me: Aquæ circundederunt me vſq; ad animam, &c. Et dixi, Abiectus ſum à facie oculorum tuorũ, &c. Primò enim, cùm Pontifices & Phariſæi in concilio illo ſuo concluſerunt Chriſtum occidendum eſſe, tunc verè circundederunt eum aquæ vſq; ad animã. Deinde, cùm Iudas accepta cohorte armatorum, properaret ad capiẽdum Chriſtum, verè dicere potuit, Abyſſus vallauit me. Tertiò, cùm Cayphas diceret: Adiuro te per Deum viuum, vt dicas nobis, &c. & alii ſucclamarẽt: Reus eſt mortis, ibi verè pelagus operuit caput eius. Quartò, cùm flagellis tã immaniter cæderetur, inſuper etiam omnium ludibrio exponeretur, meritò dicere potuit: Omnes gurgites, & fluctus tui ſuper me tranſierunt: Verè enim tunc, quę nõ

Pſal. 87 · *Pſal. 29* · *Heb. 5.* · *Ionæ 2.*

Pſal. 68 rapuerat exoluebat. Quintò, cum audiret: Tolle hũc, & dimitte nobis Barrabam, ac deinceps etiam in medio latronum crucifigeretur, potuit veriſſimè dicere: Ad extrema montium deſcendi, hoc eſt, in extremam confuſionem & ignominiam. Poſtremò, cùm in ſepulchro poſitus, & inſuper etiam cuſtodibus ſeptus eſſet, potuit dicere: Terræ vectes concluſerunt me in æternum. Quis igitur tunc vel cogitare potuiſſet, Chriſtũ à Deo exauditum eſſe? imò quis non iudicaſſet, ipſum totaliter à Deo abiectum eſſe? Hodie autem planè apparet, quod verè fuit exauditus, vnde & vlterius cum Iona dicere potuit: Tu domine ſubleuabis de corruptione vitam meam. Nam rurſum videbo templum ſanctum tuum: non illud Hieroſolymitanũ, ſed quod in gentibus tibi cõſtructurus es. Interim impii Iudæi, dum ſuas cuſtodiunt vanitates, ſepulchrum ſcilicet munientes, ac cuſtodibus mercedem pollicentes, vt mentiantur corpus meum à diſcipulis ſublatum, ſuam miſericordiam, hoc eſt, me, qui ex miſericordia ad ipſos

Matt. 28 veneram, derelinquunt, & tamen fruſtrà. Quod enim quærunt, nempe vt templum, & ſacerdotium retinere poſſint, non conſequentur: Interim tamen, quantumuis illi miſericordiam ſuam relinquant, propter eos tamen, miſericordiæ tuæ laus & gloria minor non erit. Nã ego in voce laudis immolabo tibi, hoc eſt, linguas

Pſal. 56. alias pro linguis eorum tibi acquiram. Confitebor e-

Pſal. 21. nim tibi in gentibus, & nomini tuo Pſalmum dicam: Narrabo nomen tuum fratribus meis, in medio Eccleſiæ laudabo te. Sic igitur videtis, quomodo omnia illa verba orationis Ionæ in Chriſtum competant. Vnde & certò videmus, quàm efficax fuerit oratio Chriſti,

1. Ioã. 2 imò quàm accepta ſit perſona ipſius Deo Patri, id quod

Hebr. 9. ſummè nos conſolatur, quandoquidẽ Ioannes dicit, quòd ipſe ſit aduocatus noſter. Et Paulus: Quòd ideo intrauit in cælum, vt appareat vultui Dei pro nobis, & quòd pro nobis interpellat. Hoc cogita Chriſtiane, & nunquam deſperabis. Hactenus igitur de oratione Io næ-

næ. Secundo loco de ipſo dicit ſcriptura, quòd tribus diebus & noctibus fuit in ventre ceti. Et Chriſtus ſimilia dicit de ſeipſo: Sicut, inquit, fuit Ionas in ventre ceti, ſic erit Filius hominis tribus diebus & tribus noctibus in corde terræ. Sed quomodo, inquis, hoc *Mat.12.* verum eſſe poteſt, quòd Chriſtus tribus diebus, & tribus noctibus iacuerit in terra, cùm Euangeliſtæ plenè teſtentur, ipſum in veſpera Paraſceues ſepultum fuiſſe, & manè prima ſabbati ſurrexiſſe, quod tempus vix vnum diem cum dimidio complet. Hic duplex eſt reſponſio. Primò enim, ſi præciſè accipimus tempus illud, quo corpus Chriſti fuit in ſepulchro, neceſſe eſt, vt quamlibet diem & noctem pro vno computemus, & quamlibet noctem ſequenti diei coniungamus, more ſcripturæ, quæ dicit: Et factum eſt veſperè & manè dies vnus. Deinde neceſſe eſt, vt tres *Gen. 1.* illos dies & noctes intelligamus per ſynecdochen, hoc eſt, partem pro toto: ita, vt ex eo quòd in Paraſceue mortuus eſt, vnum diem ſupputemus & noctem, & ſabbati alteram: tertiam verò noctem, quæ diei Dominicæ mancipatur, ad alterius diei referatur exordium. Et ſic de quolibet trium illorum dierum & noctium, ad minus aliquot horas iacuit in ſepulchro, de primo ſcilicet die & nocte tres, de tertio ſex horas, intermedium autem diem & noctem integras iacuit in ſepulchro. Poteſt autem & aliter dici, quòd Chriſtus tres integros dies & noctes, non quidem reipſa in morte & ſepulchro, ſed quaſi in morte & ſepulchro fuit. Quamuis enim re ipſa ad veſperam diei Paraſceues mortuus & ſepultus fuit, toto tamen illo die, imò etiam præcedenti nocte, morti & ſepulturæ iam deſtinatus, & quaſi iam mortuus erat. Vnde & tunc dicebat: Et iam non ſum in mundo. Et, Cùm eſſem *Ioã. 17.* cum eis, ego ſeruabam eos. Si Chriſtus tum dicere potuit: Iam non ſum in mundo, poſſumus & nos dicere, quòd iam tum quaſi erat in ventre ceti & in corde terræ. Rectè igitur totus ille dies Paraſceues cum

 præ-

præcedenti nocte, ſepulturæ deputatur, quicquid e-nim ab ea hora, in qua comprehenſus eſt, circa illum factum eſt, quicquid paſſus eſt, nihil aliud fuit, quàm deſcendere in ventrem ceti, & in cor terræ. De ſabbáto cum præeunte nocte, nulla eſt quæſtio, quin toto die quieuerit in ſepulchro. Tertii diei media nocte ſurrexit, ſed non fuit creditum, quòd ſurrexiſſet vſque ad veſperam eiuſdem diei. Sicque etiam tunc diſcipulis videbatur, Chriſtum adhuc eſſe in morte, proinde & illa dies connumeratur duobus cæteris, vt tres dies ſint. Secundum hunc igitur intellectum habes tres integros dies, & tres integras noctes. Verùm de his plus quàm ſatis. Eſt aliud quoddam myſterium, quod computantibus horas mortis Chriſti & ſepulturæ occurrit. Nam ſi ab hora, qua ſpiritum tradidit, computes vſq; ad horam, qua ſurrexit, hoc eſt, vſque ad medium noctis, inuenies, quòd tam in quantitate horarum, quàm in quantitate dierum, ternarius fulget numerus. Nona quippe hora tradidit ſpiritum, & reſtabant horæ tres eius diei, quæ coniunctæ ſequentis noctis & diei viginti quatuor horis, & illius, qua ſurrexit noctis medio, hoc eſt, ſex horis, nimirum faciunt horas triginta tres. Et quòd plus eſt, nedum præcisè triginta tribus horis iacuit in ſepulchro, ſed etiam trigeſimotertio anno ſuæ ætatis fuit crucifixus, trigeſimo anno baptizatus, tribus annis prædicauit, tribus paſſionibus cõſummatus fuit, flagellatione ſcilicet, crucifixionis & lateris apertione. Denique etiam inter duos latrones tertius pendere voluit. Vides vbiq; ternarium numerum. Putas autem caſus hæc facta eſſe? Nequaquam. Et quanquã conſilium Dei nemo hominum ſciat, poſſumus tamen dicere, Chriſtum ideo ternarium illum numerum tam diligenter ſeruaſſe, vt oſtenderet, ſe ſanctæ Trinitati plenè ſatisfeciſſe pro peccato primi hominis, qui ipſam ſanctam Trinitatem tripliciter offenderat, in eo, quòd contemnendo Dei in ſe imaginem, & fidem, & ſpem, & cha-

& charitatem perdidit. Fidem quippe perdidit, qui ſerpenti magis, quàm Deo credidit. Spem amiſit, qui peccati conſcius ad latebras confugit, vt abſconderet ſe a facie Domini: Charitatem autem non habuit, qui requirentem ſe Deum, ſuperba defenſione à ſe repulit. Sic ille offendit ſanctam Trinitatem, & Dei perdidit ſimilitudinem: Chriſtus autem ad hoc venerat, vt homini ſanctam placaret Trinitatem, & in hominibus Dei reformaret ſimilitudinem. Vnde & meritò placata ſancta Trinitas, ſuam confeſtim generi humano cœpit oſtendere faciem, eductis omnibus de regione tenebrarum, qui venturi huius fidem habentes, ex hac vita migrauerant, & prædicari voluit nobis reſiduis, vt baptizaremur in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti. Et hoc igitur ad conſolationem noſtram pertinet, vt maiorem & certiorem ſpem habeamus de remiſſione peccatorum. Sed audiamus quid ſcriptura vlterius dicat de Iona. Et dixit Dominus piſci, & euomuit Ionam in aridam. Hoc propriè reſurrectionem Chriſti reſpicit. Hinc Act. 2
& Petrus dicit: Hunc Deus ſuſcitauit à mortuis, &c. Vtrobiq; enim Dei potentia conſpicitur. Nunquam Ionas ad lucem rediiſſet, niſi Dominus præcepiſſet piſci, nunquam etiam corpus chriſti reſurgere potuiſſet, niſi fuiſſet à coniuncta diuinitate excitatum: Vnde
& meritò Paulus dicit: Chriſtum per reſurrectionem Rom. 1.
declaratum eſſe filium Dei. Vbi autem Deus operatur, illic cedere cogitur creatura. Sic Ionam deuorauerat cetus, ſed Deo præcipiēte, cogebatur eum reddere. Sic & Iudæi ſepulchrum Chriſti clauſerant, ſignauerant, munierant, ſed nihil profuit. Reſurgente enim Mat. 28.
Chriſto, terræmotus factus eſt, & Angelus apparens ita conterruit cuſtodes ſepulchri, vt iacerent ſicut mortui. Quòd ſi Angelus hoc potuit, quid poterit Chriſtus ipſe in iudicio? Hoc igitur eſt ſignum illud Ionæ, quod Chriſtus ſe daturum promiſit, impiis in damnationem, piis autem in ſalutem æternam. Nam ſi re-

ſurrectio Christi ita terruit impios, quid faciet eius iudicium? Et econtrà ſi Christus ſua diuinitate tam potenter ſeipſum excuſſit è peccatis, morte, damnatione & diabolo: poterit & eos, qui in ipſum credunt, è ſimilibus malis eripere. Atque hoc eſt, quod
1. Pe. 1. Petrus dicit: Regenerauit nos in ſpem viuam per reſurrectionem Christi à mortuis. In ſumma, nihil magis conſolatorium eſt piis, nihil etiam magis terribile eſt impiis, quàm reſurrectio Christi. Sequere igitur pietatem, & habebis perpetuam conſolationem: Sin autem, manes in peccatis, verè timendum tibi eſt. Quò enim altius aſcendit Christus, eò magis punire
Eſa. 8. poteſt. Eſt enim Christus nedum lapis fundamẽtalis, ſed etiam lapis offenſionis, in quo tam multi corruunt & offendunt, quàm multi in ipſo reſurgunt & ſaluantur. Qui igitur ſuper hunc lapidem ſe ædificauerit, ſaluabitur: qui autem in ipſum impinget, ſeipſum læ-
Mat. 21. det. Quòd ſi lapis ipſe ſuper quempiam ceciderit, cõteret eum. Hactenus de tertio. Vltimum, quod de Io
na ſcribitur, eſt prædicato ipſius ad gentes: Et hoc etiã
Luc. 24. in Christo impletum eſt. Oportebat, inquit, pati Christum, & reſurgere, & prædicari in nomine eius pœnitentiã & remiſſionem peccatorum in omnes gẽtes. Ante paſſionem ſuam Iudæis prædicabat, imò &
Mat. 10. diſcipulis dicebat: In viam gentium ne abieritis. Poſt
Mar. 16. reſurrectionem autem dixit: Euntes prædicate Euangelium omni creaturæ. Et quòd Ionæ in Niniue contigit, hoc etiam Christo contigit in gentibus: Nam magno ſtudio Euangelium acceperunt, crediderunt, pœnituerunt, peccata priſtina relinquentes, &c. Et hoc non tantùm fecerunt populares, ſed etiam reges & principes: ad auditum Euangelii ſurrexerunt de ſedibus ſuis, depoſuerunt coronas, humiliantes & ſubiicientes ſe Christo. In hoc igitur opere Christus etiã nunc eſt, nec ceſſabit gentibus prædicare, quàmdiu mũdus ſtabit. Christus, inquam, prædicat gentibus pœnitentiam, verùm non ſolam vt Ionas, ſed ſimul etiã
remiſſio-

remiſſionem peccatorum. Beati qui ipſum audiunt & credunt: Væ autem illis, qui prædicantem & vocantẽ eum reiiciunt. Sic igitur ex his quæ de Iona dicuntur, totam reſurrectionis hiſtoriam habemus: Reſtat, vt cognita reſurrectione Chriſti, ea rectè vtamur. Feſtũ enim hoc plus quiddã requirit quàm alia, quemadmodum & Iudæis non aliud feſtum maiori diligẽtia præceptum fuit quàm hoc. Habebant enim determinatum diem, in quo Paſcha celebrarent, determinatum locum, tempus, ſacrificium, modum, ritum, &c. Dies huius feſti, erat quartadecima luna primi mẽſis, ſacrificium erat agnus, modus & ritus erant vt eum ederent, non coctum aqua, ſed aſſum, ſuccincti lumbos, calciati, baculos in manibus habẽtes & feſtinãter, &c. Exo. 12.
Hæc autem ſunt, quæ feſtum hoc etiam nunc exigit, non carnaliter, ſed ſpiritualiter. Oportet vt annuè celebremus, imò quotidie reſurrectionem Chriſti: oportet vt agnum, Chriſtum, qui Paſcha noſtrum eſt, manducemus per fidem, idque in azymis ſynceritatis & veritatis: oportet vt procul è cordibus noſtris excludamus omne fermentum malitiæ & nequitiæ: oportet vt ſeruilia opera vitemus in hac die, hoc eſt, peccata: oportet vt in vna domo maneamus, hoc eſt, in Eccleſia, nec in ſectas nos diuidamus: Oportet vt accincti ſimus renibus per caſtitatem, calciati per obediẽtiam, baculum ſpei in manibus tenentes, & vt feſtinemus egredi ex Aegypto. Non enim illic videtur Dominus, ſed in Galilęa. Hęc ſi fecerimus, inueniemus Chriſtũ, videbimus Chriſtum, habebimus Chriſtum, poſſidebimus Chriſtũ, ac tandem etiam ipſo fruemur in æterna felicitate. Quod nobis concedat idẽ ipſe Chriſtus, & qui cũ Patre & Spiritu ſancto ſine fine regnat, amẽ.

1. Co. 5.

FERIA TERTIA.

NOn ſine magna & neceſſaria cauſa factum eſt, ꝙ Euangeliſtæ omnes vno animo tã diligẽter deſcripſerunt, quoties, vbi, quãdo & quibus perſonis Chri-

ſtus poſt reſurrectioné ſuam apparuit, & quid qualibet vice dixerit aut fecerit. Omnibus enim modis neceſſe ſuit, hæc q̃ diligentiſſimè perſcribi. Nã primò nouum quid & inauditũ erat, q̃ quis propria virtute è morte reſurgeret: Nihil tale vnquã viderat mundus. Supra naturam etiã eſt, atq; adeò difficillimum creditu, ideo opus fuit pluribus & certiſſimis teſtimoniis hoc teſtatum facere. Deinde in eo articulo etiã omnis ſpes & ſalus noſtra ſita eſt. Si enim hic incerti eſſemus, nũ.ſ. Chriſtus reſurrexerit, verè in arenã, hoc eſt, in hominem ædificaremus. Quid aũt magni de Chriſtò ſperare poſſemus, ſi tantùm homo & nihil plus q̃ homo fuiſſet? aut q̃d nobis prodeſſe potuiſſet? At q̃ ſi nõ reſurrexiſſet, iã planè monſtraret, ipſum nihil plus eſſe, q̃ hominem. Nunc aũt quia ſurrexit, nemo non videt eum plus quiddã in ſe habere q̃ humanam naturam, imò totus mũdus hinc videre poteſt, ipſum habere poteſtatem vitę & mortis, atq; adeo Deum eſſe, ideo etiã Iudæis ſignum diuinæ naturæ in ipſo quærentibus, nõ

Mat. 12. aliud ſignũ dedit, niſi ſignum Ionæ Prophetę, hoc eſt, reſurrectionem ſuã. Vnde & in alio loco reſurrectio-

Ioã. 17. nem, nominat ſuam clarificationẽ: Pater, inquit, venit hora, clarifica filium tuum. Per reſurrectionem enim ſuã omnibus maximè apparuit, eum eſſe filiũ Dei. Multis quidẽ aliis ſignis hoc ipſum oſtẽdit, verùm nullum

Rom. 1. maius accertius eſt q̃ opus reſurrectionis. Vnde Paulus omiſſis omnibus aliis, hoc vnũ allegat, ad probandam Chriſti diuinitatẽ. Iam ſi reſurrectio Chriſti probat ipſum eſſe Deũ, conſtat ſimul, ꝙ omnibus in ſe credẽtibus eſt & eſſe põt certum fundamentum & firma petra: Qui enim in Deum ſe ædificat, perire non põt. En hæc eſt cauſa, cur Euangeliſtæ tã diligenter deſcripſerunt, quoties Chriſtus poſt reſurrectionem ſuã apparuerit: Imò ob hanc cauſam Chriſtus ipſe ꝑ quatuor dies Apoſtolis apparuit, vt certiſſimi redderentur de ipſius reſurrectione: quò ſecurius & ſe & alios ſuper ipſum ædificare poſſent. Nec quicquã eſt, quod Apo-

ſtoli

ſtoli maiori conatu hominibus inculcatū volebant, q̃ reſurrectionẽ Chriſti. Vnde & in electione Mathiæ, non aliā cauſam prætendebant, q̃ vt in locū Iudæ aliū haberēt, qui cū ipſis eſſet teſtis reſurrectionis Chriſti: In hoc enim omnia conſiſtunt. Nam q. Chriſtum credit reſurrexiſſe, nunquā deſperabit in peccatis, nunq̃ timebit mortem, nunquā expaueſcet diabolum, certus etiā erit de futura reſurrectione, ac demum etiam videbit noua ſibi vita opus eſſe, quandoquidem Chriſtus in nouam vitā reſurrexit. Hinc eſt, quod Paulus dicit: Si confeſſus fueris Chriſtum, & credideris in corde, ꝙ Deus ipſum ſuſcitauit à mortuis, ſaluus eris. En fratres tantum nobis in reſurrectione Chriſti ſitum eſt. Non igitur mirū, ꝙ nunc feſta celebramus, ꝙ gaudemus & cantamus, ſi tantūmodo fierent omnia piè, vt inſtituta ſunt. Ad ſpirituale gaudiū nos incitant feſta hæc, non ad mundana gaudia. In Chriſto debemus lætari, Chriſtus debet eſſe ſpes noſtra. Hic debemus exercere deuotionem noſtrā, firmare fidem, haurire ſpem. Hinc eſt, ꝙ Chriſtus vbiq; poſt reſurrectionem ſuā tam dulciter loquitur, vt in hoc Euāg. Pax vobis, ego ſum, nolite timere. Huc pertinet ꝙ & Pau. in hodierna Epiſt. dicit: Viri fratres filii generis Abrahā, &c. In qua lectione ſatis oſtenditur, q̃ diligenter A poſt. reſurrectionem Chriſti annuntiarint. In omnibus ipſorum ſermonibus hoc ſemper præcipuū fuit, vt patet Act. 2. 3. 10. & 13. Huic fundamento poſteà ſuperædificarunt fidem, ſpem, & charitatem. Sic Paulus hic primò paſſionis & reſurrectionis Chriſti meminit, poſteà oſtēdit, quod ſit reſurrectio Chriſti. Nominat autem ipſam verbum ſalutis, & impletionem omnium promiſſionum Dei, & deniq; etiam certam remiſſionem peccatorum. Notum, inquit, ſit vobis, &c. ꝙ per hunc vobis annuntiatur remiſſio peccatorum, &c. Poſtremò exigit à nobis fidem & pietatem. Videte, inquit, ne Iudæorum incredulitatem & impietatem imitemini, qui nec Chriſtum, nec voces Prophetarū intelligere voluerunt.

Act. 1.

Rom. 10

Act. 13.

voluerunt. Prædixerat de ipſis Deus, ſe temporibus eorum facturum opus quoddã inſigne, quod credituri non eſſent: Et ſic etiam factũ eſt magno ipſorum malo, imò certiſſima ipſorum perditione. Hoc exẽplum
Act. 13. cogitare (inquit Paulus) & vbi illi ceciderunt, vos cautiores efficiamini: Quod illi abiecerunt, vos toto corde ſuſcipite, &c In hunc modũ Paulus ſuperædificat articulo de reſurrectione Chriſti. Atque hoc ipſum eſt, quod feſta hæc exigunt. Attendamus ea fratres, non negligamus verbũ ſalutis ad nos miſſum, &c.

PROSECVTIO IONAE PROPHETAE CAPVT IIII.

IN hoc capite Ionas iterum ſuam ipſius miſeriam & imperfectionem deſcribit, vt in primo capite, idq́; duabus de cauſis. Primò, vt non ſibi, aut ſuæ iuſtitiæ aſcriberetur magnum illud miraculum, quod Deus circa ipſum oſtenderat, item repẽtina illa Niniuitarum conuerſio, quæ ex prædicatione eius ſequuta fuerat, ſed vt omnia ſolius Dei bonitati & potentiæ aſcriberentur, ideo tam diligenter ſua ipſius peccata deſcribit. Hoc enim piorum proprium eſt, vt ſibiipſis nihil niſi peccata aſcribant, Deo au-
Pſal. 74. tem omnia bona. Dicunt enim bis: Confitebimur tibi Deus, confitebimur tibi. Nam primò peccata ſua confitentur, poſteà etiam gloriam Dei & gratiam. Altera cauſa, propter quam Ionas in hoc capite ſuam iracundiam & murmurationem contra Deum deſcribit, eſt, ne Iudæi putarent ipſum ſpontè ad gentes tranſiiſſe, & data opera hoc quæſiſſe, vt Iſraël damnabilior inueniretur, comparatus ad gentes. Suffeciſſet quidem illi conſcientia bona erga Deum, ſed tamen etiam cauere voluit, ne quis in ipſo offenderetur.

tur. Oportet enim nos etiam teſtimonium habere ab his qui foris ſunt. Sed iam nũc textum audiamus: *Et afflictus eſt Ionas afflictione magna.* Cauſa huius afflictionis fuit, quòd Deus Niniuitis parcebat. Inde enim manifeſtè oſtendebatur Iſraëliticum populum & puniendum, & deſerendum à Deo. Sed qualis propheta inquis, fuit Ionas, qui aliis inuidit ſalutem, & libentius vidiſſet, vt ſubuerterentur? Reſponſio, Non hęc ideo ſcripſit Ionas, quaſi rectè in hoc fecerit, ſed quaſi publicè confeſſus fuit ſuam ipſius impatientiam & imperfectionem. Vnde non opus eſt eum excuſare, id quod plerique conantur. Non enim poteſt excuſari. Nunquam enim bonum eſſe poteſt, Deo repugnare, Dei iudicia arguere, contra Deum iraſci, &c. Et proximorum cupere perditionem, manifeſtè eſt contra charitatem. Poſſet quidem Ionas, ſi cauſæ attendantur, quæ eum mouerunt ad hanc impatientiam, nonnihil excuſari coram mundo, at non coram Deo. Quid igitur eum mouit ad hanc iracundiam? Primò, naturalis, imò carnalis affectus erga ſuam gentem, quam nolebat perire, imò maluiſſet Niniuitas nõ pœnituiſſe, quàm vt Iudæorum hinc incredulitas damnabilior appareret. Secundò, mouit eum vanagloria, timebat enim, ne in poſterum pro falſò Propheta haberetur, vt qui tã certo ſubuerſionẽ Niniue ꝑdixerat. quæ tamen facta non fuit, maximè tũc. Tertiò, mouit eum etiã timor humanus, quia enim Niniuen ciuitatẽ Dei nominauerat, & ei gratiã Dei citra reſpectũ legis Moſaicæ prædicauerat: timere habuit, ne cùm in terrã ſuã rediiſſet: Iudęi eum occiderent, vt contẽptorẽ legis Moyſi & populi Dei, ſicut fecerunt Stephano & aliis. Hęc, inquã, corã mundo nõnihil excuſare poſſent Ionã, ſed non corã Deo. Nã primò non debebat propter carnalem affectum, in ſuos tã proteruè contra Deum loqui, ſed cogitare ſecũ debuerat: Si Deus populũ meũ punire vult, nõ faciet eis iniuriã: quòd ſi econtrà gentibus miſereri vult, poteſt & hoc facere: ſunt enim & illi

1. Tim. 3

Act. 17.

creaturæ

creaturæ eius,nõ minus quàm Iudæi, fiat ergo voluntas eius. Deinde plus debebat quærere gloriam Dei, q̃ ſuam,& ſecũ dicere: Benedictus Deus qui miſericordiã pſtitit tot hominibus,libẽter volo haberi ꝓ falſo Propheta,tantùm vt gloria bonitatis Dei vbiq; in gẽtibus cognoſcatur. Præterea Deũ magis timere debuit, q̃ homines: cùm autẽ ipſe nihil horum fecerit certè excuſari non poteſt,nec debet. Nemo tamen ex hac eius imperfectione ſcãdalizetur, aut patrociniũ propriæ iracundiæ & impatientiæ ſumat. Nã, vt vides, Ionas hîc peccatum ſuũ publicè coram toto mundo confitetur: nec dubium eſt,quin poſteà etiam pœnitentiam ſuper hoc egerit, quod vel inde colligi põt, ꝙ tam multis & electis verbis Dei miſericordiã prædicat. Sciebam,inquit, quia tu Domine miſericors & clemens es, &c. Hoc igitur in Iona imitare, nempe, vt imperfectionẽ tuam non excuſes, ſed confitearis, arguas, damnes; & pœnitentiam agas, &c. Sed audi quid Deus Ionæ reſpondeat. *Putáſne bene iraſceris tu?* Obſerua hîc ineffabilem Dei bonitatem, in Propheta nimium aber-
Rom. 12 rante & contra fas irato. Contradixit ille factori ſuo, voluitq; plus ſapere q̃ oportuit ſapere, nec ſapuit ad ſobrietatem. Non ſatis dilexit proximos, & minus ſentit de Deo, q̃ debuit. Deniq; etiã effrenata ira ſic excandunt,vt odiret vitam ſuã,ac mori cuperet, ꝓpterea ꝙ non factum fuerat quod volebat: Et tamen Deus nõ iraſcitur ei, nec mori ipſum ſinit vt perierat,tũc enim malè mortuus fuiſſet, ſed benignè ipſum alloquitur, vt amicum: imò quaſi ludit cum ipſo,vt cum filiò. Putáſne,inquit, bene iraſceris tu? quaſi diceret: Cogita tecum Iona, num cauſam habeas iuſtè iraſcendi: Vis tu iraſci,cũ homines pœnitent? túne æmularis, ſi ego
Pſal. 4. miſericordiã præſto? Nõ eſt hæc bona ira. Iraſcimini (ait Dauid) & nolite peccare. Iraſcebatur & Moyſes, ſed bene,nimirum ob peccatum populi: At tu nullam habes cauſam iraſcendi, ſed gaudendi & gratias agẽdi. Quòd ſi pergis iraſci, certò peccabis. Vide q̃ benignè

Deus

Deus peccantem corripiat, cùm potuiſſet ſeueris verbis os impudens & blaſphemum cõpeſcere. Hic igitur primò videmus, ꝙ mirabilis ſit Deus in ſanctis ſuis, ꝙ benignè ferat etiam ipſorum errata, dũmodo fide vera ipſi inhæreant. Nemo igitur deſperet, ſi aliquando cadat, nec quẽquam alium cadentem ſtatim damnet: Nã ſi Ionam hic intueamur, cõperimus reuera opus ipſius malum eſſe, nihilominus tamen dilectus filius Dei eſt, cum quo Deus familiariſſimè loquitur. Deinde videmus hic, ꝙ paternè, quamq; amanter Deus cum iis, qui in eum rebus dubiis ingruentibus, certa fiducia omnẽ ſpem coniecerunt, agat, & ꝙ nobis animi paterni affectus poſt flagella dulceſcere incipiat. Nam Ionam, quẽ priùs ſupra modũ afflixerat, nunc poſt flagella tã amanter tractat, vt etiã errata eius diſſimulet. Atq; hoc eſt, quod Paulus multis verbis ad Hebr. docet: Nimirum, ꝙ non ſit abiicienda diſciplina Dominì, & quantus fructus inde ſequatur. Cæterùm, cum impiis ad eum modum nõ agit Deus, ſe illis loquitur in furore ſuo, & in ira ſua turbat eos: Nec mirum, nã nec ipſi ſe huic rei accõmodare ſciunt, imò ſubinde ferociores fiunt, quoties ſentiunt Dei clementiam ac fauorem parcentem, quaſi etiam intolerabilis ipſorum impietas, Deo boni conſulenda ſit. Diſcamus igitur, patienter ferre manum Dei, & in aduerſis bene de ipſo ſperare, ſic enim ſuo tempore etiam experiemur eius bonitatem, id quod nedum in Iona, ſed in Chriſto etiam ipſo, vel maximè videmus, quem Deus poſt paſſionem crucis breuem, ſuper omnia exaltauit, &c. Sed ad Ionam reuertamur. Is igitur (vt dixi) humano quodam affectu, imò impia quadam perturbatione indignatus fuit, cùm videret Niniuitis nihil mali contingere, quibus tamen extremam perniciem comminatus fuerat. Pudebat eum, quod falſa prędixiſſe videbatur, pigebat eum, quòd Gentiles citius ad pœnitentiam permoti eſſent, quàm Iudæi. Timebat ex hoc, ne gratia Dei ex toto à Iudæis ad gẽtes tranſiret. Fortè etiam indignum iudicabat,

Pſal. 67.
Heb. 12.
Pſal. 2.

dicabat, quòd Gentibus tam facilè gratia contigiſſet, & quodámodo Iudæis adæquati fuiſſent, cùm Iudæi tota vita ſua ſub lege laborare cogerentur. Hic enim affectus profundè animis Iudęorum infixus erat, putabant ſe ſolos populum Dei eſſe propter acceptã legẽ, & indignũ ipſis videbatur, ſi legem non habentes, gra-
Mat. 20. tiam adipiſcerentur. Hinc & Agricolæ murmurabant contra Patrem familiás, quòd eos, qui nouiſſima hora
Luc. 15. venerant, ipſis in mercede æquaret. Hinc & ſenior frater contra filium prodigum murmurat quòd tam faci-
Act. 11. lè ad gratiam receptus eſſet. Sic & diſcipuli cum Petro expoſtulaſſe leguntur, quòd gentibus Euangeliũ prædicaſſet. In eum igitur modum & Ionas pro more Iudæorum murmurauit, quòd Niniuitæ tam facilè gratiam adepti fuerant, citra legem Moyſi. Quid autem
Mat. 20. dicit Deus? Amice, non facio tibi iniuriam, volo huic nouiſſimo dare ſicut & tibi: An non licet mihi facere quod volo? &c. Item, Fili, tu ſemper mecum es, &c.
Act. 11. Oportet autem te gaudere, &c. Sic & Petrus ſe excuſabat: Quis ego ſum, qui poſſem prohibere ſpiritum Domini? Sic & Ionæ hîc dictum fuit. Putas bene iraſceris tu? &c. Sequitur igitur in textu:

Et præparauit Dominus Deus hederam, & aſcendit ſuper caput Ionæ, &c.

Hîc iam Deus murmurationi Ionæ reſpondet ſuumq́; proprium opus defendit, nedum contra Ionam & Iudæos, qui indignum putabant, quòd Gentes citra legem conſequerentur gratiam, ſed etiam contra omnes qui iudiciis Dei obmurmurant, palamque pronũtiat, ſibi licere, quòd vult facere, imò ſe gentibus & peccatoribus (dummodo credant & pœnitentiam agant) nõ minus miſericordiam præſtaturũ, quàm Iudęis & Sanctulis illis, qui ſe ſolos putant gratia dignos. Ac ob hãc cauſam textus hîc ſummè nobis conſolatorius eſt, nec potuiſſet Ionas (quantum ad nos attinet) librum ſuũ lætius concludere. Diligenter igitur hunc textum obſeruemus. Dupliciter autem Deus Ionæ reſpondet.

Primò,

Primò factis & reipſa: Secundò verbis. Scimus ex ſcri
ptura, quòd Deus voluntatem ſuam nedum verbis, ſed
etiam ſignis externis ſolet oſtendere. Sic Abrahæ in Gen. 15.
ſigno ardentis & fumantis camini, oſtendit futuram
ſeminis ſui tribulationem. Moyſi autem in rubo arden Exo. 3.
te, ſed non comburente, eiuſdem populi liberationē.
Sic Petro per linteum illud è cælo deſcendens, anima- Act. 10.
libus plenum, oſtendit voluntatis ſuæ eſſe, vt genti-
bus gratia Euangelii non negaretur. Sic Chriſtus in Ioā. 13.
eo quòd pedes diſcipulorum abluebat, ceu certo ſigno
oſtendere volebat, quid ab ipſis fieri vellet. Sic & Io-
næ hîc voluntatem ſuam per ſignum externum oſten-
dit. nempe, hederam, vel, vt alii volunt, cucurbitam
(quanquam reuera, nec hedera nec cucurbita ſit, ſed
genus herbæ vel germinis nobis incognitum, quod He
bræi Κικαιον dicunt, quod Hieronymus dicit lata ha-
bere folia & citò excreſcere in altum, citò etiam iterū
deficere) Huiuſmodi igitur germen Deus etiam hîc
excreſcere fecit in tantam altitudinem, vt Ionas etiam
inde vmbram haberet, ſed paulò pòſt fecit vt iterum
exareſceret. Et quidem videre cuipiam poſſet hoc ca-
ſu contigiſſe, quemadmodum & quotidie videmus,
germina terrę nunc quidem excreſcere, nunc autem e-
xareſcere: Nec Ionas vel tantillū ſuſpicabatur, ꝙ ger-
mē hoc ſpeciale quid præſignaret, ſed nec de Deo quic
quam cogitabat, quin potius tantùm recreationem ſui
in hoc germine quærebat. Reuera tamē, Deus hîc ſpe
cialiter operatur, & germē hoc ſignum erat diuinæ vo
luntatis, ideò expreſsè dicitur, Dominus præparauit he
derā, &c. Item, Dominus ſuſcitauit vermē. Item, Do
minus miſit ventū vrentē, &c. vt ſciamus hæc Dei o-
pera fuiſſe. videamus igitur, quomodo Ionas hoc ſigno
vſus ſit, & quid Deus hoc eodem ſignificare voluerit.
Et lætatus eſt Ionas ſuper hedera, lætitia magna. Multiplici-
ter hic ſe prodit malitia & peruerſitas humani cordis.
Primò enim nō aliter & nos vtimur creaturis, q̄ Ionas
vmbra huius hederę vſus eſt. Quandiu enim proſperè
nobis

nobis arridēt creaturæ, gaudemus, tripudiamus, voluptuamur, interim nihil de Deo curātes, nō cogitamus vnde ſint, à quo & ad q̧d datę, imò p̄ſentibus & arridētibus creaturis, putamus nobis oīa ſalua eſſe, nec Deo nō opus habere: Econtrà autē, creaturis amiſſis, iraſcimur, murmuramus, deſperamus, optamus nobis mortē, quaſi etiā Deū ipſum amiſerimus, quemadmodū Ionas hic facit. Diſcamus igitur non in creaturis, ſed in Deo ipſo fidere. Pulchrè enim hoc germine vanitas & incōſtantia creaturarū expreſſa eſt, quæ ad tempus quidē lætificant & certā requiē promittūt, ſed modico verme arroſę pereūt: Vanū enim & inſtabile eſt, quicquid ſub Sole videtur. Qui igitur in rebus viſibilibus confidit, in arenā ædificat, imò ideo Deus ſæpe creaturas nobis eripit, vt diſcamus in ipſo ſolo fidere. Deinde, ſicut Ionas hic ad leuem & paruam occaſionē, & nimio gaudio & nimia triſtitia afficitur. Nemo enim credidiſſet tantū affectuū carnaliū, in ipſo fuiſſe, niſi occaſione data, ſeipſam prodidiſſet natura. Si quātūuis nobis videamur iuſti & ſancti, verè tamen prauum eſt cor hominis & inſcrutabilis malitia eius, quæ & occaſione data, ſtatim erumpit, vt videmus. Quid igitur de nobiſipſis præſumere poſſumus? Præterea etiam in hoc ſe prodit malitia naturæ in Iona, quòd plus ſuum ſolatium ſub vmbra q̃ Niniuitarū ſalutem quærit, contentus ipſe ſolatio vmbræ, quicquid de ciuitate & tot hominibus fieret, imò ſi ciuitas ſubuerſa fuiſſet, iudicium Dei & iuſtitiā commendaſſet: Nunc autem quia paruo ſolatio priuatur, iraſcitur & murmurat, &c. Hæc eſt malitia cordis humani ꝙ tātùm ſe quærit, de aliis nihil curat, imò potius ſineret & optaret totum mundum perire, quàm ſe vel modico commodo priuari. Exempla vbiq; patent. An non autem peſſima hæc natura eſt? Poſtremò ſicut Ionas cū argueretur etiā ſe excuſare voluit: Bene, inquit, iraſcor vſq; ad mortē. Sic & nos facimus. Et hoc quidem omnium peſſimū eſt, nō agnoſcere ꝓpriā malitiam, imò eam etiam excuſare velle. Sic igitur in

Eccl. 1. *Hier. 17*

tur in Iona omnibus modis oſtenſum eſt,ingeniũ carnalis hominis,vt ſcilicet noſipſos agnoſcamus ac planè confiteamur, nihil boni in nobis eſſe. Nã ꝙ Ionas hic fuit,hoc omnes ſumus,imò etiamſi ſanctiſſimi ſumus, nondum tamen ex toto mortificata eſt malitia illa naturæ,quin ſubinde ſe prodat. Hæc tamẽ differentia eſt inter pios & impios,quã piis non imputatur ad damnationem,propterea,quòd eam agnoſcunt & cõfitentur: Impiis autem omnia damnabilia ſunt, quia nunquam malitiam ſuam confitentur. Ionas autem de numero electorũ fuit, ideo hæc eius imperfectio illi ad damnationem imputata non fuit. Non dubiũ enim,quin pòſt de ipſa ſua indiſpoſitione pœnituerit. Certè ingenuè imperfectionẽ ſuã vel coram toto mũdo confeſſus fuit. Nemo igitur ex ipſius facto excuſationem propriæ malitiæ quærat, &c. Sed audiamus etiam quid Deus illo ſigno hederæ præmonſtrare voluerit.

Tu doles ſuper hedera, in qua non laboraſti.

Hoc verbo Deus primò Ionam ad ſui ipſius cognitionem excitare voluit, quòd tam temerè contra Deũ locutus fuiſſet. Deinde voluit eidem oſtendere æquitatẽ iudiciorum ſuorum. Si enim homo cupit, vt quæ vult fiant, cur non Deus etiam faceret,quòd rectiſſima eius voluntas decernit? O homo tu quis es,qui reſpondeas **Rom. 9.**
Deo? Tertiò, etiam his verbis Ionæ oſtẽdere voluit, iamdudum decretum eſſe, vt Iudæi propter ſuam incredulitatem abiicerentur,id quod iã factum videmus. Ipſi, inquam, ſignificati fuerunt per hederam illam: Habebant lata folia, externam ſpeciem legis & cultus diuini, ſub vmbra ipſorum ſedebant Prophetæ: At Chriſto prędicante, qui ſe vermen nominat, exaruerunt. Hinc ſecutum eſt, ꝙ & ventus & Sol eos exuſſerit, hoc eſt, iudicium Domini per Romanos. Hęc **Pſal. 21.**
omnia Deus Ionę per hoc ſignum oſtendere voluit, vt minus indignaretur Niniuitis gratiam contigiſſe. Omnium maximè autem Deus hoc verbo oſtendit, ſe omnium hominum curam agere, omneſque homines

pro ſuis creaturis agnoſcere, atque adeò, quantum in ſe eſt, omnibus miſereri velle. Huc pertinet, quod tam emphaticè dicit: Ego non parcam? Quaſi diceret: Nónne hoc mihi proprium eſt, parcere ſcilicet & miſereri? Item, quòd etiam Niniuitas quodammodo excuſat: Neſciunt, inquit, quid ſit inter ſiniſtram & dexteram, hoc eſt, peccauerunt ex ignorantia, neſcierunt Deum, non habuerunt legem & Prophetas, &c. Cur igitur non parcerem eis? Sic &

Luc. 23. Chriſtus in cruce dixit: Neſciunt quid faciunt. Hoc

Eze. 18 itaque verbo Deus palàm oſtendit, voluntatis ſuæ eſſe, non vt pereat impius, ſed vt conuertatur & viuat, quo quid magis conſolatorium optare poſſemus? Hac igitur dulciſſima ſententia, Ionas librum ſuum concludit, quæ vtinam omnium hominum cordibus inſcripta eſſet. Itaque Ionas non tantùm pœnitentiam prædicat, ſed certò etiam pœnitentibus gratiam Dei pollicetur & annunciat. Atque hæc eſt ſumma totius libri. Faxit Deus opt. max. vt omnia hæc non ſine fructu audierimus, &c.

Finis Quadrageſimalis in Ionam Prophetam.

DE FILIO PRODIGO

PRAEFATIO,

Et prima concio, in die Cinerum habita, Anno M C XLVII.

QVOD HOC tempore, à die
Cinerum ad feſtum Paſchatis
vſque, in ſancta Chriſtiana Ec
cleſia, plus operæ & diligen Eſa. 66.
tiæ adhibeatur in prædicando
& exhortando: quàm reliquis
anni temporibus, non propter Eſa. 51.
eà fieri quis exiſtimet, nec ita
à nobis Chriſtianis accipi de-
bet, quaſi tempus iſtud præſtet & ſanctius per ſe ſit aliis temporibus. Nequaquam. Nobis enim Chriſtianis omnia tempora, omnes dies phani eſſe debent: omnes dies perindè nobis valere debent, ac dies Ieiunii, Paraſceues, & Paſchatis. Quemadmodum luculenter ſatis Eſaias prædixit futurum in Nouo Teſtamento: Et erit, inquit, menſis ex menſe, & ſabbatum

ex ſabbato. Quod alibi quoq; innuit, vbi ait: Et venient redempti à Domino, conuertentur, & venient in Sion, hoc eſt, in Chriſtianam Eccleſiam cum laude, & lætitia ſempiterna ſuper caput eorum: gaudium & lætitiam obtinebunt.

Frequentiores idcircò ac ſeueriores nunc fiunt exhortationes, quòd Chriſtianam doctrinam docendo, ad eam deniq; partem deuentum ſit, quæ homini carnalia amanti, veteri Adamo, corruptæ ac peruerſæ noſtræ naturæ omnium difficillimè perſuaderi poteſt. Quænam illa eſt? Pœnitentia eſt, præter quam quicquid per totũ annum prædicatur, id omne mollius auribus ſonat. Nulla herba eſt tam amara, cuius amaritudinem non ſuperet pœnitentia, cuius ſaporem Adami pallatum horret, fugitque quàm longiſſimè, & quàm
Gen. 3. diu liceat. In Paradiſo incœpit, quòd nec dum ceſſat facere, idque in nobis ipſius natis apparet, quanta cum difficultate ad pœnitentiam adducamur, etiam in extremo mortis articulo periclitantes, nulla ſpe vitæ relicta, & vt vulgò dici ſolet, alterum pedem in ſcapha Charontis habentes, & iam propemodum ad iudicium Dei comparituri. Sed fortè ſcire cupis, cur vſque adeò nobis odioſa ſit pœnitentia? Ideò haud dubiè, quia timemus, ne prohibeamur ab iis, quibus irritare Deum hactenus nobis voluptati fuit. Quapropter certum eſt, & luce clarius, Ducem belli, longè citius poſſe cogere iuſtum exercitum, & militem innumerum ad pugnam committendam aut expugnandam vrbem (quod tamen fit non ſine ingenti vitæ diſcrimine) quàm verbi diuini præconem, vel decem ſolum homines ad pœnitentiæ prædicationem poſſet adducere, vbi non ſolum periculi nihil eſt, ſed ſumma quoque inde ſperanda vtilitas & ſalus.

Nihil non excogitamus omneſq; elabẽdi vias quærimus, vt ſaltem pœnitentiæ effugiamus neceſſitatem. Alius ſola fide nititur, alius ex ſententia aliqua ſacræ ſcripturæ defenſionem ſibi parat, quam tamen

 ſini-

ſiniſtræ intelligit. Sed friuola illa eſt & inanis tergiuerſandi ratio.

Fides noſtra habet, quòd in Chriſtiana Eccleſia remiſſio ſit peccatorum, quam & duraturam credimus, donec mundi machina ſubſtiterit. Quæ res ſola nobis ſolatio eſt maximo. Niſi enim tanta Eccleſiæ eſſet autoritas, vt peccata condonare poſſet, quis non deſperaret omni auxilio deſtitutus; quandoquidem nemo noſtrum eſt, qui poſt baptiſmum, non iterum nocentem ſe faciat? Peccatores nos negare non poſſumus, aut (vt Ioannes inquit) ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt. *1. Ioã. 1*

Verùm nemini remiſſio peccatorum contingere poteſt, niſi præmiſſa pœnitentia. Quoniam ſic ſcriptum eſt (inquit Chriſtus) & ſic oportebat Chriſtum pati, & reſurgere à mortuis tertia die, & prædicare in nomine eius pœnitẽtiam & remiſſionem peccatorum in omnes gentes. Similiter Petrus: Pœnitentiam, inquit, agite, & baptizetur vnuſquiſque veſtrum in nomine Ieſu Chriſti in remiſſionem peccatorum veſtrorum, & accipietis donum Spiritus ſancti. Huic aſtipulatur quoque Ioannes: Si confiteamur peccata noſtra: fidelis eſt, & iuſtus, vt remittat nobis peccata noſtra. Quoniam verò pœnitentia vna pars ſit ex iis, quæ ad doctrinam Chriſtianam pertinent, & quæ in Eccleſia Chriſtiana prædicari debẽt, iuxta verba Chriſti: imò quoniam ipſemet pœnitentiam prædicarit, & prædicationem ſuam à pœnitentia ſit exorſus, nec peccatorum remiſſionem conſequendi alia ſit ratio, quàm per pœnitentiam: neceſſum eſt omninò, eam certum & præſcriptum habere tempus, quo & tractari & exerceri poſſit, non minus, quàm aliæ Chriſtianæ doctrinæ partes: nec ibi Dei aut Chriſti Eccleſiam eſſe, vbi de pœnitentia prædicatio non habeat locum. *Luc. 24.* *Act. 2.* *1. Ioã. 1.* *Matt. 4.*

Quis autem locus, quódue tempus de pœnitentia prædicationi aptius eſſe poteſt, quàm id quòd eſt an-

te paſſionem & reſurrectionem Chriſti? Nam omnis noſtra pœnitentia in Chriſti paſſionem veluti ſcopum dirigenda eſt: ex qua etiam vim ſuam accipit. Præterea nihil animos noſtros, dum pœnitentiam agimus confirmare magis poteſt, quàm quòd cum Chriſto per pœnitentiam peccatorum morientibus, læta promiſſa ſit reſurrectio.

Hac nempe de cauſa, in Chriſtiana Eccleſia iſtud ipſum tempus ante paſſionem & Paſcha ad prædicandam pœnitentia viſum eſt aptiſſimum.

Porrò, quòd non vnum aut alterum tãtum, nec tres aut plures dies, ſed ſex integras ſeptimanas & ad pœnitentiæ prædicationem vſurpemus, ideò fit, quòd hæc cæteris Chriſtianæ doctrinæ partibus, difficilius percipiatur, vt ſuprà admonui, atq; eam ob cauſam accidit, cur hæc de pœnitentia pars tanto ſtudio vrgeatur, non verbis ſolum, verùm externis etiam quibuſdam ſignis & cæremoniis. Quæ tamen omnia (proh dolor) parũ proficiunt apud huius ætatis homines: vnde colligere facilè licet, quid tum futurum eſſet, ſi nunquam pœnitentiæ fieret mentio. Atq; quidem modeſtia, pietas & ſanctimonia, vel potius leuitas, impietas & peruerſitas vitæ noſtræ, quam nunc ducimus, ſatis loquitur, qui fructus proueniant, ſi gratiam ſemper, nunquàm verò pœnitentiam in ore habeamus. O infelices illos, quicunque plauſibili ſua prædicatione occaſionem & anſam dedêre, quòd genus humanum ad tantam leuitatem impietatemque declinarit. Sapientius profectò maiores noſtri rem conſiderarunt, qui gratiam quidem annuntiandam putauerunt, ſed ita, ne pœnitentiæ obliuiſcerentur, & ſuum cuique tempus attribuerent.

Hoc illud tempus eſt, quod pœnitentiæ ſtudiò trãſigebant, & veſtigia, quæ adhuc extant, oſtendunt nobis, quàm non ſolum ſeuera, ſed Chriſtiana quoque illorum de pœnitentia fuerit doctrina, quam primò aggrediebantur cum ſumma humilitate, capita ſua ci-

nere

nere conſpergentes. Deinde cum modeſta peccatorum confeſſione: Peccauimus cũ patribus noſtris, &c. Tertiò intima oratione: Exaudi nos Domine (cum Dauide inquientes) quoniam benigna eſt miſericordia tua, &c. Quartò hæc omnia faciebant vera fide & conſtanti fiducia erga miſericordiam Dei, Domine (dicebant) miſereris omnium, & nihil odiſti eorum, quæ feciſti, &c. Poſtremò piam concipiebant mentẽ, ad emendationem in melius mutuò ſeſe cohortatus. *Pſal. 68* *Sap. 11.*

En ad hunc modum pœnitentiæ prædicationem in Eccleſia incipi moris erat, dato per hoc omnibus concionatoribus exẽplo, vt hunc morem continuent, & ſimili ſeueritate pœnitentiæ prædicationem ad vmbilicum vſque (vt dici ſolet) perducant.

Quod exemplum & ego propoſui imitari, & per totam Quadrageſimam, vt hactenus conſueui, omnẽ meam prædicationem ita inſtituere, vt vel ſemel pœnitentiam rectè aggrediamur, poſtquàm in dies magis ac magis experimur, Deum peccatis noſtris offenſum eſſe grauiſſimè, nec nobis præter certam perniciem tam temporalem, quàm ſpiritualem & æternam expectandam, niſi per pœnitentiam nobis adhuc ſpirantibus, Dei mitigetur ira & indignatio. Nam hoc ſibi vult id, quod Chriſtus dixit: Niſi pœnitentiam habueritis, omnes ſimiliter peribitis. Vt autem occaſionem eò maiorem habeam, & fundamentum ſolidius dicendi de pœnitentia, referam ſermonem meum ad parabolam illam ſeu ſimilitudinem, quam Chriſtus recenſuit de Filio prodigo, arbitratus, ſolam illam ſimilitudinem poſſe indicare, quid pœnitentia ſit. Siquidem luculenter nobis in ea parabola demonſtratũ eſt, qualis peccatoris ſit conditio, quamdiu in peccatorum ſentina iacet immerſus, quæ ſit peccati & lapſus origo, quod ſit ad reſipiſcendum initium, vnde petendum auxilium, quibus modis gratia impetranda, quæ fiducia in Deum habenda, & quid tandem emolumenti inde percipiatur. *Luc. 13.*

Quæ omnia, inquam, clariſſimè conſpiciuntur in hac parabola. Præterea non tantùm nobis ad pœnitentiam conducet, verùm etiam ad Communionem, aut Euchariſtiæ ſuſceptionem, necnon ad Paſſionem & feſtum Paſchatis. Vtinam Filium prodigum profundè ſatis mentibus noſtris infigeremus, miſeriam noſtram, vt ipſe expenderemus, factis ipſum exprimeremus, & tali fide, humilitate ac pœnitentia ad Deum nos conuerteremus, quali ipſe fecit haud dubiè non minori gratia dignaturus eſſet nos Deus, quàm illum. Eundem namque cum ipſo patrem habemus, perditæ ouis, vt ipſe fuit, nos quoque ſumus, quas ærumnas ipſe in corpore expertus eſt, eas nos ſpiritualiter patimur. Hoc vno differimus, quòd calamitatem noſtram non perindè ſentimus, ac ipſe ſenſit. Quapropter etiam atque etiam rogandum nobis eſt lumen gratiæ, vt nos in filio prodigo ceu ſpeculo diſcamus ipſos cognoſcere, quinimò vt nos filium prodigum ipſi iudicemus, ex vera humilitate, & ex fide non ſimulata Deum pro vero ac benigniſſimo parente noſtro habeamus: Quod iudicium ex hac parabola qui conſequi poteſt, ſua ſponte faciet, quod Filium prodigum facere non piguit. Quocircà nunc parabolam audiamus. Chriſtus ſic fari incipit:

Luc. 15. *Homo quidam habuit duos filios: & dixit adoleſcentior ex illis patri: Pater, da mihi portionem ſubſtantiæ, quæ me contingit. Et diuiſit illis ſubſtantiam. Et non poſt multos dies congregatis omnibus, adoleſcentior filius peregrè profectus eſt in regionem longinquam, & ibi diſſipauit ſubſtantiam ſuam viuendo luxurioſè. Et poſtquàm omnia conſummaſſet, facta eſt fames valida in regione illa, & ipſe cœpit egere. Et abiit, & adhæſit uni ciuium regionis illius. Et miſit illum in uillam ſuam, ut paſceret porcos. Et cupiebat implere uentrem ſuum de ſiliquis, quas porci manducabant, & nemo illi dabat. In ſe autem reuerſus dixit: Quanti mercenarij in domo patris mei abundant panibus,*

ego

ego autem hic fame pereo! Surgam, & ibo ad patrem meum, & dicam ei: Pater, peccaui in cœlum, & coram te: iam non ſum dignus uocari filius tuus, fac me ſicut unum de mercenarijs tuis. Et ſurgens uenit ad patrem ſuum. Cùm autem adhuc longè eſſet, uidit illum pater ipſius, & miſericordia motus eſt, & accurrens cecidit ſuper collum eius, & oſculatus eſt eum. Dixitq; ei filius: Pater, peccaui in cœlum & coram te, iam non ſum dignus uocari filius tuus. Dixit autem pater ad ſeruos ſuos: Cito proferte ſtolam primam, & induite illum, & date annulum in manum eius, & calceamentum in pedes eius, & adducite uitulum ſaginatum, & occidite, & manducemus, & epulemur, quia hic filius meus mortuus erat, & reuixit: perierat, & inuentus eſt. Et cœperunt epulari.

Hucuſque parabolæ enarratio. Vbi primò animaduertere debemus, quorſum Chriſtus hanc parabolam dilexerit, ne à recta via aberrare videamur, nec ſecus eam interpretemur, quàm Chriſtus intelligi voluit. Quod optimè ex iis cognoſcemus quæ vel præcedunt, vel ſequuntur.

Cæterum Lucas caput decimumquintum ita exorſus eſt: Erant autem appropinquantes ei publicani & peccatores vt audirent illum. Et murmurabant Phariſæi & Scribæ dicentes: Quia hic peccatores recipit, & manducat cum illis. Ad quæ verba triplicem Chriſtus adducit parabolam, quarum prima de oue, quæ perierat, agit. Secunda de drachma perdita. Tertia de Filio prodigo.

Facilè itaque ex huius Capituli procemio vnicuiq; innoteſcere poteſt, quid Chriſtus per tres illas parabolas ſignificare voluerit. Mens & volũtas ipſius erat, omnibus mortalibus declarare non ſolum Deum, ſed vniuerſum Angelorum chorum & Electos omnes mirificè delectari reſipiſcentia peccatoris, nec Deum re aliqua magis placari, quàm ſi peccator ſibi diſpliceat & ad cor redeat, quæ res plus loci apud illum habet, quàm frigida ac ſuperciliosa oratio & ieiunium Phariſæorum

ſcorum & hypocritarum, qui ſuam ipſi probitatem iactabant. Deindè quoque nulli gratiam Dei & pœnitentiam renuendam eſſe, quod qui faciunt, Dei voluntatem non aſſequuntur. Atque hæc quidem ſimilitudinis huius eſt ſententia, quæ tantum nos conſolari poteſt, vt nulla res alia, qua qui non moueretur, & ad pœnitentiam allicitur, nihil eſt, quo moueri poſſit.

Præter quam ſententiam vnaquæque ex tribus his parabolis, proprii quiddam ac ſingulare habet, vtpote per iſtam parabolam de filio prodigo docemur: quo pacto alienos à Deo ſe homines faciant, quæ ſit ad ipſum redeundi via, quanta in recipiētis peccatoribus patris clementia. Docemur item in hac parabola miſerrimam eſſe ſeruitutem, ſeruire cupiditatibus mundanis, contrà verò maximam felicitatem, ab erratis immunem eſſe, ex quibus tamen eximi, priſtinæ reſtitui libertati quàm ſit facilè, parabola iſta nobis oſtendet, cuius principium ſic habet:

Homo quidam habuit duos filios, &c.

Superuacaneū omnino eſt multis interrogare, quis ille homo ſit: Eſt etenim aut Deus pater, aut Chriſtus. Quod ſi de Chriſto accipimus, nulla opus eſt explanatione, cum nemo ambigat ipſum eſſe Deum ſimul ac hominem. Si verò de Deo patre intelligere animus eſt, nihil rurſus noui nobis videri debet ſi homini aſſimuletur, cuius rei exempla tam ex veteri quàm nouo teſtamento proferri poſſunt, quemadmodum copioſè poſſem demonſtrare, niſi temporis anguſtia breuitatem ſuaderet.

Præterea non ignoramus, Deum non ſolum patrē, ſed patrem quoq; familiâs appellari, cuius domus aut totus orbis terræ ac cœli, aut certè Eccleſia & fidelium congregatio. Qui verò filii illi duo ſint, non eadem omnium eſt opinio. Quòd ſi ad allegoriam referre lubet, Iudæos & Gentiles non abſurdè dixerimus.

Maior

Maior natu Iudæorum, minor Gentilium perſonam gerit, qua de re ſub finem parabolæ nonnihil dicetur. Sunt etiam, quibus per duos iſtos filios, Angelos homines intelligere placet. Nam poſtquàm aliqui ex Angelis de ſua dignitate decidiſſent, hominem Deus condidit, qui vicem illorum ſupplere debebat. Atque hic filius natu minor eſt, quem propria animi inſolentia ac libido ſeduxit, cùm è diuerſo maior natu, hoc eſt, ſancti Angeli obedientiam præſtarent, & voluntatem Dei exequerentur. Ad poſtremum ſine omni dubitatione, per iſtos duos filios, duo hominum genera inter populum Dei nobis proponuntur, malum & bonum, firmum & infirmum, inter quæ nunquàm non vſu venit id, quod parabola demonſtrat. Infirmi facilè in quæuis prolabuntur vitia, ſuapte cupiditate, & laſciuia ſeducti. Primi autem, tametſi conſtanter ſe gerunt, nec facilè cupiditatibus fœtidis indulgent, eò tamen nonnunquam deueniunt, vt ſibiipſis benè placeant, ita vt nullo miſericordiæ affectu erga peccatorem miſerũ tangantur, iniquum exiſtimantes, ſi Deus clementer eos in gratiam recipiat, &c.

Inter iſtos duos filios, inter iſta duo hominum genera, Deus iudex conſtitutus eſt, erga quos ambos quomodo affectus ſit, & qualiter ſe habeat, nunc audietis. Erga alterum benignus eſt & clemens, ne deſperans pereat: alterum monet, ne ob probitatem ſuã ſeſe efferat, & fratri ob Dei gratiam ac miſericordiam inuideat, quos tamen pro filiis habet, & fratris nomine compellat, ſicuti reuera ſunt, nempè filii Dei, non ſolùm creationis, ſed & regenerationis: ergo fratres ſunt, non modò naturæ, verumetiam fidei iure. Hoc tantum differunt, quòd alter altero fortitudine ſuperior eſt & firmior. Qui itaque viribus præcellit, tãto maiori animo ex tribulationum pelago emergere põt. Qui verò inferior eſt, hoc plus periculi eſt, ne ſeducat̃ & ſuccũbat. Quæ omnia in dies nunc vſu venire inter mortales, haud ignotum eſt. Sequitur in parabola.

Et dixit

Et dixit adoleſcentior ex illis patri: Pater, da mihi portionem ſubſtantiæ, quæ me contingit.

Hîc prima fronte eluceſcit, quis autor ſit noſtri peccati, & cui errati ſit aſcribenda cauſa. Scriptura nõ habet, à patre filiũ eſſe actum in exiliũ nec textus dicit à malo genio domo paterna prohibitum fuiſſe. Nequaquàm. Vltrò patrem adiit, peregrè proficiſcendi facultatẽ flagitans. Quod imprimis obſeruatu dignum eſt, alioquin mũdus ſemper ſui erroris culpã aut in ipſum Deum, aut in cacodæmonẽ reiicere ſolet, ꝙ primi noſtri parẽtis facta probè cõprobãt. Eua in ſerpentẽ culpã

Gen. 3. reuomebat. Serpẽs, inquit, decepit me, & comedi. Adã ſi honeſtè potuiſſet, Deũ libẽter feciſſet peccati autorẽ. Mulier, inquit, q̃ dediſti mihi ſociã, dedit mihi de ligno, quaſi dicat, te impulſore peccatũ eſt: Niſi enim mulierem mihi iunxiſſes, nũquam eò dementię veniſſem, vt auſus fuiſſem admittere in præceptũ tuũ. Neuter itaque agnoſcere volebat, ex propria libidine venire, quicquid malè factum erat. Cacodæmon tentare quidem eos, & inſidias illis ſtruere, ſed cogere minimè poterat, nec propterea Deus Adamo dederat coniugem, vt illius iuſſui obtemperaret, ſed vt ipſe imperio ſuo in officio eam contineret.

Vnuſquiſque veram peccati cauſam in ſeipſo deprehendit, quarum tres præcipuæ in prima vocula ſubindicantur.

Adoleſcentior filius (habet textus) Quæ vox vnã ſtatim cauſam noſtri lapſus repræſentat. Vbi obſeruabis adoleſcentiam non eam intelligi, quam ſolemus metiri ex annis, ſed ex imperitia, & ingenii debilitate. Alioquin enim accidere ſolet plerunque, vt iuuenilis ætas magis, quàm ſenectus ad vitia propenſa ſit: attamen non ſemper. Nam inueniuntur nonnũquàm licet ætate adhuc teneri: qui tamen ingenio & ſapientia maturi ſunt, vt olim Ioſephus, Daniel, & Samuel.

Rurſus

Rurſus ſunt adulti interdũ & canitie imbuti, qui propter imperitiam pueri non immeritò vocari poſſint: quemadmodum Eſaias alicubi de puero centum annorum loquitur. Hoc verò loco de iis loquimur, nõ qui ætate, ſed qui conſilii inopia adoleſcentes dicuntur. *Eſa. 65*

Inſcitia vna ex cauſis eſt noſtri errati. Vbi enim cõſilii nulla copia eſt, facilè in errorem abducitur homo. Propterea (dicit Eſaias) captiuus ductus eſt populus meus, quia non habuit ſcientiam. Et Dauid, Neſcierunt, neq; intellexèrunt, in tenebris ambulant, mouebuntur fundamenta terræ. Item Paulus, Si enim cognouiſſent, nunquàm dominum gloriæ crucifixiſſent. Quare etiam Chriſtus in cruce hanc vocem promit, Neſciunt quid faciunt. Quare Moyſes quoq; populo ſuo meliorem mentem precatur, inquiens. Vtinam ſaperent, & intelligerent, ac nouiſſima prouiderent. Eundem in modum Chriſtus ad ciuitatem Hieroſolymitanam erumpit. Si cognouiſſes & tu: & ad Samaritanam mulierem: Si ſcires donum Dei, & quis eſt, qui dixit tibi: Da mihi bibere, tu forſitan petiſſes ab eo, & dediſſet tibi aquam viuam. Hęc igitur cauſa eſt, qua motus Paulus paſſim precatur & optat fidelibus: vt cognitione Dei repleantur. Nam inſcitia, vt primò admonui, cauſa eſt & origo noſtri peccati. *Eſa. 5.* *Pſal. 81* *1. Co. 2.* *Luc. 32.* *Deut. 32* *Luc. 19.* *Ioan. 4.*

Atque id ſanè in confeſſo eſt: Etenim nec perſpicimus nec æſtimamus, quibus Deus nos donis ornare poſſit, nec ſcimus aut reputamus, quanto bonorum cumulo ipſi nos priuemus, & qualem in malorum lernam nos præcipites demus, ſi ſeparemus nos à bonitate Dei Quis enim voluptatem aliquam ex peccati turpitudine capiat, qui modò poſſit proſpicere, quæ inde proueniant mala & detrimenta? Quis in peccatis deſideat, quem non fugiat, implacabilem Dei irã & certiſſimam gehennam aut condemnationem, comitem eſſe? Quis igitur temere à Deo recedat, qui ſaltem poſſit ſuſpicari, ſe in Deo opt. max. omnium bonorum veluti cornucopiam habere poſſe?

Verùm hoc nobis deeſt, quòd inſcitia laboremus, quòd mente capti ſimus. Quapropter compellat nos
Pſal. 33. Dauid his verbis: Venite filii, audite me. Et Salo-
Prou. 9. mon, Si quis eſt paruulus, veniat ad me. Eam nimirũ ob cauſam dedit nobis Deus verbum ſuum, vt ſit lu-
Pſ. 118. cerna pedibus noſtris & lumẽ ſemitis noſtris. Eam nimirũ ob cauſam nobis dedit filium ſuũ, vt ſit lux mũdi.
Ioan. 9. Hic eſt filius meus dilectus, inquit, in quo mihi benè
Mat. 17. complacui: ipſum audite. Eam videlicet quoque ob
Iohel 2. cauſam in veteri Teſtamento promiſit, ſe nobis daturum ac miſſurum doctorem iuſtitiæ. Iuxta quam ſen tentiam in perſona Dauidis quoque dicit: Intelle-
Pſal. 31. ctum tibi dabo, & inſtruam te in via hac, qua gradieris. Non eſt igitur mirum ſi Deus deſeratur ab iis, quibus notus non eſt, qui verbum Dei nec habent nec audiunt, qui nihil de Deo ſciunt.

Hæc ergo ſunt, quę nobis in iuniore filio conſiderã da proponuntur. Per ætatem intelligere non poterat, quanta illi omnium rerum abundantia fruendi eſſet facultas in paternis laribus, quod poſtea tandem ſenſit, ſed ſuo malo. Quo vitio quoniam & nos laboramus, nec cognoſcendi operam damus, facilè prolabimur, quocunque noſtrę mentis leuitas, & praua cupido nos ducit. Quid igitur reſtat, niſi vt nos Chriſtiani cum
Pſal. 12 Dauide rogemus, Domine illumina oculos meos, ne
Pſ. 118. vnquàm obdormiam in morte? &c. Et alibi, Da mihi intellectum, & ſcrutabor legem tuam: & cuſtodiam
Pſal. 85 illam in toto corde meo. Item, Deduc me Domine in via tua. Iam vna nobis cauſa monſtrata eſt, vnde accidat, quòd temerè noſmet à paterna domo abdicemus, Deum ipſiusque gratiam nihil pendamus, coniiciamusque nos in varias peccatorum ſordes. Vt autem vel ſemel rectè cauſam illam intelligas, inſcitia eſt & mentis noſtræ caligo.

Secundam deinceps audiemus.

SECVNDVS SERMO *habitus in die Dominica Inuocauit.*

IN proximo ſermone inter reliqua dixi, parabolam de filio prodigo nihil aliud eſſe, quàm ſpeculum quoddam,in quo cernitur ſimul, quanta peccatoris ſit miſeria, & Dei miſericordia, qualis ſit viciſſitudo, hoc eſt, quo quis modo fauorem & gratiam Dei amittens, incidat in extremam calamitatem, cui peccator obnoxius eſſe ſolet,& quomodo viciſſim, ab exitio peccati liberato, ad Dei gratiam pateat acceſſus.

Vtrunque hoc adoleſcens iſte expertus eſt. Fauore & gratia, dignitate ac beneuolentia non parum valebat apud parentem: ſed poſteà ad maximam miſeriã & indignitatem deuenit, ſed rurſus ex contemptiſſima hac conditione, ad priſtinos honores & decus euectus eſt. Quibus duabus mutationibus nihil vnquam viſum eſt magis diſſimile. Altera enim bona eſt, altera mala.

Bona mutatio eſt,quando quis à peccatis ſe conuertit ad Deum: mala autem, quando neglecta Dei gratia, vitia ſectatur. Quæ ambo apud nos Adami ſobolem accidere videmus, niſi quòd facilius ex gratia in peccata labimur, quàm ex peccatis ad gratiam emergimus, & quòd ſemper maior ſit numerus eorum, qui de bono ad malum,quàm de malo ad bonum feruntur.

Sed ſcire fortaſſis expetis, quî fiat, quòd tanta hominum frequentia tam facilè de bono nunquàm perituro ad id, quod caducum eſt & interit, à Deo, ad mundum, ex gratia ad peccatum, poſtremò de vita ad mortem ſe perduci patiatur.

Attende diligenter, quid Chriſtus in principio parabolę huius dicat de duobus filiis,quorum vterque erat in domo parentis ſui, æquali honore & dignitate præditus. Sed alter vt pote iunior & cõſilii inops, aliã fortunã experiri volens,portionem,quæ ex hæreditate ſibi debebatur, poſtulans, ſui dominus eſſe cogitabat, nec diſciplinam patris amplius ferre poterat, tametſi nihil erat, quod potuiſſet deſiderare, aut de iniuria patris conqueri. Adeò cum illo actum erat leniter, vt patrem non appellare non poſſet, etiam nunc diſceſſurus.

Quid igitur obſecro illum mouit? tria, adoleſcens erat, & rerum omnium ignarus: petulans & peruicax, ſuperbus & audaculus. Quæ tria animum adoleſcentis ita huc atq; illuc impellebant, vt inter ipſum & patrem,patriſq; familiam minimè poſſet conuenire.

Primò, adoleſcens erat, nec multa expertus, pulchrior ſibi inter ignotos videbatur, quàm apud notos & domeſticos, nondum intelligere poterat aut animaduertere, quàm omnes ipſius cauſa, pater, mater, ſerui,ancillæ ſolliciti eſſent, nemo autem illius curam eſſet habiturus in foro aut apud alienos. Præterea pomum pluris faciebat, quàm aureum: quocircà etiam, non totius hæreditatis bona, ſed aliquam ſolum partem poſtulabat, non conſiderans, quanto præſtantior ſit aureus (licet non admodum magnus) quàm multa poma magnitudine inſignia. Sed puerile hoc eſt iudicium.

Secundò,procax erat & ſui ingenii,fręni impatiens. Quandiu in patris erat ædibus, non poterat eſſe ſine metu,quapropter iter parat vt ſibi ſuo more viuere liceat, & exercere animi libidinem.

Tertiò, ſuperbus erat & glorioſus, videbatur ſibi ſe iam vitæ ſuæ rationem & modum habere poſſe, nec non ætate & prudentia valere ſe exiſtimabat,&c. Hæ, vt vides, erant cauſæ,ad errorem occaſionẽ præbentes, quibus filii Adami etiãdum in peccatum inducuntur.

Primò,

Primò, nemini obſcurum eſt, quòd homini cuius omnis cum Deo expoſtulandi præcluſa ſit via, ſiue de iniuria, ſiue de duricie ſeu inclementia, quominus in domo ipſius permanere poſſit. Nihil enim Deo amicabilius, nihil illo patre iucundius, Quî enim fieri poteſt, vt durus, vt truculentus, vt ſæuus ſit erga filios ſuos, qui aliis patribus affectuum ſenſum, cor, amorẽ immittit, vt nihil prolibus ſuis denegare poſſint, vel ipſo Chriſto atteſtante, qui ait: Si vos cùm ſitis mali, noſtis bona data dare filiis veſtris: quantò magis Pater veſter cæleſtis de cælo dabit ſpiritum bonum petentibus ſe? Similem in modum loquitur Deus per Eſaiã: Nunquid obliuiſci poteſt mulier infantem ſuum, vt non miſereatur filio vteri ſui? & ſi illa oblita fuerit, ego tamen non obliuiſcar tui. *Luc. 11.* *Eſa. 49.*

Secundò, certum quoque eſt, Deum neminem ex ſuis ædibus excludere, niſi homo ipſe eum auerſetur, & temerè illius conſuetudine ſe indignum faciat. Si quæſieritis eum, inuenietis: ſi autem dereliqueritis eum, derelinquet vos, dicebat olim Propheta ad Regem Aſa. *2. Pa. 15*

Tertiò, palàm omnibus eſt, in domo Dei, hoc eſt, in obſeruantia & religione Dei nihil deſiderari. Nam ſi Deus generationem iuſtorum (vt Pſalmiſtæ verbis vtar) tantis accumulat benedictionibus, vt in domo ſua gloriam & diuitias poſſideat, quid in ſua ipſius domo patietur deſiderari? Eodem quoque ſpectat, quod Dauid cecinit: Iunior fui, etenim ſenui: & non vidi iuſtum derelictum, nec ſemen eius quærens panem. *Pſ. 111.* *Pſal. 36.*

Penuriæ & egeſtatis gratia, non eſt, quòd quiſquã à Deo aut ex ipſius domo recedat: Guſtate, & videte (inquit Pſalm.) quoniam ſuauis eſt Dominus: beatus vir, qui ſperat in eo. Et eodem in loco, Accedite ad eum, & illuminamini: & facies veſtræ non confundentur. Timete Dominum omnes ſancti eius: quoniam non eſt inopia timentibus eum. *Pſal. 33*

Qua igitur, inquis, ratione fit, vt tam multi tam libenter Dei ſugiant conſortium, inuiti in domo patris ſint & maneant, amoremque illius & beneficia in nos collata nihili pendant? Scias eadem illa tria, in cauſa eſſe, quorum paulò ſuperius memini, ignorantiam videlicet, reclamandi, ſtudium, & audaciam. Quod ſi intelligere poſſemus, quas in Deo & ex domo Dei cõmoditates habere queamus, nunquã deſerendi ipſum aut domum ipſius inceſſeret nos cupido, ſed dicturi po
Pſal. 72. tius eſſemus cũ ſancto Dauide, Mihi adhærere Deo, bonum eſt, pónere in Domino Deo ſpem meam. Is ſanè videre ac cognoſcere poterat, quam vtilitatem, quæ commoda ex domo Dei capere poſſet, quod ipſe aliis in Pſalmis pluribus teſtatum reliquit, cuiuſmodi illud eſt: quod ait: vnam petii à domino, hanc requi-
Pſal. 26. ram: vt inhabitem in domo Domini omnibus diebus
Pſal. 72 vitæ meæ, &c. Et rurſus aliud, Quid mihi eſt in cœlo? & à te quid volui ſuper terram?
Pſal. 83. Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum. Item, Quàm dilecta tabernacula tua Domine virtutum: concupiſcit & deficit anima mea in atria Domini. Cor meum & caro mea exultauerunt in Deum
Pſ. 102. viuum. Beati qui habitant in domo tua Domine: in ſecula ſeculorum laudabunt te. Et iterum, Benedic anima mea Domino: & noli obliuiſci omnes retributiones eius. Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis: qui ſanat omnes infirmitates tuas. Qui redimit de interitu vitam tuam: qui coronat te in miſericordia & miſerationibus. Qui replet in bonis deſiderium tuum: renouabitur vt aquilæ iuuentus tua, &c.

Vide quàm exactè ſanctiſſimus Dauid perſpexit, & potuit intelligere, quantam bonorum vim domus Dei ſuppeditare poſſit. Quamobrem quodam in loco ani
Pſal. 79. mo ſecuro ſummaque fiducia dicit: Non diſcedimus à te: viuificabis nos, & nomen tuum inuocabimus. Quod aliis verbis alibi quaſi repetit: Bonum eſt con-
Pſ. 117. fidere in Domino, quàm confidere in homine. Bonũ eſt

eſt ſperare in Domino, quàm ſperare in principibus. Idipſum quoque alii ſanctiſſimi patres tam in veteri, quàm in nouo teſtamento perſpexere, idque verbis magnificis elocuti ſunt, quàm cõmodus & vbiq; præſens ſit ſuis filiis iſte pater, & quanta omnium bonorum vbertas in ipſius domo inueniatur. Sanctiſſimus Ioſue populo ſuo liberum permittebat, vt qualem vellent, ſibi Deum eligerent. Ego autem, inquit, & domus mea ſeruiemus Domino. *Ioſue 24.* Diuus Iob ita ſpem ſuã in Deum fixerat, vt dicere non vereretur: Etiamſi occiderit me, in ipſo ſperabo. *Iob 13.* Sanctus Petrus non niſi obiter ſenſerat dulcedinem, quæ eſt in domo Dei, ſtatim præ gaudii magnitudine erumpit, dicens: Domine bonum eſt nos hìc eſſe. Et rurſus, Domine ad quẽ ibimus? verba vitæ æternę habes. *Mat. 17.* *Ioan. 6.* Huic accedit diuus Paulus, cuius verba ita habent: Quis ergo nos ſeparabit à charitate chriſti? *Rom. 8.* Certus enim ſum, quia neq; mors, neq; vita, neq; Angeli, neq; principatus, neq; creatura alia poterit nos ſeparare à charitate Dei.

Hi veri erant Dei filii, hi cognoſcere poterant Dei benignitatem, & facultates, quibus talis patris domus ornata eſt & inſtructa. Quod intelligere filii Adami non magnoperè laborant, vtpotè mẽte capti, quocircà Deus non eſt illis curæ quicquam, facilè Dei conſuetudinem contemnunt, breui momento omnia beneficia memoria excidunt, quæ à tali patre acceperunt, vel erant accepturi. Hæc vna cauſa eſt, quæ nos à Deo alienat. Imperitia eſt, negligentia & cogitationes, quibus animi puerorum occupati eſſe ſolent.

Omnium bonorum abundantiam poſſemus habere in Deo ipſiusque domo, quorum particulis magis delectamur. Si quid enim nobis occurrit in mũdo, quod arridet, non conquieſcimus, donec illius cõpotes fiamus, obliti ea, quæ in domo Dei ſunt optima. Nam quod mundus habet, nihil integri eſt, nihil ſolidi. Ad totum, hoc eſt, ad omnium bonorum perfectionem nobis admittendum erat. Non fruſtrà idcircò ſacra *2. Pe. 1.*

ſcriptura tãta ſeueritate nos monet, vt nobiſcum perpendamus, quid in nos Deus beneficiorũ contulerit, & adhuc erat collaturus, in poſterũ. Quod qui recolit, & quaſi ob oculos continuò habet, nunquàm tam benefici parentis habitationem vitabit, quin potius omnem curam adhibebit & diligentiam, ne ob delicta ſua & culpam tali domo pollatur, eiiciaturque. Tantùm de prima cauſa.

Altera cauſa, quæ domum paternam nobis ſæpenumerò odioſam reddit, propria eſt, mala & peruerſa noſtra voluntas, quæ ſtatim in primo homine emicuit, & in omnibus adhuc mortalibus apparet, quæ in anguſtias cogi non vult, quæ ægrè coërcetur, omnes euadendi quærit occaſiones.

Primò homini Deus obſeruatu facilem poſuerat legem, quam tamen vix acceptã prophanauit, eò ꝙ eſſet cupiditati & voluntati propriæ cõtraria. Vidit (inquit *Gen. 3.* ſcriptura) mulier, quòd bonum eſſet lignum ad veſcendum, &c. Plus delectationis ei afferebat id, ad quod animi libido & cupiditas impellebat eam, quàm diuinum præceptum. Nec ceſſabat, donec perficeret, quod mala cupido ſuadebat, quamquàm ſciret aliã eſſe Dei voluntatem. Haud ſecus nos quoque prouocat cupiditas, qua tantò facilius vincimur, quantò magis ad voluptatem, temeritatem & vanitatem procliues ſumus, quare nihil magis Deus in ſua domo abominatur.

Mat. 26. Iſthinc enim dicere vnũquemque oportet: Pater, tua non mea fiat voluntas, quo fit, vt tantò citius, voluntatis pertinacia, ne conſtringantur, euadat, & in locum prorumpat, vbi pro arbitrio regnare poſſit. Dei & diuinæ voluntati ſubiici non vult, libertate gaudet, coacta nihil facit, nullius præter quàm ſui rationem habet, quocircà non immeritò à Diuo Bernardo cruenta beſtia appellatur.

Quid enim turpe vſq; adeò eſt, quod propriæ voluntatis temeritas non audeat? quæ non ſolum ipſa Deo obediens non eſt, ſed omnes creaturas refractarias facit.

cit. Nã qui rerum mundanarum amore tenetur, non dubitaret vniuerſum orbẽ terrarũ in ſuam redigere poteſtatẽ, ſi quomodo poſſet, & quod plus eſt, ſi fieri poſſet, ipſum Deum omnium rerum autorem de cælo deturbare, vel etiam illi necem inferre. Quæris qua ratione? Nihil magis ex votis illi poſſet obtingere, q̃ ſi nullus in rerũ natura Deus exiſteret, aut ſi hoc vitari non poſſet, ſaltẽ ne quid ſciret, & ne pœna peccata proſequeretur. Quod qui facit, haud dubiè nihil aliud conatur, quàm vt poſſit Deum è medio tollere, ſi vires ſuppeterent. Hactenus duas noſtri lapſus cauſas explicauimus, vt ſunt, ignorantia & peruerſa voluntas.

Tertia cauſa eſt, nimia cõfidẽtia ſui, qua ſcilicet cõfiſi noſtro ingenio, prudentia ac peritia perſuademus nobis, nos vitę noſtrę poſſe habere modum, Deum ipſiusq; gratiã nihil morãtes, arbitrati nulla doctrina amplius, nullis orationibus, nullis exẽplis eorum, qui in domo Dei ſunt, opus nobis eſſe, &c. Hoc eſt, quod adoleſcens ait: Pater, da mihi facultatũ mearũ portionem. Ipſe periclitabor, quid lucri ex ea facere poſſim. Dictu incredibile eſt, quàm ſubitò homini impoſuerit talis confidentia. Adã nihil ſe fugere autumabat, cùm tamen toto aberraret cælo. Qui ſtat (inquit Paulus) videat ne cadat. Rurſus, Tu fide ſtas: noli altum ſapere, ſed time. Sapiens quoque beatum illum hominem dicit, qui ſemper eſt pauidus. Simile legimus in Apocalypſi. Dicis, quòd diues ſum (inquit Deus) & locupletatus, nullius egeo: & neſcis, quia tu es miſer, & miſerabilis, & pauper, & cæcus, & nudus. Cæterùm homo propria virtute confiſus quid poſſit & valeat, deindè audiemus. 1.Co.10 Rom. 11 Pro. 28. Apoca.3

Verùm, quomodo ſe gerit Deus erga tantam filiorum ſuorum inſcitiam, pertinaciam & confidentiam?

Et diuiſit illis ſubſtantiam.
(inquit Chriſtus.)

Alium donat ingenii acumine, alium artiũ peritia,

alium diuitiarum ſplendore, atque ita deinceps hunc iſto, illum alio ornans munere, & cupiens ſingulis to tam hæreditatis ſubſtantiam communicare. Sed ipſi longè aliter affecti ſunt. malunt hæreditatem in portiones ſecari, prout diuerſa hominum ſunt ingenia. Deus autem pro ſua ſumma ſapientia vnumquemque ſuo more & ex ſuo ingenio viuere ſinit, neminem in familiæ ſuæ contubernium inuitum cogit, neminem præter ſuam voluntatem detinet, omnibus æquè benignum & munificum ſe offert, omnium ſe patrē profitetur, quem ſemel in hoſpitium recepit, eum fouere omni tempore vellet. At ſi quem abeundi deſiderium habet, non magnoperè repugnat, diſcedendi po
Pſal. 80 teſtatem facilè concedens. Populus meus, inquit, non audiuit vocem meam: & dimiſi eos ſecundùm deſideria cordis eorum, ibunt in adinuentionibus ſuis. Sic Chriſtus, inquit, ad proditorem ſuum, cùm videret nullam vt reſipiſceret adhortationem prodeſſe:
Ioā. 13. Quod facis, fac citius. Deus apponit nobis bonum
Eccl. 5. & malum, aquam & ignem, vitam & mortem: aut
Deut. 30 (vt Moyſes inquit) benedictionem ſiue maledictionē, quod placuerit ei dabitur illi.

Idipſum nobis Chriſtus demonſtrare vult per voculam vbi ait: Et diuiſit illis ſubſtantiam ſeu hæreditatem. Quis eſt iam tam perfricta fronte, qui Deum noſtri interitus autorem appellare auſit? An non ſatis eſt quòd nos crearit, redemerit, vocarit, & tandem in ſuū domicilium receperit? An adhuc præter animi noſtri voluntatem nos retinere debet? Minimè gentium. Nā quemadmodum Deus neminem excludit, neminem ſua conſuetudine indignum iudicat, modò quis eam ambiat, ita neminem vult aſtrictum eſſe, quin cùm velit poſſit recedere.

Quam igitur iſthinc hauriemus doctrinam? Vt tantò ſimus circunſpectiores. Poſtquam in filio iſto prodigo deprehendimus, quid ſit illud, quod damnum nobis inferat, & quo circumueniamur, aut quòd nos eò

impellit,

impellit, vt amantiſſimum noſtrum ac beneficentiſſimum patrem deſeramus. Ignorantia eſt propria ac perverſa voluntas, ſuperba confidentia. Multi per ignorantiam labuntur, plures per voluntatem propenſam ad repugnandum, nec non pauci per nimiā confidētiā.

Quod ſi igitur miſeriā, in quam filius prodigus incidit, effugere cupias, exorandus erat tibi Deus, vt oculos tuos illuſtret, quò ipſum, voluntatemque eius cognoſcas, verbum Dei indefatigabili ſtudio audito, legito, & meditator, quod inſcitiam & pueriles cogitationes facilè diſpellet, & ſatis docebit te, quid commodi in domo paterna, & quid foris mali tibi expectandum ſit. Sin verò propria te laceſſit voluntas, rurſus ad Deum confuge, orans vt te nouo corde, ſuoque ſpiritu velit ditare (ſicut in Ezechiele recepit) & per illum ſpiritum timorem quoque infundat, vt in illius præceptis poſſis ambulare, vt nomen eius in te ſanctificetur, regnum ſtabiliatur, & voluntas ipſius in te, & per te compleatur. Denique ſi fortè inuadat te ſuperbus ſpiritus, qui tibi ſuggerat, tanquàm perfectionis gradum ſis conſecutus, ne crede illi, imò ſummoperè caue, ne illius ſuaſionibus nimium concedas aut fidas. Quantumcunque enim bonorum vim accepiſti, nihil tamen proderunt omnia, ſi à Deo animum auertis. Eze. 36

In ſumma, In Deo omnium rerum affluentiam habes, tametſi videaris tibi tenuis & vix habere, vnde, iuxta prouerbium reſtim emas. Extra Deum autem & illius domum, nihil habes, etiamſi Pactoli opes, vt dicitur, tibi habere videaris. Quapropter conſultiſſimum eſt, cognoſcere & conſiderare, quid à Deo patre noſtro accepimus, & vt in ipſius domo maneamus.

TERTIVS SERMO,

Secunda Dominica Quadrageſimæ habitus.

Audiuiſtis ſuperiore ſermone in parabola de filio Prodigo, quæ ſit cauſa, quòd nos Chriſtiani, quibus præ cæteris gẽtibus hoc priuilegii conceſſum eſt, vt audeamus Deum patrẽ noſtrum appellare, quemadmodum patris beneuolẽtiam indies in nos declarat, in quo & in cuius domo nihil deſideratur, quod ad noſtram tam temporalem & corporalem, quàm ſpiritualẽ & æternam ſalutem neceſſarium nobis eſt, multoties tamen leuiculam ob cauſam ab eo diſcedamus, & domo ipſius relicta, momentaneam voluptatem, gaudium aut vtilitatem quantumuis exiguam in peccatis, gratiæ & fauori ipſius longè præferamus.

Quod fit primò, quia neſcimus, aut neſcire nos ſimulamus, qualis pater ſit Deus, quibus beneficiis nos accumularit, quæ quotidiè ab ipſo accipiamus dona, & in poſterum accepturi eramus. Secundò, non parum ad peccatum adiumenti eſt, ꝙ propria voluntate, & prauis cupiditatibus corrupti, plus q̃ par eſt, frænum illis remittimus. Tertiò, accedit etiã nimia noſtri confidentia, quia noſtris confiſi viribus, videmur nobis aliquid eſſe, cùm re vera nihil ſimus aut valeamus. Arbitramur eò loci nos iam perueniſſe, vt ipſi nobis viuendi rationem poſſimus præſcribere, non obſeruantes, homines nos eſſe & mortales, eoq; imbecilles & infirmos, donec cœno immerſis vix ſalutis ſpes ſit, ita vt nõ ſolum coram Deo & conſcientia noſtra, ſed etiam coram mundo probrum & ignominiam nobis conciliemus. Vbi tandem magno noſtro malo videre cogimur

Gal. 6.

& fateri, nullibi & melius, & tutius nos agere poſſe, quàm in paternis laribus, Dei freti præſidio.

Quæ omnia ita ſe habere, filius Prodigus ſatis exẽplo eſſe poteſt, qui non poterat videre parentis commoditatem & vſum, donec exilii grauitate premeretur, qui ingenii ſui malitiam non ſentiebat, donec in peccatorum profundiſſimam voraginem incidiſſet, qui neſciebat, ſibi Deo & eius gratia omni tempore opus eſſe, donec omnem ſuam ſubſtantiam dilapidaſſet. Pater (inquit ex imperitia, volũtate refractaria & arrogantia) da mihi portionẽ ſubſtantiæ, quæ me contingit. Imprudens ſanè hæc eſt, & ſtulta cõpellatio, pertinax propoſitum, præſumptuoſa petitio, quod quamuis nondum apparet, poſteà tamen, idq; breui apparebit.

Quicquid illud eſt, ad noſtram doctrinam eſt literis proditum. Non enim parum facit ad caſum præcauendum, ſi videat quis, vbi alius aut ipſe impegerit. Si nequibas anteà intelligere, quanta ex Deo, & domo ipſius ad te rediret vtilitas, ſaltem nunc oculos aperi, manu accipe lumen, hoc eſt verbum Dei, quod tibi monſtrabit id, quod ignoras. Si propriæ voluntatis arbitrium in errorem antehac te induxit, ne poſthac illi fidito, volũtati Dei potius annititor. Si hactenus ipſe tibi multum tribuiſti, atque ideo lapſus ea ſedata animi inſolentia, vide poſt hac, vt eò diligentius aduigiles, vt in præſidio Dei ſemper inueniare, dicens cum Dauide: Domine fortitudo mea & refugium meum *Pſal. 30.*
es tu: Quoniam ipſe liberauit me de laqueo venantium. *Pſal. 90.* In te faciam virtutem, & tu ad nihilum deduces inimicos meos. *Pſ. 107.* En iſtud eſt, quo docemur per principium iſtius parabolæ.

Audiendum etiam nunc eſt, quò filium prodigum ſtultitia ſua, propria animi libido, & confidentia pertraxerit. Chriſtus parabolam his verbis proſequitur: *Et non poſt multos dies congregatis omnibus, adoleſcentior filius peregrè profectus eſt in regionem longinquam, & ibi diſſipauit ſubſtantiam ſuam uiuendo luxurioſè.*

Hinc

Hinc diſcimus, ad quam miſeriam homo ſtolidus, ſuum morem ſequens, & præſumptuoſus, redigatur. Hinc diſcimus, quòd præmium illum maneat, qui Deū derelinquit. Hinc diſcimus, qui lucri ille faciat, quid illi opes, ingenium & ſcientiæ ſublimitas proſint, qui præter Deum aliquid requirit. Hinc diſcimus, quid facere ſoleat is, qui ſibi derelictus eſt, quomodo videlicet deterior ſemper fiat, & de vno in aliud ruat vitium. Hinc diſcimus, quomodo peccatorum multitudo in homine de die in diem accreſcat & augeatur, donec totum hominem opprimant. In ſumma, hinc diſcimus, quàm ſit horribile iudicium, & miſera conditio illius, qui Deo curæ non eſt.

Speciem quidem gratiæ & beneuolentiæ habet, ꝙ illico, & ſine mora inſolentis ſui filii petitioni ſubſcripſerit, & portionem, quæ ad illum ex hæreditate redibat, non denegârit, ſed reuera nihil erat aliud quàm ira & iudicium in ſtultum filium. Nihil maius nihilq; optabilius homini accidere poteſt, quàm ſi in Dei tutelam & patrocinium recipiatur, nihil rurſus timeſcendum magis, quàm ſi curam ipſius habere Deus recuſet. Quid aliud hominem à peccato, à morte, omnique periculo immunem reddit, quàm præſidium Dei? Contra verò, ſi quis abneget Deum, quid aliud facit, quàm quòd in varia flagitia, & mille diſcrimina ſe coniiciat?

Quod Chriſtus pulchrè nobis expreſſit per filium prodigum. In cuius oratione ſingula verba ſuum pondus habent.

Principiò non fruſtra eſt, quod dicit: Et non poſt multos dies: Etenim animus humanus naturalibus ſuis donis non poteſt diu inniti, ſed quàm primùm labaſcit, vbi Deus abſtrahit manum ſuam. Prauum cor hominis (inquit Hieremias) & inſcrutabile. Huic aſtipulatur Eſaias: Cor impii quaſi mare feruens. Porrò præſtigiator Satanas non cunctatur, non dormitat, nullas non artes adhibet ad expugnandum hominē illum,

Hier. 17 · *Eſaia* 57

lum, quæ videt Dei auxilio deſtitutum. Qui nihil rei ſibi vult eſſe cum Deo, haud diu quietum illum ſinit diabolus, quin ſtatim occupatum illum reddit negotio aliquo, quod Deo non probatur.

Quod in primo noſtro parente clariſſimè demonſtrari poteſt. Optimè illum Deus condiderat, & pulcherrimis ornauerat donis, ſed quandiu in illis perſtabat, poſtquàm relictus eſſet in manu conſilii ſui? Vtique hoſtis non ceſſabat, omnes neruos intendebat, cōſiliis & pollicitationibus, donec vtrunque in peccatum & interitum præcipitaſſet. Hoc ſibi vult particula illa, (Et non poſt multos dies) Quid autem facit filius prodigus? *Eccl. 15.* *Gen. 3.*

Congregatis omnibus.

Clementem ac benignum ſe patrem habere opinabatur, eò, quòd haud grauatim hæreditatis partem ſibi diſtribuiſſet, ignarus non niſi iram & indignationem eſſe, damnum & certiſſimam pernitiem ſubſecuturam. Quæ enim bonorum vtilitas eſſe poteſt, & ſi Crœſi diuitias cogas, ſi extra domum Dei viuas? Felicior rerum modicarum vſus eſt annuente Deo, quàm illo repugnante bonorum non æſtimandorum. Quod Dauid verbis non obſcuris ſignificauit, vbi ait: Melius eſt modicum iuſto, ſuper diuitias peccatorum multas. Verùm mundus vt id credat, adduci non poteſt, nec Filio prodigo veriſimile videbatur, donec ipſo vſu, ſed non ſine damno ſuo maximo ita ſe habere perdiſceret. Omnia congregabat: putabat iam ſibi opibus ita proſpectum eſſe, vt nulla calamitas animū ſollicitare poſſet, ac proinde impoſſibile eſſe, aduerſam fortunam in ſe vllam poteſtatem habere poſſe, planè ſibi perſuadens, facultates iſtas perpetuò duraturas. Quid autem accidit? Sacietas (vt in prouerbio eſt) ferociam parit, & diuitiæ animum addunt. Sic ſtatim hic ſuperbire incipit potentia elatus, parum illi videbatur aduerſus patris volūtatem ſemel feciſſe, *Pſal. 36*

& obe-

& obediētiæ limites tranſgreſſum eſſe, qui primus ad interitum gradus eſt, niſi domum quoque patris vitaret, & profectionem longinquam ſuſciperet, qui gradus ſecundus eſt & propior ad interitum. Nam vtvt homo ſe habet, quantumuis fragilis & infirmus, licet ſæpius cadat, reſtaurari tamen facilè poteſt, quàm diu

Pſal. 36. in domo patris permanet. Cùm enim ceciderit iuſtus (inquit Dauid) non collidetur, quia Dominus ſupponit manum ſuam. Qui verò conſpectum patris quàm longiſſimè fugit, fieri non poteſt, quin pereat. Cuius rei duo inſignia ſunt exempla, Petri & Iudæ proditoris. Petrus grauiter quidem lapſus erat, non ſemel, ſed ter Dominum abnegans, quoniam vero corde adhuc Chriſto conglutinatus eſſet, nec à Patris obtutu omninò ſe ſubmouiſſet, non tantum illi non obfuit, ſed maiorem etiam poſteà laudem & gloriam conſe-

Luc. 22. cutus eſt. Rogaui pro te (inquit Chriſtus) vt non deficiat fides tua, & tu aliquando conuerſus, confirma fratres tuos. Iudas autem diuerſum planè faciens, à Chriſto penitus ſeiungebat ſe, patris domum egreſſus, maluit inter hoſtes Dei, quam cum Chriſto inueniri. Quid itaque mirum, ſi in peccatis ipſe mortē ſibi conſciuit? Tali exitio omnes peccatores, qui à Deo recedunt, mulctandi erant: niſi ſacræ literæ nobis certiſſimè promitterent, peccatis noſtris longè ſuperiorem eſſe miſericordiam Dei.

Adoleſcentior filius peregrè proficiſcebatur, cadere inceperat, pedem referre haud poterat, donec extrema immineret calamitas. Regionem petebat, à patris domo longè diſſitam. Qui gradus tertius eſt ad interitum.

Quæris quæ illa ſit regio tam remota? Audi quid

Pſ. 118. Dauid dicat: Appropinquauerunt, inquit, perſequentes me iniquitati, à longe autem tua longè facti ſunt. Et rurſus, Longè à peccatoribus ſalus. Quid enim à Deo remotius, quàm ſeruire dæmoni? Quid à lege magis diſſidet, quàm vitam ſine omni lege traducere?

Quid

Quid à domo Dei, in qua omnium virtutum diſciplina regnat, longius abeſt, quàm impudicè & flagitiosè agere vitam? Quid virtuti contrarium magis, quàm ruere in omnia flagitiorum genera? Quid à veritate, luce & iuſtitia magis diſtat, quàm mendacii, tenebrarum & iniuſtitiæ veſtigiis inſiſtere? An non videtur tibi homo ille in longinqua oberrare regione, & longiſſimè abeſſe à limine domus ſui parentis, qui in ſeipſo imaginem Dei obſcurat, denuò filium Dei in crucem agit, conuiciis onerat ſpiritum gratiæ, vitam longè aliam ducit, quàm in patris ſui domo vel vidit vel didicit: blaſphemat Deum vbi reliqui filii, cum laudibus proſequuntur, carnalem & pecuniam voluptatem amat, vbi alii caſtè & pudicè viuunt, operam dat deliciis & crapulæ, vbi cæteris vigiliis, ieiuniis, orationibus ſeſe macerant, & peccata ſua huiusque vitæ miſerias deplorant, ea quæ futura ſunt meditantes, & ingemiſcentes. Hebr. 10

Vide hæc illa diſſimilitudo eſt, hæc illa remota regio, in quam Filius prodigus ſe contulit, qui antea Angelis ſimilis erat, pecudi iam vel potius malo ſpiritui factus eſt ſimilis, qui antea ciuis erat cæli, modò ſeruus eſt peccati.

Aut ſi lubet ita poſſumus intelligere. Quod peregrè proficiſcitur, id eo animo facit, quòd ſperet ſe hoc pacto peccata ſua patrem cælare poſſe, vt eò magis pœnæ metu liberetur. Quæ res non inſipienter incepta videri poſſet, niſi Deus omnes angulos etiam perluſtraret. Deus è vicino ego ſum (inquit ipſe Hiere.) Hier. 23
& non Deus de longè. Si occultabitur vir in abſconditis, & ego non videbo eum, nunquid non cælum & terram ego implebo. Aut putas peccata tua ſemper poſſe occultari eò, quòd pœnam Deus in tam longum tempus prorogat? Neſcis, quid in Propheta dicit: Eſa. 46.
Tacui, ſemper ſilui, patiens fui, ſicut parturiens loquar. Et in Dauide, Hæc feciſti, & tacui. Exiſtimaſti inique, quòd ero tui ſimilis: arguam te, & ſta- Pſal. 49

tuam contra faciem tuam, &c. Tandem Filius prodigus in peregrinam venit regionem, valde remotam à domo paterna. Sed quid amplius factum eſt?

Ibi diſsipauit ſubſtantiam ſuam uiuendo luxurioſè.

Talis rerum noſtrarum ſucceſſus eſt, quando Deus nos gubernandi habenam ſuam remittit, adeò omnia nihil proſunt quæcunque vel habemus, vel accipimus, poſtquàm Deum amiſimus. Omnia diffluunt, intereunt & in nihilum rediguntur, vbi diſſolutè viuitur. Fieri nequit, vt qui Deum deſerit, modum ſibi
Luc. 11. ſtatuere poſſit. Qui non colligit mecum (inquit Chriſtus) diſpergit. Nulla bona, nullæ diuitiæ, nulla ſciētia aut peritia, nulla dona commodant, niſi Deus pri-
Hier. 10 mò auxilietur & benè fortunet. Stultus factus eſt omnis homo à ſciētia ſua (inquit Hieremias.) Et ſi quis
Sap. 9. erit conſumatus inter filios hominum, ſi ab illo abfuerit ſapientia tua, in nihilum computabitur, ò Deus.

Per hanc igitur auerſionem à Deo miſerrimus peccator amittit omnia ea, quæ accepit, & quæ illi conducere poterant ad ipſius ſalutem, ſcientiam, intellectum, gratiam, corpus & animam tam temporaliter quàm ſpiritualiter & æternaliter. Hoc nos expendere vult Chriſtus, exemplum ſeu ſpeculum quod intueamur ob oculos nobis ponens, in quo qui peccatoris cōditionem & miſeriam videre non poteſt, is profectò videre non vult, ſed ſuapte ſponte perire.

Hæc fratres conſideremus, tametſi inamœnum & minimè iucundum eſt ſpeculum, magnæ tamen vtilitati eſſe nobis poteſt. Primum illud eſt, quod circa pœnitentiam indicari debet. Quandiu enim homo non videt & ignorat, quæ mala ex peccato naſcantur, non timet in eo deſidere: qui autem videt & nouit, tantò citius ad pœnitentiam properabit, præſertim ſi intelligat per pœnitentiam omnia illa mala facile euitari poſſe. Deus Opt Max. oculos nobis aperire dignetur,

gnetur, vt quæ nobis officiunt, poſſimus videre, & viciſſim etiam gratiam, per quam fugienda declinemus, noſque aduerſus ea roboremus. Amen.

QVARTVS SERMO,
Dominica tertia Quadrageſimæ habitus.

AVdiuimus proximo ſermone, & quaſi ob oculos vidimus in parabola de filio prodigo, quæ iam inde ab initio peccatorũ fuerit, & adhuc eſt conditio, & qui gradus ſint, per quos de diuinæ gratiæ ſublimitate, in peccati deuoluuntur profunditatem.

Primò, aut ſtultitia obcæcantur, aut propriæ voluntatis corrumpuntur libertate, aut accepta exulantur gratia. Ex quibus vbi vnum ſeu plura inualeſcunt, ibi peccatum, ac deinceps interitus principium ſuum habet & cauſam. Quamprimum verò peccatum in homine radicem acquirit, altius haud dubiè emergit, & fructus fert peſſimos quoſque & amariſſimos, quales nuper vidimus in Filio prodigo, qui poſtquàm cadere incepiſſet, caſum haud quaquàm emendare poterat, donec in extremum omnium peccatorum periculum deueniſſet, & inter ſacrum & ſaxum, iuxta prouerbium, verſaretur.

Primùm obedientiam patri denegabat, ſuo more viuere gaudebat, ſui ipſe dominus eſſe volebat nemini obnoxius, domum poſteà paternã reliquit, ne quid libidini ipſius obſtare poſſet, aut ne quis eſſet, qui cum ipſo expoſtularet. Deindè longinquam petebat regionem longè diſſitam à domo patris, ne pateret oculis ſui patris, quæ eſſet viuendi conſuetudo & ratio, quam abſens non poſſet reprehendere.

Hæ erãt cogitationes ipſius & propoſitum, rem ſibi videbatur præclarè inſtituiſſe, nullius voluptatis & gaudii putabat iam ſibi non datam eſſe poteſtatem & copiam. At non longè pòſt, facti ſtultitiam ſenſit, cognouitque longè aliud eſſe inter ignotos verſari, quàm apud dulciſſimum & benigniſſimum patrem. Quid ita? Quoniam pater domi filii ſui curam perpetuò gerit, diuitias & opes illi accumulat, nullius rei inopia eum laborare ſinit, omnia, quibus opus habet ſuppeditat. Inter peregrinos autem quamuis amici quoque inueniantur, amici tamen eſſe deſiſtunt, vbi loculi exhauſti ſunt.

Hoc modo cum filio Prodigo actum fuit, omnem ſubſtantiam ſuam apud ignotos prodegit, omnium, quæ à patre acceperat iacturam fecit. Iſtud ſtipendium eſt peccati, amittere videlicet Deum & omnem iuſtitiam, quę eſt in domo Dei, arceri à Deo & omnibus electis, omnium bonorum iacturam facere, & poſtremo grauiori mulctari exilio ac calamitate. Quæris quo modo? Audi, quæ Chriſtus pergit de filio prodigo commemorare.

Et poſtquàm omnia conſummaſſet, facta eſt fames ualida in regione illa, & ipſe cœpit egere. Et abiit, & adhæſit uni ciuium regionis illius. Et miſit illum in uillam ſuam, ut paſceret porcos. Et cupiebat implere uentrem ſuum de ſiliquis, quas porci manducabant, & nemo illi dabat.

Miſer homo cœno immerſus nunc totus iacet, ipſe ſibi auxilium ferre non poteſt, neminem habet, qui miſericordia erga ipſum moueatur, nil niſi ſumma & extrema apud illum eſt miſeria & calamitas. Ita quoque fit & ſic fieri debet, vt qui Deum patrem habere non vult, qui tamen opem & gratiam promiſit, is ab omnibus deſerendus eſt, ac inſuper ludibrio habendus. Nõ venerat in mentẽ laſciuo puero, cùm adhuc in domo eſſet patris, talia ſibi euenire, poſſe aut euentura.

Sed quare Chriſtus hoc nobis ſcribi & prædicari voluit?

luit? Vt nobis exemplo ſit, & vt ea, quæ futura ſunt proſpiciamus. Felix quem faciunt aliena pericula cautũ. Quod filio intractabili & effræni contigit, idipſum & tibi proculdubio contingent, vbi proterué à Deo diſceſſeris. Cuius rei non ſolum aliorum hominum exempla habemus, ſed in nobis etiam id deprehendimus. Quemadmodum enim, vt paucis complectar, non eſt, quòd quiſquàm in domo Dei periculum aut interitum timeat, ita quoque extra Deum & ipſius domum ſalutem nullam ſperare poteſt. Quapropter verba textus penitus introſpiciamus, vnde euidenter ſatis patebit, quàm peccator ſit miſerabilis creatura, & variis ærumnis ſubiecta.

Primò (inquit textus) Facta eſt fames valida in regione illa. Quid enim aliud prouenire poteſt? tam forinſecus quàm temporaliter, necnon omnia turpiter prodiguntur. An nõ quotidianus nos vſus docet? Quid omnium rerum caritatem inducit aliud, quàm quòd in ſumptibus immodici ſimus, & præter neceſſitatem ac ſuperfluè cuncta profundimus? Nonne Salomon pigritiæ & ocio deditis vaticinatus eſt, vbi inquit, veniet tibi quaſi viator egeſtas, & pauperies quaſi vir amatus. *Prou. 6.*

Alioquin etiam certum eſt, famem ibi eſſe maximã, vbi panis vitæ deſideratur, prçter quem quicquid acquiritur, hominem ſaciare non poteſt. Quapropter non ſine cauſa in textu habetur: Et cœpit egere. Nam vbi Deum præſentem non habemus, ibi neceſſe eſt, egeſtatem & inopiam eſſe acerbiſſimam. Et ſi ſumma reliquarum rerum omnium ſit vbertas, animus tamen humanus & cupiditas inexplebilis eſt, adeò vt ſemper plura concupiſcat & deſideret.

Non ſaturatur (inquit Salomon) oculus viſu nec auris auditu impletur. In Deo vera plenitudo eſt & ſacietas, qui, vt dicit David, replet in bonis deſiderium noſtrum. Eſurientes impleuit bonis (inquit Maria) & diuites dimiſit inanes, eò, quòd ſemper quæruntur, nec quam ſaturantur. *Eccleſ. 1.* *Pſ. 102.* *Luc. 1.*

Quod quidem argumento nobis maximo eſt, quàm nobilis anima hominis ſit, & quàm ſit multarum rerum capax, quomodo quidem nulla re viſibili & peritura expleri poteſt.

Ad hæc videmus quoque & exploratum habemus, quàm ſit peruerſus animus hominis, qui per res viſibiles ſuis cupiditatibus ſatisfieri ſemper cupiat. Et tametſi non rarò fallitur, non tamen ad meliora & cœleſtia aſpirat, ſed ſemper opem ſibi quærit ex rebus temporalibus. In rebus ſpiritualibus pręter famam & egeſtatem nihil eſſe poteſt, vbi dona Dei perfuſa ſunt & perdita, nec non extra domum Dei viuitur. Quòd ſanè non temerè adiiciendum putaui: quoniam in domo Dei penuria nulla eſt, ſed omnium rerum abundantia. Quæ enim ibi poteſt eſſe inopia, vbi Deus ipſe paterfamiliâs agit, curam gerit, corporali cibo ſuos filios alit, & fouet illos ſpirituali alimento, hoc eſt, verbo ſuo, ſacramentis, ſpiritu, internis conſolationibus, nec non pacem illis largitur, gaudium, ſecuritatem, & bonorum omnium aceruum?

Quam ob rem Chriſtus non ſimpliciter dicit: Et facta eſt fames, ſed addit, in regione illa, in quam petulans filius migrauerat. Nam poſtquàm in diſſimilitudinem illam cum Deo tanq̃ ex diametro pugnantem deuentum eſt, cuius ſuperius memini, nihil profectò reperitur, quod hominem in cultu pietatis poſſit conſeruare. Nam iſthinc longè abeſt verbum Dei, abſunt ſacramenta, abeſt Spiritus ſanctus, & quòd proximum eſt, neque vera pax aut ſecuritas, neque gaudium aut quies vel etiam ſolatium eſſe poteſt apud eiuſmodi hominem. An non magna fames eſt, vbi nihil earum rerum in promptu habetur, quibus anima foueri & conſolari poteſt? Itáne grauis eſt fames corporalis? tantíſne opus eſt querelis, tanto quærendi labore, tantis obſecrationibus & fletibus, antequàm eſuries illa ſedari poſſit? quid in ſpirituali fame fieri oportet, vbi peccator omni bono priuatus, in perpetua diſcordia,

ſcordia, periculo, pauore, metu, triſtitia & puſillanimitate hæret & intricatus eſt, opus quidem habet ſolatio, ſed nullum inuenit: quietem inquirit, quam habere tamen non poteſt.

Atque hæc fames eſt, quam Deus minatur per prophetam Amos, famem non panis, ſed famem audiendi verbum Domini. Eò peccatum hominem redigit, vt egenus & inops ſit, in gratia & donis Dei, nec non conſolatione & confirmatione. *Amos 8.*

Verum homo, qui tanta fame affligitur, quid facit? aut quî fieri poteſt, vt aliter ſe gerat, quàm filius Prodigus, quem fames vſque adeò premebat, vt abiens adhæreret ciui cuidam illius regionis, qui illum cuſtodem porcorum conſtituebat. Ad hanc, inquam, ſeruitutem, dira fame compellabatur, quem fàmes potius ad relegendum iter compellere debebat, animum his cogitationibus ſubeuntibus. Non pol hîc eſt manendi locus, ſed patriam repetam. Verum patris non recordabatur, cuius tametſi fuiſſet recordatus, pudor tamen vetabat, quo minus ad eum redeundi animus eſſet, famem & exilium ferre malebat, quàm demittere ſeſe & ferociæ crimen confiteri, ſuſpicans fortaſſe, patrem inexorabilem eſſe, & nihil charitatis priſtinæ reſidere in illius pectore, quapropter fame vel etiam deſperatione eò redigebatur, vt adhuc longius à patre diſiungeretur, & ſeipſum in ſeruitutem eamque fœdiſſimam daret, qui anteà liber fuiſſet.

Dignum hoc quidem eſt ſupplicium, vt quando patrem fugimus, peregrinus & barbarus nos in ſeruitutem dedat, quando libertatem, quæ filiorum Dei eſt, reſpuimus, vt captiui & mancipia Diaboli ſimus. Talis fortuna manſit filium Prodigum.

Talis quoque omnium peccatorum euentus eſſe ſolet, qui quamprimum famem ſpiritualem perſentiſcerent, ad domum patris confugere debebant, ſed pudore nonnunquam impediri, malunt in anguſtiis & egeſtate viuere ac conſcientiæ torqueri miſeria, quàm

coràm Deo ſeſe ſubmittere, & peccata ſua confiteri. Nonnunquam animo adeò ſunt abiecto, vt timeant, nihil miſericordiæ loci relictum eſſe, ac proinde abeunt & longius ſemper domum patris à tergo relinquunt, infamiæ tandem nota penitus inuruntur, tótos ſe denique in peccata coniiciunt: hoc cogitantes, actū agi. Vnde non rarò deſperatione adducti ipſi ſeſe poteſtati dæmoni tradunt.

Gen.46. Tale quiddam apud Iſraëlitas præfiguratum eſt, quos fames in Ægyptum proficiſci coëgit, quiq; deinde à Rege ſummis grauabantur laboribus in conficiēdis lateribus. Ita quoq; interdum peccator tanta vrgetur fame, vt peccatis totum ſeſe mancipet, videns nimirum ſe gratia & fauore Dei planè excidiſſe.

Et hoc eſt, quod de filio Prodigo dicitur: Abiit, & adhæſit vni ciuium regionis illius, &c. Per ciuem intelligere poſſumus peculiare quoddā peccatum, quod homo ſibi familiare facit. Maxima quidem animi iucunditas eſſet, omnibus indulgere voluptatibus: quod quia fieri non poteſt, vni peccato adhæret, cuius iam ſeruitio aſtringitur, & cuius imperio auſcultat, à quo ſtatim ad ſuos ablegatur. Animo in ſuem mutatus eſt, quæ volutatur in cœno, poſtremò eò venit, vt paſcat porcos, hoc eſt, pecuinis cupiditatibus omnem voluptatem concedat, quo fit, vt in peccati & diaboli ſeruitutem redigatur. Is nanque ciuis & incola eſt peregrinæ regionis, quod nomen illi optimè competit, quandoquidem in peccatis ita obcęcatus eſt, vt non ex ignorantia aut infirmitate, ſed ex improbitate & mala cupidine delinquat.

Alioqui etiam homo per peccatum in alienam venit regionem, quam tamen inhabitat, non tanquàm ciuis, ſed tanquàm aduena, vt qui perpetuò permanere non propoſuerit, quique non ſtudio amittit aliquod peccatum, & qui fugam meditatur, ſimulatque licet, erroremq; agnoſcit. Hoc quoq; differunt peccata hominis, à peccato mali ſpiritus. Homo peccat & cadit, ſed

ſed reſurgit, quapropter hoſpes ſolum eſt, in peregrina terra. Diabolus verò peccat, & peccatis immoratur nec malefaciendi finem facit, qui idcircò ciuis peregrinæ regionis non immeritò appellatur. Etenim hoſpes ſolùmodò illic tranſit, non diu in vno loco cunctatur. Ciuis autem non facilè mutat ſuam regionem.

Malus itaque ſpiritus Ciuis eſt, cui filius prodigus miſerrimus peccator adhæret, & tametſi, anteà quoq; adhæſerit, nunc tamen totum ſe illi tradit & peccati fit mancipium, neminem poſthac veretur, nihil non impietatis exercere audet, ita ſecum tacitè loquens & cogitans: Edamus & bibamus, cras enim moriemur, *Eſa. 22.*
& exiſtimans ſe percuſſiſſe fœdus cum morte, & cum *Eſa. 28.*
inferno feciſſe pactum.

Sed qualis tandem apud nouum dominum, & nouæ ſeruitutis conditio eſt? Ciuis (inquit Chriſtus) miſit illum in villam ſuam, vt paſceret illic porcos, hoc eſt, non patitur illum eſſe in ciuitate, vbi honeſtè & ciuiliter viuitur, ſed in villam ad porcos eum relegat, negotiis ſecularibus ita eum implicans, vt expedire ex iis ſeſe non amplius poſſit. Hæc eſt villa ipſius: carnalibus deinde ac pecuniis eum ineſcat voluptatibus, à quibus auelli difficillimè poteſt, facitque vt cupiat quibuſlibet vel ſiliquis, quibus porci veſcuntur, ſaturari, hoc eſt, vt homo miſer in flagitia quæque fœdiſſima agatur, vt nihil aliud cogitet, loquatur, faciat & appetat, quàm quòd terrenum eſt, temporale & carnale. Et quanquàm illas ſiliquas immodicè voraret, nemo tamen erat, qui illum tali pabulo explere potuiſſet. Quanto enim largius eas comedebat, tantò magis & auidius deſiderabat. Et nemo illi dabat (inquit Chriſtus.) Vide, ad hanc conditionem deſcendit, quiſquis Deum refugit. Vnde Dauid, non temerè dixiſſe comprobatur, Homo cùm in honore eſſet, non intellexit: comparatus eſt iumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis. Quod etiam Hieremias ſuo populo inculcare voluit, vt ait: Scito & vi- *Pſal. 48.* *Hie. 2.*

de, ô filia Sion, quia malum & amarum eſt reliquiſſe te Dominum Deum tuum. Iuxta eandem ſententiam

Baruc 3. loquitur Baruch : Quid eſt,quòd in terra inimicorum es ? inueteraſti in terra aliena, coinquinatus es cum mortuis: deputatus es cum deſcendētibus in infernum. Dereliquiſti fontem ſapientiæ. Nam ſi in via Dei ambulaſſes, habitaſſes vtique in pace ſuper terram.

O periculoſam, pernicioſam, ô atram famem, quæ hominem eò compellit! O hominis incogitantiā ,qui cum à Chriſto magno emptus eſt, & libertate donatus, ſeipſum in peccatorum & diaboli ſeruitutem dedat, eò redactus, vt in limo & cœno diabolo morem gerat, cum ſuibus victitans,quibus ſeruit potius quàm imperat. Quid hoc homine calamitoſius & miſerabilius ?Conferte obſecro hunc præſentem miſeri peccatoris ſtatum cum illo priori. Antea patrem habebat, nūc habet dominum, ſed quid dico dominum?imò Tyrannum:antea liber erat,nunc ſeruus eſt: antea omniū rerum copiam habebat,nunc omnium inopia laborat: antea apud filios Dei vixit,nunc apud ſues viuit:antea in domo patris deliciabatur, nunc in villa ruſticatur: antea cibo angelico veſcebatur, nunc ſiliquas vorat, nec eas ad ſaturitatem vſque.

Hæc perpende ò homo, & caue à Deo diſcedas vel latum vnguem. Hæc in memoriam redeant tibi ô peccator, quando in peregrina regione tibi videris eſſe, quando conſcientia indicium tibi dat, te à Deo alienatum eſſe, quando famem ſpiritualem ingruere ſentis. Pœniteat te tuæ ſtultitiæ pertinaciæ & confidentiæ. explica te ſimulatq; potes,ad patrem reflecte gradum, ne moram trahe, quod fecit filius prodigus,culpam admiſſam ſimpliciter cōfiteri ne te pudeat, de Dei miſericordia ne diffidito, ſcito illum tibi patrem eſſe. Et ſi contingeret tibi ſubire in mentem, quàm indignè offenderis Deum, ne tamen deſpera, ne propterea maiori cum ignominia ad peccatum accendere, ne denique peccati & diaboli poteſtati te totum reſigna, cui

nihil

nihil aliud ſtudio eſt, quàm vt quos ſemel apprehendit, omnino peſſundet & in ſempiternum extinguat. Conuertere ad Dominum Deum, quia benignus & miſericors eſt, patiens & multæ miſericordiæ, & præſtabilis ſuper malitia. In ſumma porcis ſuus relinque ſiliquas, & rurſus panem vitæ affecta, quem haud dubiè inuenies & conſequeris. *Iohel 2.*

QVINTVS SERMO,
Dominica quarta Quadrageſimæ habitus.

EXpoſui vobis ſuperiori ſermone in parabola de filio prodigo, quid Chriſtus nobis voluerit inſinuare per ea verba, vbi inquit:

Et poſtquàm omnia cõſummaſſet, facta eſt fames ualida in regione illa & ipſe cœpit egere. Et *abiit, & adhæſit uni ciuium regionis illius.* Et *miſit illum in uillam ſuam, ut paſceret porcos.*

Omnia hæc, inquam, verba aliud nihil ſunt, quàm ſpeculum quoddam, in quo cernitur peccatoris miſeria & calamitas. Nemini videri mirum debet, cur Chriſtus hoc adeò perſpicuè indicare voluerit. Siquidẽ ſummè neceſſariũ eſt, principium eſt ad pœnitentiam, atq; ideò fit, vt eò citius reſurgamus, & peccatorum nauſeã concipiamus. Nam qui eò loci peruenit, illi haud fuga differẽda eſt, ſi modò fugere & elabi datur. Fieri enim frequenter ſolet, vt quando impius in profundum peccatorum delapſus eſt, nihil amplius neque Deum, neque animæ ſuæ ſalutem penſi habeat, nec curæ illi quicquàm eſt, quod ad vtilitatem ipſius pertinet. *Prou. 18*

Quod Chriſtus in hac parabola anteuertere voluit, & oſtendere, nulli etſi non dicẽdorum criminum reo, minimè tamen deſperandum eſſe, poſtquàm videt filiũ

prodigum, poſt tantam ingratitudinem, poſt tantam laſciuiam, poſt tot patrata ſcelera, nihilominus tamen rediiſſe in gratiam.

Eam ſcilicet ob cauſam nullius frugi filii exilium & tranſgreſſionem, peccatum & pœnam, Chriſtus tam expreſsè voluit declarare, vt vnuſquiſque ſecum cogitet. Hic poſt tàm grauem caſum tantis reſtitutus eſt honoribus, non dubitabo igitur & ego, quin Deus ſi ad ipſum ex intimo corde cõuerſus fuero, ſua me quoque dignabitur gratia. Illud eſt, qđ hic molitur Chriſtus, hoc ipſo ſolatiũ & ſpem omnibus iniicere voluit.

Vbi obſeruare & expendere imprimis conuenit, quòd abiectiſſimæ ſeruitutis conditioni hominem peccatorem cõparet, porcorum videlicet paſtori, & quòd non pluris faciat, nec alio, niſi ſiliquarum nomine dignetur, totum illud, quo peccator animi ſui cupiditatem conatur explere. Quòd ſanè vtrinque vero quàm proximè accedit.

Cur homines & ſimus & appellemur, neminẽ cùm
Gen. 1. latere arbitror, nẽpe ꝙ ſecũdùm imaginem Dei creati
Gal. 4. ſimus, intellectu, voluntate & memoria præditi. Porrò vnde Chriſtiani vocabulum acceperimus, nulli obſcurũ eſt, videlicet à ſpiritu, quem in corda noſtra mittit chriſtus per regenerationem. Quod ſi iam neque rationem, neq; ſpiritum ſequimur, ſed ſenſum & prauas cupiditates, quæ luto ſemper & omni peccatorũ ſpurcitie gaudẽt, indignos nos facimus tã hominis q̃ Chriſtiani nomini, ſed porci meritò appellamur, quos paſcimus ſenſui & mentis leuitati morem gerendo. Cõmunis enim nobis profectò eſt cum cæteris animantibus ſentiendi facultas, cui ſi ſeruimus, brutis certè ſer-
Matt. 8. uimus, vel potius nos ipſi bruta aut porci ſumus. Huc iam ſpectat, quòd mali ſpiritus, eiiciente illos Chriſto ex homine obſeſſo, ferebantur in porcos. Quod illi homini tum factum eſt, nobis omnibus factum eſſe exiſtimare debemus. Chriſtus malum ſpiritum ex animabus noſtris exegit, qui deinde in ſues migrauit,

hoc

hoc eſt, in ſenſus externos, qui turpitudine ſemper delectantur, nec vnquàm voluptate externa & peccatis poſſunt expleri. In hanc ſententiam Paulus de ſeipſo loquitur: Condelector legi Dei ſecundum interiorem homine: Video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege de peccati. *Rom. 7.*

Vide hoc eſt eſſe porcorum paſtorem, rem ſcilicet præclaram agis, ſi corpus foues, & nihil quod illud offendere poſſit, admittis. Porcos paſcis, imago in te Dei tibi contemptui eſt, corpus nutris, animæ verò eſuriem, & defectũ propellere nõ curas. Quid tũ? & ſi in paſcendis porcis ſis diligentiſſimus, & ſi corporis curam habeas maximam, & ſi ſenſibus tuis externis nullam non concedas voluptatem, tamen nihil aliud ſunt quàm porci, qui nihil vnquàm boni appetunt, qui etiam collabuntur, moriuntur, putreſcunt inſtar pecoris. Quid prodeſt homini (inquit Chriſtus) ſi mundum vniuerſum lucretur, animæ verò ſuæ detrimentum patiatur? Anima eſt, quæ nobis curæ eſſe imprimis debebat: iuxta hanc enim homines nuncupamur, iuxta hanc immortales ſumus, quod cogitare homo peccator non poteſt. Quocirca id Chriſtus per paſtorem porcorum nobis in memoriam reducere voluit. *Mat. 16.*

Quod autem ſiliquas & furfur appellet omnia, quibus homo extra Deum, ſuis cupiditatibus ſatisfacere ſe poſſe putat, rem ita ſe habere ipſo opere compertum eſt. Omne enim quod eſt in mundo (inquit Ioãnes) concupiſcentia carnis eſt, & concupiſcentia oculorũ, & ſuperbia vitæ. Mũdus nihil voluptate præſtãtius habet, petulãtia & honorũ ac bonorũ vanitate nihil ſublimius, ad quæ filii huius mũdi tãtoperè certatim cõtendunt, propter quæ adeò ſoliciti ſunt, & bella nõnunquam ſuſcipiunt, cùm tamẽ aliud nihil ſint, quàm ſiliquæ. Quamobrem? Eò quòd homine non ſatient, ſed ventrem ſolum aggrauent. Quæris qui id fiat? *1. Ioã. 2*

Ordine

Ordine rem edocebimus. Voluptas in cibo & potu maximum & præcipuum inter ea eſt, quæ mundus captat. Sed quampiu durat illa voluptas? Quandiu lingua cibum & potum habet, ſed ſtatim vbi illa traiiciuntur in viſcera, non ſunt voluptati amplius, ſed oneri & ceu venenum corpori officiunt, vtpote ex quibus in varia morborum genera corpus incidit. Sic de reliquis omnibus voluptatibus ſentiendum eſt, heu quanti ſæpenumero conſtant! Quàm multi non ſolum omnes facultates, ſed etiam honores, corpus, & animam denique impendunt, vnde præter pœnitere nihil ad ipſos redit. Idem dicere quoque poſſem de ſuperbia, auaritia & diuitiarum ac honorum ambitione. Siliquæ ſunt quæ hominem moleſtant potius, q̃ iuuant. Præterea illis nihil incertius eſt, hodie relinquenda ſunt, quæ heri in noſtra erant poteſtate. Tertiò infidelia ſunt bona, vt quæ homini ſæpè exitium adferunt irrecũperabile. Parum erat nullã illinc prouenire vtilitatem, niſi quoque hominem in ſummum diſcrimen adducerent.

Quę igitur obſecro nos homines, nos inquam Chriſtianos dementia cœpit tanta, vt veris ac ſempiternis bonis poſthabitis, paleas & porcorum pabulum tanti faciamus, præſertim cùm nobiliſſimè conditi ſimus, & per Chriſtum ad inſignes honores, ac bonæ electi & vocati.

Cæterùm hæc prolixius pertractare libuit, ſi fortè vel ſemel recludi poſſent oculi noſtri, vt Diaboli & peccati aſtutiam poſſemus pernoſcere, qua nos circumueniunt, obcæcant, & vt rectius dicam, in ignominiã & damna maxima pertrahunt nos, coniiciuntque. Nã quàm diu oculis capti ſumus, tam diu ſiliquarum amore tenemur, quas pro magnis deliciis habemus, & cibo præſtantiſſimo, cùm tamen non hominis, ſed porcorum ſtomacho naturalis ſit, & conueniat.

Quapropter audi, quid Chriſtus pergat dicere de filio Prodigo.

In ſe autem reuerſus dixit: Quanti mercenarij in domo patris mei abundant panibus, ego autem hic fame pereo!

Secunda pars hoc loco incipit, quæ ad pœnitentiæ prædicationem pertinet. Audiuimus hactenus, quid inter hominem & Deum diſcordiam pariat, & quorſum per peccatum homo pertrahatur. Poſthac verò audiemus, qua ratione & quibus mediis homo exiliũ effugere & Deo reconciliari poſſit. Quod quidem Chriſtus pulchrè & apertè oſtendit, quamuis id paucis verbis, quorum tamen nullum eſt, quin emphaſin quandam & pondus in ſe contineat.

Primò nanque non ſine cauſa dictum eſt à Chriſto: Et in ſe reuerſus. Hinc enim liquet, quid de peccatore ſcriptura ſentiat, haud ſecus videlicet, quàm de ebrio, inſano & obſeſſo homine, ſic enim de eiuſmodi hominibus loqui ſolemus. Non eſt ſui compos, quod de illo dicitur, qui aut nimio potu obrutus, aut mente captus eſt, aut quem malus ſpiritus obſedit. Nam tum multa effutit & facit, quod profectò facere nunquàm in animum induceret, ſi ieiunus & ſanæ mentis eſſet. Contrà verò, quando omiſſis ineptiis facit & loquitur, vt hominem ſanum decet, de illo fertur, In ſe reuerſus eſt.

Quoniam verò Chriſtus ipſe hanc vocem vſurpauit, quid aliud innuit, quàm quòd filius Prodigus, cũ patrem ſuum deſereret & peccatis ſolum ſuæque prauæ voluntati obſequeretur, ab homine ebrio, inſano & dæmoniaco nihil deſtiterit. Quod tamen non de iſto tantum, ſed de omnibus, qui ſimili modo à Deo recedunt, accipiendum eſt.

Et hoc ipſum eſt, quod vterque Chriſtus ſimul & Stephanus de peccatoribus dicunt: Neſciunt quid faciunt. Quapropter, quotieſcunque tibi obuius ſit homo potus, mentis inops, & qui à dæmonia agitatur, tui fac memineris. Nam haud ſecus coram Deo & mundo

Luc. 23. Act. 7.

mundo ineptis, quàm diu cupiditatis & propriæ voluntatis ſtudio duceris.

Eam nimirum ob cauſam Deus horrenda & omni commiſeratione digna in noſtris fratribus aliquando edit exempla, quò ipſi nobis notiores fiamus, & vnuſquiſque ſecum cogitet, talem ſe eſſe, quando plus affectibus, quàm rationi aut verbo diuino tribuit, tale quoque ſe infamia notabilem eſſe, & cùm omnibus notus ſit, ſibi ſoli ignotum eſſe, & cùm cæteri cōdoleant, ſe ſui mali ac miſeriæ ſolum expertem eſſe. Si ô Domine res adeò ſtupenda eſt, corpus hominis à dæmone occupati, quantò horribilior cenſeri debet, animam in ipſius detineri poteſtate? Si ridiculum eſt & indecens id, quod homo ex ebrietate vel loquitur aut facit, quantò maiori illi vertitur vitio, quod ex animi cupiditate admittit? Si res dolenda & miſerabilis planè eſt, hominem furore percitum eſſe & mente captum, quātò infelicior exiſtimari debet, hominem nec ſecundū rationē, nec ſecundum verbi diuini eloquium viuere?

En hæc conſideranda tibi præbet vocula iſta. Et in ſe reuerſus: O beatum illum hominem, qui ex ſpirituali ebrietate, inſania ac poteſtate diaboli ad ſe redit. Sed nil in vniuerſo orbe rarius, quòd nunquam fit ſine Dei in nobis operante gratia, cui locum dare noſtrarum partium eſt. In Deo mora non eſt aut defectus; ſatis occaſionum nobis præbet, pectora noſtra maturè ſatis pulſat, at non eſt nobis curæ, ſuiſque deque ferimus, quid Deus nobiſcum fieri velit. Quare exemplo nobis ſit filius Prodigus.

Duo erant, quæ ad ſeſe redeundi occaſionem illi dabant. Miſeriam ſuam ſpectabat, & paterna domus in mentem veniebat. Primùm faciebat, vt ſibi diſplicere, propter ſtultitiam ſuam inciperet. Alterum ſpem dabat, quò minus deſperaret. Neceſſitas eum impellebat. Spes verò ducebat, quæ vtraque in cauſa erant, vt in ſe reuerterentur, fugeret & odiſſe inciperet, quæ magno ſtudio antea flagitauerat,

uerat, flagitaret quæ antea fugeret. Ego hîc fame pereo, inquit,. Hæc erat quæ illum vrgebat neceſſitas, ac ea quidem de cauſa Deus in illum famem ſæuire tãtoperè voluit, vt impelletur, cùm alioquin ad meliorem mentem nunquàm fuiſſet reuerſus. Et hæc admonitio quædam fuit.

Ita Deus Opt. Max. nos mortales pœnis & plagis quibuſdam externis adigit, vt ad ipſum reuertamur. Vexatio dat intellectum. Eundem quoque in modum Iſraëlitæ quondam temporibus Heliæ fame incredibili ad Dominum reuocabantur. Eſa.28 3.Re.18

Atque iſtud vt plurimum pœnitentiæ principium eſſe ſolet, vt Deus minis ac pœnarum grauitate, timorem nobis incutiat, ne peccatorum obliuio nos capiat. Tale Ioannis Baptiſtæ auſpicium erat, ſecurim aut vt melius dicam, gehennam peccatoribus minabatur. Item à Petro factitatum videmus in prima concione, qua ita perculſi fuere Iudæi, vt omnes interrogarent, quid factu opus eſſet. Paulus non ſine magno terrore humi proſtratus eſt, cùm ad Euangelii prædicationem vocaretur. Poſtremò Deus ipſe ita mortalibus innotere voluit, cùm legem ferret, quæ Euangelium præceſſit. Per legem enim detegebat nobis ac manifeſtabat peccata noſtra, extremæ ſuæ ſententiæ ac iudicii metu nos territabat, vt peccata meritò nobis exoſa eſſe debeant, & nunquam in iis quiete frui queamus. Matt. 3. Act. 2. Act. 6. Exo.20.

Iſtud, inquam, pœnitentiæ principium eſt, peccata primò nobis perſpecta ſint oportet, ac deinde cordi metus iniectus, quod niſi fit, pœnitentia vera ſperari non poteſt. Principium dico ad pœnitentiam eſt, peccatum cognoſcere, & præterea metu affectum eſſe. Verùm non his ſolum partibus pœnitentia vera adimpletur. Quid igitur amplius ad eam requiritur?

Audi, quæ filius prodigus pergit dicere: Quãti mercenarii in domo patris mei, qui abũdant panibus! Hîc vides, quomodo ſuam miſeriam deteſtans, patris re-

ſpicit benignitatem, nec illi profuiſſet quicquam dicere: Fame hîc pereo, quin ad deſperationem potius inſeruiſſet, niſi patris clementia ſuccurriſſet memoriæ. Verùm non parum ſolatii adferebat recordatio paternæ domus, & patris in peregrinos quoſque ac mercenarios beneficentiæ. Hæc res illi ſpem dabat haud vulgarem. Et hoc ſecundum eſt, quod ad pœnitentiã ſpectat. Non enim ſufficit, peccatum & Dei iram videre, atq; ob eam terreri, tremere, plangere, ac mœrere, ſed ſperare quoque neceſſe eſt, & per ſpem diuinæ gratiæ animum reſumere. Nam alioquin deſperandum nobis foret. Quapropter etiam Deus nobis poſt legem Euangelium communicauit. Sic Ioannes quoque, cùm peccatores ad pœnitentiam accerſeret, errorum illos ac extremi iudicii commonefaciens, di-
Ioan. 1. gito demonſtrabat Chriſtum. Ecce, inquit, agnus Dei qui tollit peccata mundi.

Act. 2. Diuus Petrus, poſtquàm vehementer perterrefeciſſet populum, expoſtulando cum illo de ingentibus facinoribus, quæ in Chriſtum promiſſum ſuum Meſſiã deſignarat, incepit rurſus eum conſolari. Diuus Paulus, cùm quaſi fulmine ictus ad terram concidiſſet hor-
Act. 9. ribili voce (Saule quid me perſequeris?) tandem verbis animatus eſt conſolatoriis, quæ ſic de cœlo ad ipſius aures ferebantur. Surge & ingredere ciuitatem, & ibi dicetur tibi, quid te oporteat facere. Vbi illa duo concurrunt. Agnitio peccati & fides in miſericordiam Dei, timor & ſpes, ibi facilè homo reſipiſcit, quod clarè in filio Prodigo cernitur, qui ſtatim ad repetendam patriam ſeſe accingit.

Verùm vtrumque Deus in nobis operatur. Nemo adeò perſpicax eſt, vt peccata ſua intelligat, niſi Deus illi aperiat oculos, nemo credere poteſt, niſi datum illi ſit diuinitus. Chriſtus Paulum proſternebat, quem
2. Co. 3. ipſe rurſus erigebat. Non ſufficientes ſumus cogitare aliquid à nobis, quaſi ex nobis. Deus peccatum nobis per legem patefacit, peccatum per ſpiritum ſuum reprehendit,

prehendit, vtrunque nobis metum ac ſpem immittit, metu nos impellit, ſpæ gratiæ ducit. *Ioā.* 14.

Nemò tamen adeò impudens eſſe debet, vt auſit dicere: Si omnia à Deo proficiſcuntur, quid reſtat vt ego faciam? quis culpam aliquam in me transferet, ſi in peccatis permaneam? Non eſt volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei. *Rom.* 9. Non ſic fratres chariſſimi. His atq; id genus ſacræ ſcripturæ locis ſeſe excuſare quidem conantur filii huius mundi, ſed non niſi ſibi ipſis inſidias ſtruunt. Nam Deus gratia nos ſua ſemper præuenit. Ecce ſto, inquit, ante oſtium, & pulſo: *Apoc.* 3. ſi quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi ianuam, intrabo ad illum, &c.

Deus nunquàm deſinit, adhortari aut monere, nūc per verbum ſuū, nunc per internas inſpirationes, nunc per exempla, nunc per pœnas. Admonitiones ſunt, quibus nobis offert ſuam gratiam. Qua de re nemo vnquam iure dicet, ſibi gratiam percluſam eſſe. Niſi benignitatem Dei ſcriptura tantis præconiis commendaret nobis, videremur non iniuria noſtram prætendere infirmitatem. Iam verò omnibus notum eſt, quam Deus omni tempore paratus ſit, noſtram infirmitatem gratia ſua fulcire, niſi obſtaculum nos ipſi interponeremus. Non vult mortem peccatoris, ſed vt conuertatur & viuat. *Eze.* 18 Huic accedit quod Paulus habet in epiſtola quadam. Deus, inquit, omnes homines vult ſaluos fieri. 1. *Tim.* 2

Quocircà etiam ſcriptura paſſim docet, Deum in nullam rem tam acriter animaduertere, quàm ſi gratia ipſius reſpuatur. O Ieruſalem (inquit Chriſtus) *Mat.* 23. quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum congregat gallina pullos ſuos ſub alas ſuas, & noluiſti? Iuxta eandem ſententiam loquitur quoque Dauid de peccatore: Dilexit maledictionem, & veniet ei: & noluit benedictionem, & elongabatur ab eo. *Pſ.* 108. Ab hoc non diſſonat id quod Paulus in ſuo ſermone ad Iudæos dicit: Vobis oportebat primùm loqui verbum Dei, ſed *Act.* 13. quoniam

quoniam repellitis illud, & indignos vos iudicaſtis æternæ vitæ: ecce conuertimur ad gentes.

Nulli itaque mirum videri debet, ſi alius reſipiſcat, alius verò non. Sol ſplendorem ſuum in omnes mortales æquè porrigit, quem tamen videre non omnibus contingit. Ita quoque gratia Dei omnibus iuxta parata eſt & obuia, ſed non omnes eam expetunt & amplectuntur. Qui igitur vtriſque, vt dicitur, vlnis gratiam ſibi oblatam acceptat, is caſum peccatorum emendat, & vitam in melius inſtituit. Qui verò eam

Pſal.12. repudiat aut flocci facit, is ſibi interitum ſempiternum paratum exiſtimet. Deus illuminet omnium noſtrum oculos, ne vnquam obdormiamus in morte, & ne quando dicat inimicus noſter, præualui aduerſus eos. Amen.

SEXTVS SERMO,

Quinta Dominica Quadrageſimæ habitus.

AVdiuimus proximo ſermone, quæ filii prodigi fuerint cogitationes, poſtquàm diuinitus illi oculi eſſent recluſi, ita vt ſimul videre poſſet miſeriam ac inopiam ſuam, contrà verò aliorum felicitatem & rerum

Luc.15. abundãtiam. Quanti, inquit, mercenarii ſunt in domo patris mei, qui panibus abundant, ego autem hîc fame pereo. Quæ verba ſatis magno indicio ſunt, quid animus illi ſuggeſſerit, & quàm arctum laqueis Diaboli ſeſe irretitum conſpexerit.

Trifariam enim homines in Diaboli ſunt poteſtate. Alii non ſuapte ſponte, vt infantes ſacro fonte nõdum tincti, qui arbitrii libertate vti nondũm poſſunt, qui

Eph.2. nihilominus tamen filii iræ ſunt, propter peccatum,

quod

quod per primos noſtros parentes in omnes propagatur. Alii ſuapte ſponte diaboli imperio ſubiecti ſunt. Nam vltrò in peccatum ſeſe coniiciunt, vltrò in iis permanent, cùm tamen ſi integrum illis eſſet, facilè id declinare poſſent. Alii denique nihil magis exoptant, quàm diaboli liberari poteſtate. Verùm adeò peccandi conſuetudine corrupti ſunt, vt vel inuiti in ſordibus hærere cogantur.

Atque hi ſunt, qui per filium Prodigum ſignificantur. His tales in mentem veniunt cogitationes, hi tales gemitus & ſuſpiria ædunt. Quãti mercenarii ſunt in domo patris mei, qui panibus abundant, &c. Nam ſi quos alios conſpiciunt, qui tam grauem non ſunt paſſi caſum, vt ipſi opinantur, ſtatim ſecum cogitant. Vtinam ęquabilis tibi cũm illis eſſet probitas. Vtinam tam eſſes tibi benè conſcius, vt hic vel ille, quem conſcientia non torquet, qui Deum clementem ac propitium habet, qui panem in ſatis magna copia habet, cùm tamen non rarò fiat, vt is, cuius probitatem miſer peccator vſqueadeò admiratur, corã Deo vix mercenario æquandus ſit, eò quòd non æterna reſpiciat, & Deo tantum ſeruiat propter huius mundi diuitias, nec præmium aliquod æternum expectet.

Attamen beatum ſeſe exiſtimaret miſerrimus peccator, ſi modò qua vtitur talis mercenarius, & ſibi ea commoditate vti liceret. In tantas eum conſcientia cogit anguſtias, ex quibus explicare libenter ſe velit. Sibi ſoli omnium peſſimus videtur ac miſerrimus, ſe ſolum contemptum iacere putat, omnium fortunam ſuæ præfert, neminem non ſe meliorem iudicat, omnes optimè contentos opinatur, non aliud ſibi maius precatur, quàm vt infimum ſaltem gradum ſecuritatis poſſit conſequi, quæ eſt in domo Dei. Quomodo conſecuto, indignum putaret, ad maiora aſpirare, quãdo hic gradus ſibi poſſet ſatisfacere. Quanti, inquit, ſunt mercenarii in domo patris mei.

Reliqui Chriſtiani omnes in portu nauigãt, omnes

in maiore degunt ſecuritate, quàm ego, qui tametſi mercenarii ſunt, nihil tamen illis deſit, nulla panis anguntur penuria, conſolationem à Deo habent tam temporalem q̃ ſpiritualem, ego ſolus hîc fame pereo.

Vide his cogitationibus cõſcientia perturbatur peccatoris, qui in lucem tam profundam lapſus eſt, ſed ſine ingenti animi dolore atque moleſtia fieri non poteſt, quando homo conſpicit, ſe in locum tam profundũm deiectum eſſe, præſertim ſi nulla conſolatio diuinitus accedat.

Obſeruandum hîc obiter eſt, non omnes filios Dei eſſe, qui in domo patris aut permanet, aut ſunt, quiq; non propter hæreditatem, ſed propter mercedem ſeruiunt. Citius decem inuenias, qui Deo propter huius mundi tantum bona aut ex formidine quadam ſeruiant, quàm vnum qui ſeruiat Deo, propter ſe ipſum ex amore & filiali timore.

Quamobrem exilis illa gloria eſt, manere aliquem
Ioan. 8. in domo Dei, ſi non filii, ſed ſerui conditionem ſubeat. Nam ſeruus non manet in domo in æternum, tametſi annos complures ſeruiat. Nihilominus tamen ſatius eſt, aliquem ſeruum & mercenarium agere in domo Dei, q̃ prorſus extorrem fieri. Etenim ſeruus & mercenarius habet, qui ei victum ſuppeditat, cùm ille contrà egeat & fame perire cogatur.

Hîc interim notabis: Si Deus adeò bonus eſt, vt mercenarios, hoc eſt, eos, qui non ex charitate, ſed ex metu aut alterius temporalis commodi gratia aliquid boni faciunt, ſua mercede non fruſtretur: quo pacto filios ſuos fruſtrabitur ſi quid rectè & benè operantur? Si ſeruis omnium rerum copia ſuppetit, in domo Dei, quid putas filiis deeſſe poſſe?

Age, audiuimus, quomodo filius Prodigus in ſe fuerit reuerſus, poſthac audiemus, quomodo ratione ſua vſus ſit. Deus illi oculos aperuerat, quæ prima illi gratia præſtita fuit. Nunc audi, quomodo vtilem ſibi eam gratiam fecerit.

Primò,

Primò, vt modò auditum eſt, ipſe ſeſe reprehendit, quòd tanto tempore in difficillima & fœdiſſima ſeruitute tantum famis & miſeriæ perpeſſus eſſet, & adhuc pateretur, cùm tamen aliis in domo patris ſui ſeruitute honeſtiſſimè ac liberaliſſimè prouiſum eſſet.

Surgam, & ibo ad patrem meum, & dicam ei: **Pater,** *peccaui in cœlum & coram te, iam non ſum dignus uocari filius tuus, fac me ſicut unum de mercenariis tuis.* **Et** *ſurgens uenit ad patrem ſuum.*

Hoc demum eſt, quod ſcriptura in ſe reuerti dicitur, quando ſcilicet homo tale quiddam cogitat & loquitur, proponit & opere ipſo complet. Eiuſmodi rationem, ſcientiam, ſapientiam ac prudentiam docent ſacræ literæ.

Quid autem hinc ſequetur? Omnes eos, qui non ita cogitant & loquuntur, ſibi proponunt & faciunt, apud ſeſe nequaquam eſſe, etſi ab omnibus, ſapientia, eruditione, ac ingenio clari habeantur. Quorſum attinet, quòd mundus te ceu verum prudentiſſimum ſuſpiciat, cùm in rebus ſpiritualibus & coram Deo non aliter cogitas, loqueris, & facis, quàm ſolent ii, qui poti ſunt, inſani, & furiis agitati, quorum nullus apud ſeipſum eſt, nullus videre poteſt, quid bonum & honeſtum ſit, quidúe malum & turpe? Quæ illa prudentia eſt, ſi in rebus externis omnibus conſilio prodeſſe potes, tibi verò in iis, quarum maximè referebat, & cæcutis & hallucinaris? Miſerere animæ tuæ (inquit Sapiens) placens Deo. *Eccl.* 30.

Hinc iam veram diſcamus ſapientiam, & ad quid rationem ac intellectum noſtrũ adhibere debeamus. Surgam (inquit filius Prodigus) quo verbo abũdè indicat ſe lapſum eſſe, cùm non niſi lapſi ſurgere dicantur. Et ibo, dicit, quo ingenuè fatetur ſe hactenus ſtetiſſe, aut potius terga dediſſe. Ibo ad patrem meum (ait tertiò) Quo declarat ſe hactenus in manu Ty-

 ranni

ranni fuiſſe. Primùm iſtud argumentum eſt, ex quo intelligi poteſt, quòd in ſe reuerſus ſit. In peccatis cunctari amplius animus, non erat, peregrinæ regionis eũ cœperat ſacietas, diabolo ſeruire iam tædebat. Surgam, inquit, & ibo ad patrem meum. O pium animi conceptum! Iſtud erat verum principium ad pœnitentiam, ad gratiam, ad ſalutem. Nec aliud certè fuiſſe credendum eſt, quàm gratia Dei cooperans.

Videri quidem poſſet proprii ingenii & voluntatis ſtudium eſſe, ſed reuera Dei opus eſt. Nunquàm enim hoc cogitare homo aut in animum inducere poſſet, ſiquidem videmus, quàm tardi ad vitæ emendationem ſimus, licet nos Deus malis & calamitatibus infinitis exerceat & premat. Quis eſt, cui vitia, & vita flagitioſa nauſeam adhuc conciliarit? Quis eſt, quem in vltimis regionibus, hoc eſt, in mundo degere pigeat, vnde fides omnis exploſa eſt, & boni amor? Quis eſt, quem pudeat, quòd tanto tempore Diaboli porcis præfuerit, & in ſumma vitæ turpitudine ſiliquas vorarit? Nullus profectò eſt, quippe non caro, aut ſanguis tales ſuggerit cogitationes. Deus eſt, qui eas operatur & gignit in homine.

Mat. 16. Carnis & ſanguinis proprium eſt, vt peccatorem auocet à Deo, vt autem reſipiſcat & in concordiam cũ Deo redigatur, nuſquàm non gratia adſit oportet, hæc prora & puppis, vt dicitur, noſtræ reconciliationis eſt.
Oſee 13 Perditio tua (inquit Deus) tantummodo in me auxiliũ tuum. Cæterũ quibus modis Deus ſuppetias ferat peccatori, pulchrè in filio prodigo videre licet.

Primò Deus oculos illi aperiebat, vt cernere poſſet, quo in loco ſuæ res eſſent, & quarum rerum damnum eſſet paſſus. Hæc erat gratia præueniens.

Quod cùm altius mente pertractaret, primamque gratiam arriperet, pium in illo Deus excitabat propoſitum, ita, vt iam cogitaret ſibi diutius eo in loco non eſſe hærendum, ſed fuga quærendam eſſe meliorem fortunam, quoniam ex tali vitæ genere tædium

dium conceperat. Atque hæc quidem gratia erat incitans.

Cùm iam propoſitus iſtud ipſius animo penitus inſediſſet, maiore etiam deinde eum Deus gratia donauit, vt id quod propoſuerat, ipſo opere compleret, & hæc erat gratia cooperans. Surrexit (inquit ſcriptura) & venit ad patrem ſuum. Ad hęc gratiam quoque accepit iuſtificantem, qua iuſtus quis redditur, in eo quòd pater cadebat ſuper collum eius atque eum oſculabatur.

Poſtremò accepit etiam gratiam conſummantem aut perficientem, qua homo perfectus fit, in eò, quòd pater iuberet illum veſtiri atque cibari.

Quæ omnia ex hoc intelligere poſſumus, atq; id eò dico, vt cognoſcamus non niſi gratuitò fieri, quādo de peccatis ad Deum conuertimur, nec eſt, quòd quicquàm noſtris viribus aut arbitrio aſcribamus. Maximum, quod in hoc liberū arbitrium præſtat, eſt, ꝙ gratię obtēperat, gratiam amplectitur, atq; eam ſibi vtilem facit, cum alioquin ſerò vel nunquàm per arbitrii noſtri libertatem de peccatis poſſemus ſurgere, ſi nos deficeret gratia Dei, & non cooperaretur nobis, tam in principio, quàm in medio & fine.

Attamen noſtra quoque voluntas accedat neceſſe eſt: Qui creauit te ſine te, non iuſtificabit te ſine te, (inquit Auguſtinus.) Item Paulus: Non ego, ſed gratia dei mecum. 1.Co.15

Hæc veriſſima eſſe comprobantur in filio Prodigo, in quo præcipuè Dei gratia valebat & operabatur, ita tamē vt & ipſe ſuam operam adderet. Surgam, inquit, & ibo ad patrem meum. Ecquid amplius? Sequitur:

Et dicam ei: Pater, peccaui in cœlum & coram te, &c.

Principiò conſiderabis, quomodo nomen patris primo ſtatuerit loco. Vnicum & ſummum hoc illi reſtabat ſolatiū. Fiduciā ſuā in nihil aliud collocare po-

terat, quàm in hoc vocabulum patris. Ea quoque de cauſa Chriſtus vult, vt in noſtris orationibus patris
Matt. 6. præmittamus vocabulum. Quando oraueritis, inquit, ſic orabitis: Pater noſter qui es in cælis, &c. Eam videlicet ob cauſam Chriſtus paſſim Deum appellat patrem noſtrum, vt eò audacius eum accedamus. Ipſe
Ioã. 16. pater, inquit, amat vos. Et iterum, Scit pater veſter,
Matt. 6. quia his omnibus indigetis.

Secundò obſeruabis hic, quas humanæ menti cogitationes fides ingerat. Dicam (inquit) Pater, peccaui, nec vulgariter, ſed ſuprà quàm credibile eſt, & in cælum peccaui, non me tibi purgabo, ſed ſimpliciter confitebor me indignum omni gratia. Mihi ſatis erit, & hoc tantum rogabo, vt habeat me eo loco, quo habet vnumquemlibet ex infimis & mercenariis ſuis. Iſtud erat ipſius propoſitum, iſtas cogitationes non indit natura, ſed fides & gratia.

Hæc enim omnia cum natura quaſi ex diametro pugnant, quæ difficulter adduci poteſt, vt dicat: Peccaui, aut vt ſubmittat ſeſe, & indignam iudicet, cui aliquid beneficii cõtingat, ſed primas ſemper tenere vult, magnique haberi poſtulat. Quod ſi filius Prodigus ſuum ingenium & naturam ſecutus fuiſſet: ita dicturus fuerat: Dicam patri meo, Non ſatis intellexi, nõ malo dolo feci, quapropter in locum filii me recipe, æquum eſt, vt mihi præ cæteris nulla affinitate tibi cõiunctis benefacias, &c. Ratio ipſius tale datura erat conſilium, cui ſi obtemperaſſet, dici non poteſt, quantum ei obfuiſſet. Hac enim oratione patrem magis ad vindictam prouocaſſet, quàm quòd reddidiſſet eum exorabilem. Quam ob rem aliud Deus & fides vt cogitet, ei ſuadent.

Nam peculiaris cum Deo aut coram Deo agendi ratio eſt. Apud homines quidem non parum ad defenſionem facit, crimen inficiari, occultare, aut quocunque modo excuſare: at contrà ſi criminis confeſſio fit, non tantum cauſa deterior redditur, ſed reo certiſſima

mors

mors impendet, nam ſecundum confeſſionem ipſius, ſententia pronunciatur. Mirum ergo non eſt, ſi coram iudicibus hominibus ſui criminis confeſſor nemo libenter eſſe velit, ſed confeſſionem pœnis ac tormentis eliciendam eſſe.

Verum ſi coram Deo res agenda eſt, nihil prius neque melius eſt, quàm culpam admiſſam aperire & cõfiteri, quod quantò ſit ſimplicius & humilius, tantò citius in gratiam reditur, cuius rei non ignarus erat filius Prodigus, atque ideò ſic ſecum loquebatur: Dicam, Pater, peccaui in cælum & coram te: iam non ſum dignus vocari filius tuus, fac me ſicut vnũ de mercenariis tuis. Hæc proxima erat ad conſequendam gratiam via: hoc facere cogitabat, quod perficiendi haud moram interponebat.

Surrexit (inquit ſcriptura) & venit ad patrem ſuũ. Omni certe laude dignum eſt: alioquin quid magni præſtat, qui in proponendo ſibi multa præclara nullum finem facit, quæ tamen nunquam aggreditur, ſed de die in diem differt. Hic autem ſecus facit, ſed ilicò ſurgit, & ædes paternas repetit. Nam periculum eſt in mora. Qui ſentit iratum ſe habere Deum, ne feríetur, ne ceſſet, præſertim cum neſciat, ſi ſuperi hodiernis craſtina adiiciant. Ambulate dum lucem habetis (inquit Chriſtus) vt non vos tenebræ comprehendant. Dum tempus habemus (inquit Paulus) operemur bonum. Nouiſſima hora eſt, ait Ioannes. Item Eſaias, Quærite Dominum, dum inueniri poteſt, inuocate eum dum propè eſt.

Ioã. 12.
Gal. 6.
1. *Ioã.* 2
Eſa. 55.

Ex quibus manifeſtũ euadit, omnia verba filii prodigi, verba eſſe fidei. Qua fronte alioquin in conſpectum patris redire auſus fuiſſet, niſi benignitas & miſericordia illius, fuiſſet ei perſpecta? Vnde autem fidem hanc illum hauſiſſe credis?

Primò ex eo, quod anteà fuerat expertus, viderat & audierat. Secundò ex eo, quòd pater ſuus ſeruos & mercenarios honeſtè haberet. Tertiò idque potiſſimũ

ex eo, quòd cogitaret ſe filium eſſe. Ex his, inquam, talem fidem & ſpem hauſit, vt diceret: Surgam, & ibo ad patrem meum. Nõ parum ſanè ad rem facit, ſi peccator ſpem poſſit concipere, qua quandiu caret, non poteſt ſurgere, vel ſi ſurgat aut peccare deſinat, non ta-

Gen. 3. men ad Deum confugit, ſed longius à Deo recedit, quemadmodum Adam feciſſe ſcriptura perhibet. Qui verò eò peruenit, vt credat & ſperet, imperare ſibi nõ poteſt, quin dicat: Surgam, & ibo ad patrem meum. Item, Pater peccaui, &c. Quocirca neceſſarium imprimis eſt, vt fidem & ſpem concipiamus, quod factu haudquaquam difficile nobis eſſet ex promiſſionibus, quas pœnitentia in ſcriptura habet.

Non ſunt maiores vel etiam certiores vlla in repromiſſiones, quàm in pœnitentia, quas ex ſacris literis

Eze. 18 quiuis ſibi poteſt & debet colligere. Qui verò id non poteſt, is vnicam hanc promiſſionem memoriæ mandet. Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis ſuis (inquit Deus) omnium iniquitatum eius nõ recordabor, ſed vita viuet & non morietur. Nolo enim mortem peccatoris, ſed vt conuertatur & viuat.

Hier. 18 Et rurſus, Repentè loquar aduerſus gentem & aduerſus regnum, vt eradicem, & deſtruam, & diſperdam illud. Si pœnitentiam egerit gens illa à malo ſuo, quod locutus ſum aduerſus eam: agam & ego pœnitẽtiam

Zach. 1. ſuper malo, quod cogitaui vt facerem ei. Item, Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos. Ex his atq; id genus aliis ſacræ ſcripturæ locis, qui non rarò occurrunt, ſpem & fidem tibi hauri, imitare filium Prodigum, ne abſterreare multitudine & grauitate peccatorum. Dic & cogita: Surgam, & ibo ad patrem meũ & dicam: Pater, peccaui. Quod ſi feceris, certò tibi perſuade, Deum tibi fore patrem, tametſi grauius à te illum offendi contigiſſet. Quod ita ſe habere ex iis, quæ in parabola ſequuntur, apertè comprobabitur.

SEPTIMVS SERMO,
In die Palmarum habitus.

HActenus audiuimus, quàm commodè filius Prodigus in rectam redeundi viam ſeſe attęperarit, Dei gratia illum moderante. Primò ipſe ſibi diſplicebat, ſuimet exiſtebat reprehēſor, quòd ad iram patrem prouocaſſet, & ex ipſius ædibus profugiſſet, alium eumque barbarum quærens dominum, & ſubdulci prouinciam ſuſcipiens, cùm tamen alii in domo patris ſui ſeruitutis munera obirent honeſtiſſima & diuite mercede gauderent, nulla cùm cibi tùm potus inopia laborantes, ſibi verò nec ſiliquarum, quibus ſaginantur porci, parata eſſet copia, vt ſtomachum latrantem poſſet compeſcere.

Iſtud erat conuerſionis ipſius principium, iſta, inquam, illius contritio erat, quæ oriebatur partim ex conſideratione propriæ miſeriæ, quæ præmebatur, partim ex conſideratione omnium bonorum abundantię, quam in paternis ædibus conſpexerat. Quę duo cùm concurrerent ſimul, vera illinc naſcebatur contritio, quæ illum à Deo non diſiungebat, ſed Deo faciebat coniunctiorem. Vera enim contritio illa nō eſt, quam parit peccatorum enormitas, & horror diuini iudicii, nec peccator omnis ſiſtendus eſt, talis, inquam, contritio magis diuellit hominem à Deo, quàm quòd illum Deo conciliet, iramque Dei mitiget, quem- *Mat. 27.* admodum Iudas proditor exemplo nobis ſatis eſt, qui pœnitētia quidem ducebatur, quòd Chriſtum diuendiſſet, ſed quoniam pœnitentia ipſius ſolum ex conſideratione peccatorum & diuini iudicii proueniret, nihil ſibi de Dei miſericordia polliceri poterat,

rat, nec gratiam rogare auſus erat ad deſperationem tandem adactus.

Verùm ſi præter peccatum & Dei iudicium, benignitatis ſimul & miſericordię Dei memores ſimus, nec peccator propterea tantum dolore afficiatur, quod ipſe ſibi per peccatum condemnationem & iram concilia rit æternam, ſed propterea potiſſimum, quòd talem pa trem ad iram commouerit, peius illum habet indignitas & contumelia, qua optimum parentē affecit, quàm pœna, quàm ferre debet. Hæc demum peccatis contritio digna eſt, in qua ſeruilis timor mutatur in filialem timorem, aut in qua pulſo timore, ſuccedit cha-

1. Ioā.4 ritas. Alioqui enim ſi peccata tantum odiſti propter formidinem pœnæ, fieri non poteſt, vt animo verè contrito ſis, quandoquidem ex ſeruili tantum id fit timore. Et niſi ſupplicium tibi metum incuteret, futurum erat, vt nulla pęnitudo animum tuũ ſolicitaret.

Contrito vero, quæ ex filiali timore procedit, fructus producit haud alios, quàm quos in filio prodigo conſpeximus, vt ſcilicet homo dicat: Surgam, & ibo ad patrem meum, &c. Siquidem hi fructus ſunt, qui ex contritione manere ſolent, qui cùm abſint, fruſtrà te maceras, fruſtrà cruciaris, fruſtrà te conficis peccatorum recordatione. Peccatoris eſt dicere, vbi eum cōſcientia torquet: Surgam. Hæc ſeries & ordo procedendi eſt, vt ſurgatur per contritionem & pœnitentiā ſuper peccatis, vt ad patrem eatur per fidem, vt quis animo ſit demiſſo, per peccatorum confeſſionem, vt quis indignum ſe iudicet omni gratia, nec tamen dubitandum nobis eſt, quin Deus nos in gratiam ſit recepturus ex bonitate ſua ineffabili, & habiturus rationem ſuæ gloriæ, non noſtri meriti; veluti Dauid inquit: Mi

Pſal.50. ſereri mei Deus ſecundum miſericordiam tuam. Et

Dan. 9. Daniel, Non in iuſtificationibus noſtris proſternimus preces noſtras ante faciem tuam, ſed in miſerationibus tuis multis, &c.

Tali modo nos cum Deo agere oportet, ſi modò

gratiæ

gratiæ ipſius non omnino expertes eſſe velimus. Cor contritum & humiliatum non deſpiciet Deus. Quod quia verum eſt, audi, quæ Chriſtus de filio prodigo commemorare pergit. Pſal. 50

Cùm autem adhuc longè eſſet, uidit illum pater ipſius, & miſericordia motus eſt, & accurrens cecidit ſuper collum eius, & oſculatus eſt eum.

Hîc tandem Dei ſeſe profert benignitas, hîc tandẽ apparet, quantum in conuerſione & iuſtificatione peccatoris gratia Dei præſtet. Hactenus Deus quoque operatus eſt in filio prodigo, cùm alioquin ad peccatorum ſuorum et exilii agnitionem peruenire nõ potuiſſet, niſi gratia Dei præueniens illi oculos aperuiſſet. Quomodo enim tale propoſitum concipere potuiſſet, niſi illum gratia incitans traxiſſet?

Sed omnia huc vſque rectè & clam fiebant. Nemo adhuc virtutem Dei præſentem eſſe animaduertebat. Nemo gratiæ acceptum fert, quando peccatorum & impuræ vitæ mentem ſubit recordatio, & quando quis meliorem viuendi ingreditur viã. Hîc autem Dei gratia manifeſtò ſeſe exerit, in eo, quòd pater filio proceſſit obuiam; & in ipſius collum irruit, atque eum eſt oſculatus.

Verùm Deus quomodo peccatori aliter procedit obuiam, quàm ſi manum illi præbeat & gratiam largiatur, vt quod facere conſtituit, in ipſum producat opus? Iuxta quod occurſus talis nihil aliud eſt, quàm gratia Dei cooperans.

At amplexus & oſcula quid præterquàm gratiã nobis aliud referunt? per quam Deus hominem peccatis obnoxium iuſtorum catalogo aſſerit, & peccatorum illum exonerat mole? Nam quem Deus amplectitur & oſculo dignatur, eum non pro inimico, ſed amico: non pro ſeruo, ſed filio: non pro peccatore, ſed iuſto habet. Dignitatem & honorem peccator maiorem

conſequi non poteſt, quàm ſi Deus illum vtriſque vlnis excipiat, ac oſcula inſuper præbeat, amici, filii, & iuſti loco eum habens, nec non omnibus illius peccatis lituram inducens.

Porrò quæ peccatoris tanta ſunt merita, vt tam honorificè illum Deus exceperit? Reſponſio: Non hic meriti aliqua fit mẽtio, ſed Dei laudatur miſericordia, Filii quidem prodigi animus erat multa facere, ſeſe ſubmittere, nihilque non attentare, quò patrem ſibi placare poſſet. Prius verò, quàm verbum eloqueretur, imò priuſquàm ad patrem veniret, priuſquàm patrem conſpiceret, cùm adhuc longè abeſſet à domo paterna, iam pater omnem iram poſuerat, non poterat ſe continere, quin illi obuiam procederet, non expectabat, donec ingrederetur domum, non quid ſibi vellet rogabat, facilè ipſe coniicere poterat, quid eum moueret, & quæ cauſa reuerſionis eſſet. Nec expectabat, donec veniam admiſſi rogaret, ſed illicò in collum ipſius irruit.

Quo quid aliud nobis demonſtratur, quàm meræ eſſe gratiæ & miſericordiæ, quod in locum, vnde excidimus filiorum reſtituimur à Deo? Qua de cauſa etiam Chriſtus magnificiis, iiſque non paucis vſus eſt verbis, ex quibus id valide conuinci poteſt. Etenim iuſtificationem noſtram & peccatorum remiſſionem gratiæ Dei aſcribere cogimur. Gratia (inquit Paulus) ſaluati eſtis per fidem (& hoc non ex vobis, Dei enim donum eſt) non ex operibus, vt ne quis glorietur. Tale quiddam cecinit Ieremias inquiens, Miſericordiæ domini, quia non ſumus conſumpti.

Ephes.2

Thr.3.

Quanquàm verò noſtra quoque opera accedere debeat, & dolor ex intimis animi affectibus proficiſcens, nec non integra & ſincera voluntas ac ſtudium reſurgẽdi, ſimplex & minimè ſuperciliosa oris cõfeſſio, precum deniq; ſeueritas, nõ tamen nec pœnitudo, nec cõfeſſio, nec oratio aut externi pœnitentiæ ritus nos ex peccatis eximere poſſent, quinimò etſi pœnitentiæ dolo-

doloribus nos conficeremus, & ad inſaniam vſque peccatis confitendis impenderemus laborem, oleum tamē & operam, vt dici ſolet, perderemus, ad impetrandam peccatorum remiſſionem, niſi Deus ſe nobis gratuitò condonaturum ea promiſiſſet, niſi Chriſti beneficio, & merito nobis eſſet procurata ſalus, & nos ſua pœnitentia ac meritis impertiret.

Quapropter ſumma nobis cura adhibenda eſt, vt cùm pœnitentiam agimus, certum ſcopum propoſitū habeamus, Chriſtus tot verbis non temerè vſus eſt. Sed quæ tandem illa ſunt? Cùm adhuc longè eſſet. Hic iam vides illum nec propter animi humilitatem, nec propter confeſſionem in gratiam eſſe receptum, cùm neutrum adhùc feciſſet. Longè adhuc aberat à ſuo patre. At pater moræ impatiens continuò obuiam ei procedit, quod etiam fieri neceſſarium planè erat. Alioquin enim facilè accidere potuiſſet, & filio in mentem venire, quod illum potuiſſet abſtrahere, & ad fugam rurſus impellere, aut animum ipſius frangere, & in deſperationem coniicere.

Nā tametſi peccator opus ſibi proponat laudabile, gratiæ tamen illi adminiculo opus eſt, vt ad effectum poſſit perducere. Inconſtans humanum ingenium eſt, breui momento à bono deflectit, nunc bene faciendi amore quodam ſingulari tenetur, mox interuenit aliquid, quod boni recordationem è memoria penitus tollit. Nunc magna in Deum fiducia nititur, nunc animo prorſus concedit, & ita ſe habet, quaſi Deo res humanæ nihil ſint curæ, vbi profectò ſemper præſidio gratiæ opus eſt. Atque hanc quidem ob cauſam pater ei procurrit obuiam, ne ſit aliquid, quod peccatorem remorari poſſit.

Secundò, irruit in collum eius, quod paterni amoris argumentum erat, & oſculatus eſt eum, quo declaratur plena & perfecta reconciliatio & prioris iræ obliuio. Quo pacto familiariorem ſe & magis beneuolum exhibere potuiſſet? Quid illum vt hoc fa-

ceret

ceret commouit? Vidit filium. Ecquid amplius? Miſericordia motus eſt. Eadem quoque ratione Deus nõ biſcum agere conſueuit. Porrò quòd in collum adeò nobis irruere ſolitus ſit & oſcula figere, myſterio carere haudquaquàm putandum eſt. Collum iungit capiti reliquum corpus, & quaſi amicitiæ vinculis copulat. Cæterum quid collum aliud eſt, quo nobis Deum deuincimus & placamus, quàm fides? Collum Deus
Luc. 7. petit, eò quòd fidem imprimis amat. Fides tua (inquit ad peccatricem) te ſaluam fecit: & ad Centurio-
Matt. 8. nem: Sicut credidiſti, fiat tibi. Quid ſi igitur peccata noſtra ingenuè confitemur, dignos certè diuino oſculo facimus.

Sed tum nobis Deus præbet oſculum, quando ſuæ promiſſionis verbum, & quod maximum eſt, Chriſtũ filium ſuum nobis dat & offert. Ad quod quid eum mouet aliud, quàm quod miſeriam & aduerſam noſtram fortunam conſpiciat? Quomodo miſeretur pa-
Pſ. 102. ter filiorum (inquit Dauid) miſertus eſt Dominus timentibus ſe: quoniam ipſe cognouit figmentum no-
Eze. 36 ſtrum. Non propter vos (dicit Deus in Ezechiele) ego faciam, ſed propter nomen ſanctum meum. Quid multis opus eſt? Vnica illa voce, quam Chriſtus adiecit. Et pater miſericordia motus eſt, quicquid de Dei miſericordia literis proditum eſt, id totum approbatur confirmaturque.

Hæc iam memorari mente pertracta, hinc tibi ſolatium, ſpem & fidem cape. Nam propter te talia ſcriptis tradita ſunt, ne deſperationis periculum ſubires. Hîc incredibilem, gratiæ Dei magnitudinem cernis.
Luc. 15. Hîc vides, Deo gratius nil accidere poſſe, quàm ſi peccatorem ſui erroris pœniteat, ob cuius etiam mutatam mentem cęleſtis aula gaudio & lætitia tota perſtrepit.

Quapropter nullæ artes, nullæ machinæ & inſidiæ, nullę pręſtigiæ ac tentationes diaboli eò nos adducere debent, vt vinci nos patiamur & herbam illi quãtumuis multis modis ſolicitati porrigamus. Non te hoc

exemplum

exemplum fallet. Non te totamq; præclare Dei promiſſiones fruſtrabũtur. Ne admittas illum hominem, qui pœnitentiam eleuet, nec committas, vt in eius ſententiam deſcendas, vt credas poſt caſum ita gratiam omnem ſublatam eſſe, vt reparari amplius non poſſit, quod olim Nouariani aſtruere conabantur, quorum ſententia in peccatores adeò erat immittis, vt opinarẽtur, eos homines, qui in grauiſſima etiam perſecutione fidem abnegaſſent, minimè ad pœnitentiam vel recipi poſſe vel recipiendos eſſe, Dei eos committendos iudicio, nullam illis gratiæ ſpem dari poſſe. Cuius erroris patrocinium ex aliquot locis Pauli perperam intellectis ſumebant. Sed quem eiuſmodi doctrinæ genere fructum faciebant, niſi quòd multis ad deſperationem, occaſionem, præberent aut potius impellerent, quapropter etiam non iniuria hæreſeos cum notati, tùm condemnati ſunt. Aliud namque Euangelica loquitur doctrina. Chriſtus enim ipſe affirmat quodam in loco prædicationem pœnitentiæ, ad finem mũdi vſque continuandam eſſe, idque ſuo nomine. Præterea ad Petrum dixit: Non dico tibi vſque ſepties, ſed vſque ſeptuagies ſepties, dimittes fratri tuo. Quæ ſanè verba ſolatium nobis adferunt maximum.

Heb. 6. *Luc. 24.* *Matt. 18*

Sed quæris nunc fortaſſe, quis nobis eius vſus eſſe poſſit? An propterea freti miſericordia Dei, peccatis indulgere debemus? Aut num ſuperuacaneum eſt, orationibus vacare, ſarcinam peccatorum per confeſſionem deponere, & infimum ſe inter infimos ducere? Aduerte, quid fecerit filius prodigus. Nullum amplius iræ parentis ſignum videbat, ne verbulum quidẽ audiebat, quo à patre fuiſſet obiurgatus, comperiebat patrem in ſe non aliter affectum eſſe, ac ſi nunquàm ad iram eum commouiſſet, omnia ſibi ignota eſſe intelligebat, non tamen id, quod ſemel ſibi propoſuerat, obliuioni dabat, ſed animo ſummiſſo peccata confitebatur. Pater, inquit, peccaui in cælum & coram te, & non ſum dignus vocari filius tuus.

Huius

Huius verò ſpiritus longè diuerſiſſimus eſt ab eo, quo huius ſeculi homines præditi ſunt, qui Deo etiam dum irato ad pœnitētiam & confeſſionem adduci nequeunt, quid facturi eſſent proindè, ſi ſcirent, Dei in ſe iram mitigatam eſſe? At iſte non conquieſcit. Norat enim ſimplici & ingenua peccatorum confeſſione Deo nihil gratius eſſe poſſe, atque eum laudi ducere, ſi peccata & iniuſtitiam noſtrā vltrò detegamus per confeſſionem, ſecuti id, quod Ioſue olim dicebat,

Ioſue 7. Da gloriam Domino Deo Iſraël, & confitere.

Vltrà quod, tametſi filius Prodigus iam peccata ſua in corde faſſus eſſet, atque ob id paternum accepiſſet oſculum, attamen accuſator quoque ſui eſſe volebat oretenus, quo audire etiam poſſet oretenus verbum longè optatiſſimum, beneuolentiam & gratiam ſignificans. Quæ res profectò confeſſionem nobis quàm commendatiſſimam facere debet. Non magnoperè diſceptandum eſt, an confeſſio à Deo inſtituta ſit nec ne. Satis eſt, quòd hic audis, vtilem eam eſſe, Deo gratam, nec non ad ipſius ſpectare honorem. Subindè etiam conſolandus es oretenus, ſi mòdò velis, vt turbines & tumultus conſcientiæ tuæ componantur. Quid igitur vſq; adeò confeſſionem extimeſcis? Iudicium ſeculare tibi formidandum erat, vbi de ſuſpendio agitur, ſi ſemel furtum confeſſus ſis. Alacris ad confitendum Deo accedito, vtpote liberandus magno onere peccatorum. Sed hoc cura præcipuè, vt confeſſio tua cum fide coniuncta ſit, quocircà filius Prodigus ita inquiebat: Pater, peccaui. Fecit hoc ipſum quidem & Iudas, dum peccaſſe ſe non iret inficias, verū quia Deum patrem credere non poterat, pereundum illi fuit animum deſpondenti.

Secundò, vide diligenter, vt confeſſio tua verax ſit, ſolida & omnis excuſationis expers. Peccaui, inquit, non vulgariter, ſed in cælum. Nam homo in omnes creaturas delinquit, ſed potiſſimum in Deum. Quē-

Pſal. 50. admodum Dauid ait, Tibi ſoli peccaui, & malum coram te

ram te feci. Quapropter peccator etiam ſi cuncti illi mortales ignouerint, niſi à Deo quoque ignotum ſit, haud placido & tranquillo animo eſſe poteſt.

Tertiò, pari diligentia aduigila, vt confeſſio tua ex humili proficiſcatur animo. Non ſum dignus (inquit ille) vocari filius tuus. Hîc planè cernis, quomodo in Deum omnem gloriam transferat. Anteà illum patrem appellarat, nondum auſus filium ſe eius profiteri, quaſi dicere vellet, Feciſti atque etiamdum facis, vt patrem decet, ob quod non iniuria patris in te quadrat vocabulum, dignus es, qui pater voceris. Ego verò quia præter officium filii feci, nec vt æquum fuit te colui, indignus omnino ſum, qui filius tuus dicar.

Hæc confeſſio veram animi humilitatem teſtabatur, ad quam Deus non aures aduertere non poterat, tanquam ad rem longè ſibi gratiſſimam, nec poterat committere, quin gratiam cumulatim ei communicaret. Vbi inter cætera obſeruabis, decreuiſſe primò filium Prodigum rogare patrem, vt ſe in mercenariorum loco habere velit, quod nunc ſilentio præterit. Quando peccator agitatur conſcientiæ ſtimulis, tum præclarè ſecum agi putat, ſi vel inter infimos in domo Dei locum tenere ſibi contingat. Sed quoniam præter ſuam opinionem vltroneam parentis in ſe experitur benignitatem ac beneuolentiam, lubens mercenarii præterit vocabulum, non ignarus honeſtiorem filii, quàm ſerui eſſe conditionem.

Verùm iam mihi conſideres velim, an non venuſtè & pingui, vt ita dicam, Minerua, per parabolam ſit oſtenſum, quis modus & quæ ratio cum Deo & coram Deo agendi eſſe ſoleat. Quæ res ita animum noſtrũ permoueat, vt de peccatis ſurgamus, & ad Deum patrem noſtrum nos recipiamus, & humili deniq; animo noſtra confiteamur peccata, quæ gratiæ efficiamur participes.

OCTAVVS SERMO,

in cœna Domini de ſacra Synaxi, ſeu communione corporis Chriſti.

MAgna me ſpes habet circa hodiernam prædicationem, optimum quemq; chriſtianum ſecum animo recoluiſſe, quid hodierna dies ſecum ferat, & qua celebritate quibusque officiis ſit nobis tranſigenda. Nam alioquin ingens vitium & negligentia nõ ſatis culpanda iudicari poſſet, ſi quis nunc demum, quid nobis factu opus ſit hodie, cogitare incipiat, & per totum hocce Quadrageſimæ tempus ne ſemel quidem ea de re animum illius inceſſerit cogitatio. Non iniuria, inquam, accuſari poſſemus negligentiæ nos Chriſtiani, vt quibus hactenus tot tamque ſeueris adhortationibus calcar additum fuit.

Sed melius quiddam de vobis ominor, nec dubito, quin res ea vobis, ſicuti neceſſarium prorſus eſt, maiori curæ fuerit. Quo enim titulo alioquin Chriſtianum nomen defendemus, aut nos Chriſtianos eſſe cõprobabimus, ſi obliuioni tradamus id, quod Chriſtus tanta cum autoritate inſtituit, tam ſolennibus verbis denuntiauit, & charitate incredibili dedit ac diſtribuit, vnde omnium fidelium ſolatium ac ſalus pendet. Longè à nobis abſit, fratres dilecti, tantæ ingratitudinis ſcelus, abſit, inquam, vt Deum noſtrum ita flocci faciamus, vtque ſalutem noſtram, ſolatium & cæleſtia ac æterna bona in nullo pretio habeamus. Ignominia eſt, nos aliquando totius anni ſpatio parum vel nihil de Deo cogitare. Dictu horribile eſt, illum tam facilè à nobis contemni nonnunquam, & conuiciis atrociſſimis proſcindi.

Sed hoc imprimis omni animaduerſione, & ſupplicii genere dignum eſſet, ſi etiam in propria domo, in menſa, apud cibum ipſius, quem nobis ex ſingulari in nos beneficentia & charitate parauit, manum illi adferre velimus & pedibus eum conculcare. Quod in ſe Iudam proditorem facturum conquerebatur. Cui intinctum panem, inquit, porrexero, is tradet me. *Ioã. 13.*

Is verò haud dubiè Chriſtum pedibus conculcat, qui vel ipſum, vel menſam ipſius faſtidit, aut indignè ad eam accedit. Neutrum fit ſine ingenti periculo, ac rerum noſtrarum diſpendio, quod vt euitare poſſimus, magno ſtudio opus eſt ac diligentia.

Eccleſia mater noſtra fideliſſima per totũ hoc Quadrageſimæ tempus nihil magis in votis habuit, quàm vt vel ſemel cum filio Prodigo in nos reuerteremur paternitas reperituri ędes. Quod ſi quis ex parabola illa, ſeu ſimilitudine nondum animaduertere queat, vbi filius Prodigus adoleſcens inſolentiſſimus felicius egerit, in paternis laribus, an in externis regionibus cum porcis victum communem habens, is oculos adhuc aperiat, quoniam nunc demum res seriò agitur, nunc ad extremum peruentum eſt, ita vt alterutrum ſit neceſſariò faciendum, aut cum Chriſto & omnibus electis cibum capere, aut à Chriſti omniumq; electorum conſortio in perpetuum ſeparari ac diuelli.

Res non patitur moram, menſa adornata eſt, conuiuæ inuitati, hora nobis definita eſt, hodie dies illa eſt, ad quam comparere debemus. Qui itaque nondum ſatis norit, vtrum præſtabilius ſit, Deum pro patre, an verò pro iudice & hoſte habere, in gratia ipſius, an verò in indignatione eſſe, is ſine omni cunctatione ambigere deſinat, & curet animo deliberato vt ſit. Ego autem (inquit Ioſue) & domus mea ſeruiemus Domino. Nuſquam ſanè fratres dilecti commodius beatiuſque, quàm in domo patris noſtri viuitur. *Ioſue 24*
Hîc inter viros probatos & conuiuas honeſtos locum obtinemus, ibi inter porcos nobis viuendum erat: hîc

R 2 pane

pane veſcimur quantum ſatis eſt, ibi præter ſiliquas nihil erat, quæ tamen ad ſaturitatem vſque non ſuppetebant. Hîc benigno & clementi vtimur patre, qui nos abſque noſtra cura & ſolicitudine cibo tam temporali, quàm ſpiritali paſcit, ibi ſub Tyrãni Imperio eramus, qui vnicè hoc ſtudebat ſemper, vt cum corpori, tum animæ noſtræ vim adferret, ſicut in diuo Iob videre li-
Iob 1. cet. Quis igitur iam dubitet illos homines eſſe deplo-
3. Re. 18 ratos, qui adhuc in vtrunque latus claudicant, nondum certi videlicet, melius ne ſit & vtilius Deo an diabolo inſeruire, ignari adhuc, vtrum malint vlterius ſiliquas cum porcis vorare, an cum omnibus electis veſci cibo cæleſti in domo Dei.

Faxit Deus Opt. Max. vt nos & omnes Chriſtiani exactius rem iſtam conſideremus. Et præcipuum huius ſermonis negotium eſt, vt viam demonſtret, qua proximè ad domum patris perueniri poſſit, & vt nos alliciat ad menſam ipſius, neceſſe ſit perpetuò nos cibo porcis conſueto & ſiliquis veſci; neúe nos ipſi in porcorum naturam vertamur, inſtar pecudum viuamus, & animam exhalemus.

Eam nimirum ob cauſam, vt ne quid ignoretis, hoc in loco iam conuenimus, & magno nobis opus eſſet oratore nunc & viro eloquente, qui hoc nobis perſuadere poſſet. Ad quod perſuadendum quis magis diſertus eſt, quàm Chriſtus ipſe? Lege ſextum caput in Ioanne, viceſimumſextum in Matthæo, decimumquartum in Marco, viceſimumſecundum in Luca, vndecimum in prima epiſtola Pauli ad Corinthios. Quæ ſacræ ſcripturæ loca ſi parum apud te valeant, nec tantum poſſint efficere, vt afficiaris erga menſam Domini, & nauſeam concipias erga ſiliquas. Videre equidem nequeo, quî tibi ſuccurri poſſit.

Quæ omnia ſi te nihil mouent, audi obſecro, quid cum filio ſuo Prodigo benigniſſimus pater amplius ſe gerit. Proximò ſermone audiuimus, patrem filio reuertẽti obuiam proceſſiſſe, atque in eius irruiſſe collũ.

Quæ

Quæ patris humanitas ſpem & animum filio addebat: Vt animo ſubmiſſo, ac magnâ fiducia ad patrem diceret: Pater peccaui in cælum & coram te, &c. Nunc igitur quæ ſequuntur, pari diligentia accipe.

Dixit autem pater ad ſeruos ſuos: Citò proferte ſtolam primam, & induite illum, & date annulum in manum eius, & calceamentum in pedes eius, & adducite uitulum ſaginatum, & occidite & manducemus & epulemur: quia hic filius meus mortuus erat & reuixit, perierat & inuentus eſt. Et cœperunt epulari.

Omnia iſta verba optimè quadrant ad ſacram ſynaxin, ſeu cœnam noſtram Dominicam, quapropter etiam ita digeſſi ac inſtitui ſermones meos, vt ea hodie explicanda venirent. Nam tametſi omnes ſacrorum Bibliorum libros peruoluerem, videbam nullum locū ad præſentem diem tam accommodum eſſe, atque eſt hic textus, in quo diſertè docetur, qualem Deus nobis ſuis filiis cœnam pararit, & quid ad eam acceſſuri facere, vel quomodo nos poſt ſumptam gerere debeamus. Quocirca ſingula hæc verba excutiemus & ponderabimus.

Et primò quidem, non abſque ſingulari ratione & cauſa oſtenſum eſt, patrem ipſum non omnia præſtare ſolum, quæ ad filii ſui perditi reſtitutionem ac ſalutem pertinent, ſed ſeruos ſuam quoque addere operam oportere.

Pater ſuis functus erat partibus, filio aduentanti obuiam procurrerat, in collum illius irruens eumque exoſculans, omnis iræ, indignationis & iniuriarum oblitus. Id quod reliquum erat, ſeruis ſuis mandat: Proferte, inquit, ſtolam primam, &c.

Attamen huius ætatis naribus emuncti doctores & quibus per ſe ſapientia innata eſt, nugari nō verentur, dum dicunt: Nil moror ſeruos, ſi patrem fautorem habeam. Quid illorum mihi proderit officium, ſi am-

plexibus & oſculis me primò excipiat Deus? Et quod craſſius eſt. Quid ſacerdote vel ipſius abſolutione mihi opus eſt, cùm iam Deus me in gratiam receperit & condonauerit, quicquid in eum admiſi?

Quorum improbæ voci ita reſponſum ſit: Cauſam ex Deo ſciſcitare, cur hominem nocentem in gratiam recipiat, & poſtea tandem ad famulos dicat, vt illum induant & conuiuium illi parent non vulgare. Chriſtũ interroga, quo animo Lazarum iam mortuum ad vitam reuocarit, & poſteà demum Apoſtolis in mandatis dederit, vt eum diſſigarent. Si efficaci & omnipotenti ſuo verbo non ſolum vitam ei reddere potuit, verumetiam manibus ac pedibus vinctum ex monumento ſubleuare, potuiſſet etiam haud dubiè ſui verbi virtute compedes, quibus ligatus erat, rumpere. Sed iſthuc ſuis Apoſtolis faciendum reliquit.

Rom. 9. O homo tu quis es, qui reſpondeas Deo, & in ipſius opera inuehare? An nõ ꝓ beneficio agnoſcis, quod iuuet te, & iuuare ſemper paratus ſit, ſiue id faciat per ſe, ſiue per alia media? Nunquid ægrotus cum medico iure expoſtulabit, ſi morbũ propellat, ſiue medicinam per alios mittat, ſiue ipſe ægroto ſumendam præbeat? Si ſapit, nec ingratitudinis notam velit incurrere, habebit medico gratiam, vtro etiam modo ſibi conſultum fuit. Quòd ſi medicus potionem ſeu medicinam ipſe attulerit, cũ gratiarum actione eam infirmus accipiet. Sin verò per ſeruum mittitur, certus eſt eam non è ſeruo, ſed à domino & vero medico proficiſci.

Luc. 10. Huius rei exemplum pulcherrimum in ſacris literis extat de Samaritano, qui ſaucium ac vulneratum hominem in itinere conſpiciens, impoſuit in iumentum ſuum, ac deportauit in diuerſoriũ, atque illic eum hoſpiti meritorio commendauit, vt ipſius curam diligentem ageret, &c. Quo pacto iam vulneratus de iniuriis cum Samaritano agere potuiſſet, quo minus ipſe curam illius habuerit tantiſper, donec priſtinæ valetudini ſit reſtitutus? An non Samaritanus laudabiliter

liter ſatisfecit, quòd erga ſemiuiuum miſericordia affectus ſit, vulnera obligarit, in vmbram & ſub tectum reuexerit, ac deinde alios ſubſtituerit, qui neceſſaria ſubminiſtrarent, donec conualuiſſet?

Homines itaque impudentes, inepti vel potius ingrati ſint oportet, qui omnia ſibi à Deo ſine medio aliquo contingere volunt, Eccleſiam aut ipſius miniſtros nihil poſſe opinantes. At ne tibi hoc in animum ducito frater. Non enim Deus hîc ſe patietur finibus circumſcribi: Inuenit te in via procul à Hieroſolymis vera tua & cœleſti patria. Non autem inuenit te ſanũ, ſed ægrotum ac vulnere afflictum, hoc eſt, peccato originali infectum, ſemiuiuum, ac omni virtutum ornamento ſpoliatum, attamen tui miſertus eſt, peccatis te exonerauit, & in domum denique ſuæ Eccleſiæ per baptiſmum reduxit. Si quid porrò eſt, quod ad ſalutem tuam deſideretur, id ſeruis ſuis ſanctis Apoſtolis eorumque poſteris ſupplendum dedit. Ex his quicquid illud eſt, petere debes, nec alio modo tuis rebus ſuccurri poteſt, quandiu ſeruorum copia detur. Ea enim vbi deſit, Dei potentia illorum ſeruitio non aſtringitur, ſiquidem, quod per eos tanquàm inſtrumenta ſua ſeu media operatur, id præſtare quoque per ſe abſque illorum opera poteſt.

Sed ita factum eſt, ita illi placuit. Seruis ſuis duos denarios dedit, hoc eſt Verbum & Sacramenta, quibus ſubindè opitulari laborantibus debent. His verbis eos affatus eſt: Accipite ſpiritum ſanctum: quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis. Et tu quis es, qui voluntati illius oblatrare audeas? An oculus tuus nequam eſt, quia ipſe bonus eſt? Aut non licet illi quod vult facere? Sic ab eo definitum eſt, quod nec mutari poterit. Eccleſiæ ſubiicit, quem in gratiam recipit, ita inquiens: Qui eccleſiam non audierit: ſit tibi ſicut Ethnicus, & Publicanus. Quem amplectitur & oſculatur, cum ſuis ſeruis cõmendat, qui eum veſtimentis rurſus ornent, & cibo refocillent. Res aliter geri non

Ioã. 20.

Mat. 20.

Mat. 18.

Luc. 16. poteſt. Qui vos ſpernit, inquit, me ſpernit: qui autem me ſpernit, ſpernit eum, qui miſit me.

Hoc totum eleganter nobis refert vetus illa figura
Gen. 16. de Agar, cui cum Sara minimè conuenire poterat, ſuperbiebat & efferebat ſeſe eò, quòd cum Abram commercium haberet, cogitabat, poſtquàm ex ipſo prolem ſuſcepiſſet, nihil amplius curandam eſſe veram matremfamiliâs, nihil cedendum Saræ. Sed quibus verbis Dei Angelus eam allocutus eſt? Agar reuertere ad dominam tuam, & humiliare manu illius. Chriſtus Saram ſuam, hoc eſt, Eccleſiam omni honore vult affici, nec pati, vt illi contemptui ſit. Illi Spiritum ſanctum promiſit ac dedit: illi ac miniſtris illius tradidit claues, vnde etiam petendum eſt, quicquid ad noſtram ſalutem neceſſarium eſt, aut cũ Chriſti nihil commune habendum.

Atque hinc imperitia hominum ſeſe profert: qui dicunt, Quid mihi rei cum Eccleſia aut ipſius miniſtris, cum Chriſtum habeam auxiliatorem? Quid mihi cum ſacerdotibus, cùm habeam Deum præſentem? Quid ais bone vir? Si vis vt fides tibi habeatur, miſero peccatori nihil in Eccleſia aut ipſius miniſtris ſitum eſſe prius verbis Euangelii lituram inducere debebis: quæ Chriſtus protulit hunc in modum:
Ioan. 20 Accipite ſpiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta
Mat. 16. ſunt. Et ad Petrum, Tibi dabo claues regni cœlorum. Et quodcunque ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cælis: & quodcunque ſolueris ſuper terram, erit ſo-
Luc. 10. lutum & in cęlis. Item, Qui vos ſpernit, me ſpernit.
Matt. 18 Et rurſus, Qui eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus, & Publicanus. Atque adeò ſi fidem mereri cupis hoſtis Eccleſiæ, parabolam quoque de Samaritano, & filio Prodigo ex Euangelio auferre debes. Quàm diu enim iam cõmemoratæ ſententiæ & ſimilitudines reperiuntur & leguntur, nunquam Catholici tuis dictis vel verius nugis aures præbebunt.

Quam-

Quamobrem aliquid apud nos valere debet, quòd pater filio in gratiam recepto, id quod reliquum eſt, ſeruis demandet. Quid verò illud eſt? Citò, inquit, proferte ſtolidam primam, & induite illum.

Hic vides primò, quàm Deus omnis moræ ſit impatiens, quàm primum peccator ad ſui agnitionem venit, errata confitetur, & veniam rogat. Citò ait ad ſeruos: nam res non patitur moram. Vbi enim peccator ad hunc modum flagitia ſua & conſcientiæ tormenta perſentiſcit, & ita perplexus eſt, maturo opus habet auxilio, ne deſperando periclitetur.

Sed quod illud auxilium eſt? Proferte primam ſtolam, & induite illũ. Quæ veſtis aliud nihil eſt, quàm iuſtitia, innocentia, aut peccatorum remiſſio. At obiicis nunc, quî fieri poſſit, vt homo homini impertire talia poſſit? An non ſolus Deus eſt, qui poteſtatem habet dimittendi peccata, & iuſtitiam cõmunicandi?

Reſpondetur: Chriſtus non dicit, date ei ſtolam, ſed proferte. Ex ſua arca iubet depromi. Apud te (inquit Dauid) propiciatio eſt, miſericordia & copioſa redemptio. Deus in ſua arca reconditam habet, Chriſtus ſuis meritis. Ea filium reuertentem donat benignus pater, penes quem præcipua dimittendi peccata facultas eſt: famuli ſolummodò eam proferunt ex theſauro ſcripturæ ac meritorum Chriſti annunciantes & induentes illum per abſolutionem. Ex his nimirum audis, Chriſti mandatum eſſe ac præceptum, vt peccatore reſipiſcenti gratia annuntietur & abſoluatur in nomine Chriſti, aut vt liber dicatur & immunis ab omnibus ſuis peccatis, induaturque hoc modo veſte, hoc eſt, particeps fiat iuſtitiæ & meritorum Chriſti. Proferte, inquit, ſtolam primam, & induite illum. *Pſ.127.*

Propterea autem ſtolam ſeu veſtem appellat, quòd peccata tegat, vt Dauid inquit, Beati quorum tecta ſunt peccata. *Pſal.31.*

Prima ſtola ſeu pretioſiſſima veſtis vocatur eò, quòd mortalibus nihil melius peccata poſſit contegere, quàm

meritum

meritum & iuſtitia Chriſti, quæ hominem ad honorem & dignitatem ſummumq́; faſtigium euehũt dum per ea prima reparatur innocentia.

Quid præterea ſeruis iniungitur? Date annulum in manum eius. Peculiaris olim apud Ethnicos mos erat, ita vt annullorũ vſus quibuſdam licitus eſſet, nõnullis verò ſummum adferret probrum. Quam conſuetudinem hoc etiam ſeculum retinet. In quibuſdam ſtatibus dignitatis haud vulgaris inditio eſt. Inter coniuges datæ fidei ſignum eſt & monumentum. Quid igitur ſibi vult annulus, quem Deus in manum filii ſui reuertentis iubet dari: aut quid Chriſtus per annulum innuere vult?

Principiò intelligere nobis datur, nemini qui ad meliorem frugem redire cupit, recuſandam eſſe gratiam, nec quemquàm ob admiſſa præterita tantò peiorem eſſe reputandum. Queadmodum Petrum Chriſtus rurſus ſua dignabatur gratia, annulũ ei reddebat, priſtinæ illum prouinciæ ac dignitati reſtituebat. *Ioan. 21*

Secundò quoque annulus fidem repræſentat, quæ peccatori prædicari debet. Cæterùm diligenter hîc obſeruandum eſt, eum non dicere, Date illi annulum in crumenam aut ſinum, ſed in manum, quippè cùm fides non abſcondi debeat, ſed in manu, hoc eſt, in operibus ſeſe exercere, aut vt Paulus habet, per charitatem operari. *Gal. 5.*

Vnde rurſus palàm fit, quàm impiè quidam mundo imponant, & eum circunueniant, qui peccatori non in manum ſed in ſinum annulum dant, non viuam, ſed mortuam & otioſam fidem docentes, quæ tamen abſque operibus nulla eſt & inutilis. *Iaco. 2.*

Ecquid amplius peccatori faciendum eſt? Date calciamentum in pedes eius, inquit pater. Calciamenta conficiuntur ex corio bruti demortui, que in eum finẽ geſtatur, vt à ſentibus & lapidum aſperitate pes defendatur. Iis peccator etiam opus habet. Primò, vt exempla ſibi proponat eorum, qui ante nos vixerunt.

Secundò,

Secundò, vt fati ſui mortis ineuitabilis nunquam non memor ſit, quo futurum erit, vt eò longius in accepta gratia perſiſtat, nec in priorem turpitudinem prolabatur. Tertiò, vt diſcat quoque per ſpinoſas, aſperas ac difficiles vias Chriſtum ſequi, hoc eſt, non ſolum fidem per bona opera exercere, ſed patienti animo crucem & aduerſitates quoque perferre. *Eccleſ.7.*

Duplicia verò in libris diuinis nobis propoſita ſunt exempla, bona & mala. In epiſtola ad Hebræos varia Paulus cõmemorat exempla fidei antiquorum patrum, quibus hæc denique verba ſubiicit. Ideoque & nos tantam habentes impoſitam nubem teſtium, deponentes omne pondus & circunſtans nos peccatum, per patientiam curramus ad propoſitum nobis certamen, &c. Quo quid Paulus facit aliud, quàm quòd conſuat nobis calceos ex corio animantium mortuorum, hoc eſt, ex exemplis ſanctorum Dei? E diuerſo autem inquit alio in loco: Non ſimus concupiſcentes malorum, ſicut & Iſraëlitæ concupierunt; neque idololatræ efficiamini, neque fornicemur, neque murmuraueritis, &c. ſicut quidam eorum, & proſtrati ſunt in deſerto, &c. En rurſus hic noſtris pedibus Paulus adaptat calceos, ex hominũ improborum exẽplis, &c. *Heb.11.* *1.Co.10*

Id genus calciamenti opus habet peccator. Qua de cauſa ſeruis & Eccleſiæ miniſtris præcipitur, vt in pedes peccatoris pœnitentiam agentis calciamenta dent, hoc eſt, exempla tàm bonorum quàm malorum ob oculos ponant, quò ſciat pietatem ſectandã, malitiam fugiendam ſibi eſſe: veluti Dauid docet. Secundò, vt ſæpius illi memoriam renouent mortis & iudicii extremi, ſicut Ioannes facit in ſua epiſtola, vbi inquit: Filioli, nouiſſima hora eſt. Et Paulus, Omnes ſtabimus ante tribunal Chriſti. Tertiò, vt pœnitentem nõ modò ad bonorum operum ſtudium aſſuefaciant, verùm etiam doceant aduerſa fortiter toleranda eſſe. *Pſal.33.* *1.Ioã.2* *Rom.14*

Ex his cunctis liquet, quantam Eccleſiæ miniſter peccatoris curam gerere teneatur. Sed vbi ſunt, qui

ſuo funguntur officio? Non ſanè deſunt, qui cùm planè ignorant, quid muneris ſuſceperint, aut quibus modis pœnitentem tractare debeant, non tamen vereantur ſeſe ingerere talibus prouinciis, cæci nimirum ipſi
Mat. 15. & cæcorum ductores. Nonnulli quidem norunt, quid faciendum ſit, & quid ad rem pertineat, ſed laborem ceu peſtem fugiunt. Poſtremò non paruus in nobis defectus eſt, quòd ipſi nobis profectum in pietate remoramur, & veluti ſalutis beneficium inuidemus, in eo, quòd pœnitẽtiam noſtram & confeſſionem ad extremum vſque protrahimus, vno agmine tum & cateruatim accurrentes, ita, vt ſacerdoti impoſſibile ſit, vnumquemque prout neceſſum eſſet, informare.

An verò nòn piaculum eſt, vt cùm Deus tanta cum ſeueritate ſuis miniſtris præceperit, quid cum pœnitente agere debeant, nos ipſi tam oſcitantes ſimus & illorum in nos officii negligentes. Verùm id Deo committo quanquam ſæpius in talem ſocordiam inuectus vt vociferatus ſum, actum tamen egi, nec quicquam me profeciſſe video.

Audiamus nunc, quid vlterius ſeruis mandatum ſit:
Luc. 15. Adducite (inquit pater) vitulum ſaginatum, & occidite. Quæ verba quoniam pręcipuè noſtram reſpiciũt communionem, non immeritò ab iis hodiernam noſtram concionem auſpicati fuiſſemus, niſi ordine progrediendum eſſet.

Deus neminem ad menſam ſuam ſeu cõuiuium admittit, niſi prius veſtitus ſit, ornatus & idoneus. Quod
Mat. 22. ſi quis præter ipſius voluntatem ſeſe ingerit veſte nuptiali deſtitutus, is rurſus manibus ac pedibus vinctus eiicitur. Dicta hæc ſint noſtro ſeculo, vtpote frigido & ab omni pietate alieno. Accurrimus ad menſam Dominicã nunc ſine omni lege, nec pœnitentię, nec confeſſionis, multo minus vitæ reformandæ memores. At quantùm eiuſmodi incuria diſſideat à patris inſtitutione, ex his nemo non facilè intelligit.

Cultus quidam & præparatio ad hanc rem omninò neceſſaria

neceſſaria eſt. Cœna Chriſti non canibus aut porcis, ſed hominibus: non ſeruis, ſed filiis adornata & inſtructa eſt. Qui itaque fieri poteſt, vt Deus exhilaretur, vtq; gratum illi ſit, ſi cum tumultu, nulla ſeruata diſcretione, ita accurrimus & vltrò nos ingerimus nec veſte, nec annulo, nec calciamentis accincti? *Mat. 15.*

In ſumma, his ſolis cœna iſta ſalutifera eſt, qui per confeſſionem & abſolutionem veſte innocentiæ ac iuſtitiæ induti ſunt, per annulum fidei Chriſto vniti, & per viam obedientiæ cum impletione bonorum operum & aduerſitatum patientia fortiter tranſeunt, nec pertrahi ſe ſinunt vel ad dextrum, vel ad ſiniſtrum latus, vt Paulus ait: Vide, hoc ſibi volunt verba illa, quæ hactenus audiuimus, ab his auſpicandum eſt. Quo facto, pater inquit, Adducite vitulum ſaginatum, & epulemur. *2. Cor. 6*

Verùm enimuero quis vitulus ille eſt, niſi Chriſtus ipſe? Huc ſpectat figura illa de vitulo, cuius cruore Moyſes fœdus, quod Deus cum populo percuſſerat, confirmauit. Moyſes (inquit ſcriptura) ſumpſit ſanguinem ac reſperſit illum in populum, & ait: Hic eſt ſanguis fœderis, quod pepigit Dominus vobiſcum ſuper cunctis ſermonibus his. Hoc, inquam, Moyſes fecit non alia de cauſa, quàm quòd præfigurare & quaſi per vmbram oſtendere voluerit, Chriſtum aliquando ſanguine ſuo confirmaturum nouum teſtamentum. *Exo. 24.*

Hinc eſt iam vitulus noſter inſignis & ſaginatus. Quapropter qua Moyſes populum ſuũ allocutus eſt, eadem erga nos Chriſtus vtitur oratione. Accipite, & comedite: hoc eſt corpus meum. Accipite, & bibite ex hoc omnes. Hic eſt enim ſanguis meus noui teſtamenti, &c. Vitulum ſaginatum Deus ad vſum humani generis deſtinauit. Sic enim Deus dilexit mundum, vt filium ſuum vnigenitum daret. *Mat. 26.* *Ioan. 3.*

Quod autem Chriſto vituli ſaginati nomen attribuitur, id fit non ſine multis & grauibus cauſis. Primò, quòd in illo omnes theſauri diuinæ ſcientiæ & ſapien-

tiæ abſconditi ſunt. Secundò, quòd illo inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter. Tertiò, quòd
Col. 2.
Ioan. 11 eſt reſurrectio & vita omnium, qui credunt in ipſum.
2. Cor. 1 Quartò, ꝙ in illo ſunt omnes Dei promiſſiones, Amē. Quintò, quòd in ipſo habemus & Deum ſimul & omnium bonorum fontem. Qui me videt (inquit ad Phi
Ioan. 2.
Ioã. 14. lippum) is videt patrem meum. Et rurſus, Qui me accipit, accipit eum qui me miſit.

In ſumma: Si ſcire cupis, quàm pinguis & benè curatus ſit iſte vitulus, lege & audi, quid Chriſtus met in
Ioan. 6. Ioanne pronunciarit: Amen dico vobis, Non Moyſes dedit vobis panem de cœlo, ſed pater meus dat vobis panem de cœlo verum. Et paulò poſt, Ego ſum panis vitæ, ſi quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum, &c. Id genus verborum totum illud caput plenum eſt. Pater itaque ſeſe vertit ad ſeruos ſuos, præcipit Apoſtolis & eccleſiæ miniſtris, vt peccatori pœnitentiam agenti, adhuc tamen trepidanti, perterrito & puſillanimi, cœnam apparent, ita tamen vt nihil edulii præter vitulum ſaginatum Chriſtum apponant. Is enim eſt, qui homini peccatori famem poteſt ſedare, animi illius & conſcientiæ intemperiem compone-
Mat. 11. re. Ego, inquit, reficiam vos, & inuenietis requiem
Ioan. 6. animabus veſtris. Et alibi, Qui venit ad me, non eſuriet: & qui credit in me, non ſitiet in æternum.

Sed quomodo peccatori pœnitenti hic cibus parandus eſt? Occidite vitulum (inquit pater.) Non vſurpatur pro cibo: niſi mactatus. Quotieſcunque manducabitis cibum hunc (ait Paulus) mortem domini annunciabitis: tum gratiſſimus hic cibus eſt, tum Chri
1. Co. 11 ſtus ſuauiſſimus, in ipſius nempe paſſione. Nunquam peccatorum aliquis deſperabit, qui vulnera Chriſti animo verè recolet.

Ad hunc modum cibus iſte ſumendus eſt, vt interim mortis Chriſti non intercedebat obliuio. Hoc,
Luc. 22. inquit, facite in meam commemorationem. Quocirca Chriſtus mactatus eſt, & in cruce, hoc eſt, in igni charitatis

charitatis affatus, vt palatũ noſtrũ tantò magis oblectaret, & maior nobis eſſet de ipſo comedendi appetitus.

Poſt hæc pater ſubiicit. Manducemus & epulemur. Peractis omnibus, quæ ſeruis imperata ſunt, & vitulo parato, voluntas patris eſt, vt diſcumbatur & edatur. Ad hoc enim nobis Chriſtus datus eſt, vt ipſo fruamur. Non ſolum nãque videri vult & audiri, ſed etiã, idque præcipuæ à nobis manducari, nobiſque incorporari. Niſi, inquit, manducaueritis carnem filii hominis, & biberitis ſanguinem eius, non habebitis vitàm in vobis. *Ioan. 6.*

Quod fit duobus modis. Primò, ſpiritualiter per fidem & verbum Dei. Secundò, corporaliter ac viſibiliter in ſacratiſſimo ſacramento. Vtroque modo à nobis Chriſtus ſumi & manducari vult. Imperãdi modus eſt, Manducemus. Si Chriſtianum te verè profiteris, imperatum tibi eſt, vt non modo in Chriſtum credas, verùm etiam ſacramentum ſuſcipias.

Atque hic iam obſerua, aliam nunc orationis eſſe formã, quàm quæ hactenus fuit. Superius ad ſolos ſeruos pater locutus eſt, idque imperatiuè. Proferte, inquit, ſtolam primam, & date annulum in manum eius: &c. Nunc verò mutata ſermonis ſpecie, non ait ad ſeruos: Manducate aut efficite, vt alii manducent, ſed in genere loquitur: Manducemus, qua voce tam ſe, quàm cæteros omnes ſimul compræhendit. Peccatorem pœnitentem ſui conuiuii conſortem eſſe vult, vult quoque vt ſerui, & verbi diuini præcones accumbant, vult & ipſe pariter præſto eſſe. Manducemus, inquit, Nobiſcum ipſe conuiuatur, & nos cum illo. Hic eſt filius meus dilectus, (dicit) in quo mihi complacui. *Matt. 3.* Etenim cibus illius eſt, quo maximè gaudet & delectatur, quòd ſcilicet Chriſtus executus ea ſit, quæ ad vtilitatem & ſalutem humani generis faciunt. Secundò, verbum Manducemus propterea in plurali elatum eſt, vt hinc intelligamus, Chriſtum cùm in verbo ſuo, tum in ſacramento non vni tantùm, ſed omnibus

bus mortalibus proponi, vt qui nobis omnibus ſummè neceſſarius ſit ad ſalutem & ſufficiat. Opus illo habet peccator pœnitens, vt conſoletur, opus illo habet iuſtus, vt corroboretur, necà benefaciendi ſtudio deſi-
Ioã. 14 ſtat, quandoquidem ſine illo nihil poſſumus. Opus quoque illo habet miniſter, qui Euangelium & ſacramentum adminiſtrat ac diſtribuit. Manducemus. Tametſi omnes de illo comedamus, ſatis tamen & aliis
Ioã. 13. reliqui ſit, quinimò chriſtus integer remanet. Ieſus Chriſtus heri & hodie: ipſe & in ſecula.

Tertiò quoniam vocabulum iſtud Manducemus, de pluribus loquitur, ſignificatur nobis, quòd Chriſtus in verbo ſuo & ſacramento à nobis ſumi velit in vnitate & mutua dilectione. Ad hoc inſeruire nobis debet communio, atque eam adeò ob cauſam communio appellatur, vt omnes vnus panis & vnum corpus efficiamur, quemadmodum & de vno pane, & de vno calice
1.Co.10 participamus. Hic verus vſus eſt huius ſacramenti, quod vnionem & charitatem inter nos conciliare debet, vt quemadmodum Chriſtus neceſſitudinis vinculo copulari nobis voluit, ita & nos inter nos vnius ſpiritus & animi ſimus.

Sed iam aliud verbum ſequitur: Et epulemur ſiue gaudeamus. Non ſolum manducare nos conuenit, ſed etiam epulari & exporrigere frõtem. Quid ita rogas? Mortui eramus, ſed in hac menſa vitam recipimus, quoniam Chriſtus vita eſt: Perditi eramus, ſed hîc ſa-
Ioã. 11. lutem inuenimus. Nam Chriſtus ipſa ſalus eſt, vnde
Matt. 1. & nomen illi inditum fuit. Aduerte quoque verbum iſtud, Epulemur ſeu gaudeamus ſimiliter pluralis eſſe numeri. Quemadmodum enim cibus communis eſt, ita lætitia & gaudium commune eſſe debet. Quod ſi egenus de Chriſto ipſiusque gratia participabat tecũ, participem quoq; illum fac tuarum facultatum. Si cõmuni tecum gaudio in menſa domini exhilaratur, fac vt & tu ipſius cor gaudio aliquo reficias, vel potius tua liberalitate eſurientem ipſius ſtomachum ſubleues.

Idque

Idque tum verè dici poſſet, Gaudeamus, tum rectè commune gaudium appellari poſſet.

Alioquin inæqualis vitæ ratio eſt, vt cùm omnes ad vnam, atque adeò Dei menſam accumbamus, alius riſu penè diſſoluatur, alius luctu ſeſe conficiat, vt alius omnium rerum abundantia potiatur, alius fame diſcrutietur. Hoc non eſt dominicam cœnam manducare (ait Paulus ad ſuos Corinthios) Qua de cauſa? Conuenietibus vobis, vnuſquiſque ſuam cœnam præſumit ad manducandum, alius quidem eſurit, alius autem ebrius eſt. Inopem quoque exatura & ad hilaritatem prouoca, quem ſi Chriſtus ſua menſa & conuiuio non indignum iudicat, cogit iniquum eſſe illum abs te contemni & à tuo pane arceri. Quòd vbi fit, rectè ibi viuitur, & verum illud commune omnium gaudium eſt, vnde nemo ſecluditur. 1.Co.11

Vides opinor, q̃ multa optimo cuiq; Chriſtiano ex his verbis conſideranda veniant, quibus profectò nihil melius neque vtilius ad communionem & ſuſceptionem ſacratiſſimi ſacramenti cogitare poſſumus.

Huc tandem omnia redeunt. Ad menſam dominicam ire cupis? Vide, vt in veſte iuſtitiæ ſeu innocentiæ inueniare, hoc eſt, vt per pœnitentiam, confeſſionem & abſolutionem prius admiſſa ſcelera tecta ſint. Secundò diligenter attende, vt annulum in manu habeas, hoc eſt, veram & viuam fidem. Tertiò quoque cura, vt calceamentis pedes tui muniti ſint, hoc eſt, vt paratus ſis ambulare in via mandatorum Dei, & te totum voluntati ac ſeruituti Dei dedas, quéadmodum Chriſtus ſeipſum totum tibi tradidit.

Porrò veniens ad menſam domini, cogita, quàm ſit inæſtimabilis amor ac dilectio, quòd non ſolum mortẽ ignominioſam oppetere voluerit, ſed ita quoque ſe nobis attemperare, vt pro cibo nobis eſſet. Quapropter, quoties tibi ſacratiſſimum ſacramentum porrigitur, reputa tecum cibi præſtantiam, redeat tibi in mentem corpus illud eſſe, quod pro nobis traditum fuit,

ſanguinem, qui pro nobis effuſus, ſcias te in hoc ſacramento Chriſto incorporari & aduniri, & illum tibi. Pro quo beneficio par eſt, vt gratus erga ipſum ſis.

Abiens verò de menſa Domini, etiam atque etiam ſtude, vt proximum ſimili beneuolentia ac beneficiis tibi deuincias, quibus Chriſtus te ſibi deuinxit. Quod qui facit, communionem ſuam proculdubio piè, & vt hominē Chriſtianū decet, executus fuerit. Deus Opt. Max. nobis omnibus ſuam largiri gratiam dignetur.

NONVS SERMO,

In Die Paraſceues, vel potius præfatio de paſſione Chriſti.

QVando mētem meam ſubit recordatio, fratres chariſſimi, cur hoc in loco hodie conuenerimus, & quantum laboris mihi incumbat, me non parum conturbari, ingenuè fateor. Tāta enim materiæ, de qua dicendum mihi eſt, magnitudo eſt & ſublimitas, vt maior eſſe nō poſſit, nec vllo vnquàm ſeculo extitit, qui de ea abundè ſatis, & vt neceſſum fuiſſet, dicere potuiſſet. Quin imò verò doctiſſimi quique, quos vnquam Eccleſia habuit, impares ſe agnouerunt, ad diuinum iſtud opus pro dignitate, & vt æquum eſt explicandum exornandumque. Ego itaque quid auderem, cui tametſi facultas & ingenium eſſet, non tamen tantū ſuppetit tēporis, vt vel de minimo ſatis cōmodè poſſim dicere.

Quid enim in terris vnquam admirabilius geſtum eſt, quàm quòd filius Dei propter genus humanum in crucem agi mortemque oppetere voluit? quid hominis magis ſuperat rationem? Pro quo beneficio omnes electi magis grati eſſe debent? Quid omnes Angelos

in

in ſtuporem & admirationem magis vertit, quàm inſcrutabile iſtud Dei conſilium & voluntas? Quis igitur non pertimeſcat horreatque de re tam ardua tam breuiter dicere?

Vnum me conſolatur, quòd cùm omnes Chriſtiano titulo inſigniti ſitis, ſperem vos tale opus melius apud vos conſideraturos, quàm ego in tam exiguo temporis ſpatio poſſim enarrare. Quapropter nihil iam occurrit, quod conducibilius eſſe exiſtimem, quàm vt vobis commonſtrem, quid vobis curæ potiſſimum eſſe debeat, quibus rebus niti vt plurimum & in quo pietatis ſtudia exercere vos maximè conueniat. Da ſapiēti occaſionem (inquit Salomon) & addetur ei ſapientia. Quo pacto autē paucis verbis maiorem vobis præbere poſſem occaſionem, totam Chriſti paſſionem & quicquid eam contingit, contemplandi meditandique, quàm vt vobis in memoriam reuocem, animisque veſtris infigam verba, quæ ex parabola ſeu ſimilitudine filii Prodigi proximè audita ſunt? Adducite (inquit pater ad ſeruos ſuos) vitulum ſaginatum & occidite. Manducemus & epulemur. His verbis licet contractis bonus quiſque Chriſtianus totam paſſionis ſeriem cōplecti poteſt, non hiſtoriam modò, ſed fructum quoque & verum ipſius vſum. *Prou. 9.* *Luc. 15.*

Quid aliud fuit chriſtus in ſua paſſione, quàm obeſus & bene ſaginatus vitulus, cuius ſanguine nouum teſtamentum confirmatum eſt? Porrò quid paſſionis hiſtoria nobis recenſet aliud, quàm quomodo vitulus iſte ad mortem ductus & mactatus ſit? Quę omnia cur geſta eſſe credimus, niſi vt homo, qui mortuus fuerat, vitæ reſtitueretur: qui perierat, rurſus inueniretur? Denique hiſtoriam de paſſione Chriſti in quem vſum melius collocabimus, quàm ſi iuxta patris verba, manducemus & epulemur? *Mat. 26.*

Nemini autem mirum videri debet, quòd hodie rurſus manducare iubeamur. Admonui vos proximè, duplicem eſſe manducandi modum, ſpiritualem & ſacra-

mentalem, vtroque modo Chriſtum velle, vt ſe veſcamur & victitemus. Heri in ſacratiſſimo ſacramẽto corpus & ſanguinem ipſius accepimus, hodie ſpiritualiter nobis accipienda ſunt. Heri totum Chriſtum vno bolo nobis incorporauimus, hodie inſtar mundorum animantium facere debemus, ſumptum cibum repetere ac ruminare & veram dulcedinem inquirere. Heri in genere audiuimus Chriſti corpus pro nobis traditum eſſe, & pretioſum ipſius ſanguinem pro nobis effuſum; hodie ſingulæ partes nobis excutiendæ ſunt.

Iſtud eſt, Manducemus. Ad hunc modum mãducare debemus. Quod ſi fit, perſuaſum nobis ſit certò, alterum quoq; animi nẽpe lætitiam ſubſecuturã. Quãquam enim materies per ſe triſtis eſt et mœrore plena, fructus tamen, qui inde naſcitur, lætus eſt & optabilis. Atque eam adeò ob cauſam Chriſtus cœleſti & æterno gaudio poſthabito, in miſeriam & calamitatem hãc ſeſe dimiſit, vt nos ſaltem ad verum & perenne gaudiũ proueheret. Age, totius rei ſumma iam in hoc eſt, vt duo memorabilia in paſſione expendamus.

Primò, quomodo Iudæi vitulum iſtum noſtrum ſaginatum, Chriſtum, ad extremum ſupplicium traxerint, & per Gentiles affecerint morte. Secundò, quomodo illo veſci debeamus. Illis dicebatur: Adducite vitulũ & occidite, hoc eſt, permiſſum illis à Deo fuit, vt caperent Chriſtum & cruci affigerent. Honeſtiori munere non erant digni, quàm vt lictores, carnifices, & homicidè fierent in ſuum Meſſiam, ac facinus patrarent, nunquam anteà inter mortales auditum. Ad hoc Deus illorum obſtinata malitia, æquiſſimo ſuo iudicio vti voluit.

Nobis autẽ dicitur, Mãducemus, & lętemur. Ad hoc gratuita Dei benignitate vocati ſumus, quocircà maiores tanto illi debemus gratias, quòd nobis ad ſolatium & gaudium perpetuum in terras miſerit filium ſuum, in quem alii grauiſſimè deliquerunt. Quò magis etiam opera nobis danda eſt, vt illorum cognitio

errore & lapſu, nobis proſpiciamus, ne & nos impingere contingat.

Veriſſimum enim eſt, quod Paulus literis prodidit: *1.Co.1.* Crucem ſeu verbum crucis Iudæis ſcandalum eſſe, Gẽtilibus ſtultitiam, nobis verò virtutem Dei & ſapientiam. Quod ita ſe habere paſſio apprimè demonſtrat: Iudæi impegerunt, atque ita prolapſi ſunt, vt necdum ſurrexerint. Chriſti ſanguis ſuper illis & filiis illorum *Matt. 27* manet pro ſempiterno ſupplicio, quod ipſi ſibi imprecati ſunt. Satis grauiter quoque ludibriis & conuiciis Gentiles Chriſtum inceſſerunt, & in eum debacchati ſunt in coronatione primò, deinde in cruce.

Latro in cruce, Ioſeph vir optimus & Nicodemus, nec non pientiſſima mater & Ioannes ſub cruce cum aliis quibuſdam fœminis ſanctitate nobilibus ſoli erãt, quos tum Chriſti crucifixi non pudebat. Inter hos facite chariſſimi fratres, vt inueniamur. Neminé moueat, quòd perſonæ iam dictæ, tum temporis in ſumma animi anxietate & mœrore fuerint. Gaudium illorum præter opinionem citius ſequebatur. Quamobrem paſſionis hiſtoriam nunc aggrediemur.

SERMO DECIMVS, *in die Paſchatis.*

MAnducemus & epulemur, nam mortui eramus, & reuiximus: perieramus, & inuenti ſumus. Qui proximè pręterito die Iouis cõcioni meę interfuit, nõ ignorabit me in enarratione ſimilitudinis de filio Prodigo ad eum vſque locum progreſſum eſſe, vbi Lucas ait: Et cœperunt epulari. Eodem quoque nos omnes deueniſſe in conſcientia noſtra, magna me in Deum ſpes habet, re-

 ſur-

ſurrexiſſe nos de peccatis, ad verum noſtrum patrem cæleſtem conuerſos eſſe, & per humilem pœnitentiā, rurſus adeptos eſſe veſtem iuſtitiæ ac innocentiæ, annulum fidei, & calciamentum voluntariæ obedientiæ, ambulandi poſthac in præceptis Dei. Spes, inquam, me habet nos iam ad menſam ſedere, contemplari & demirari ſummam Dei in nos beneficentiam & gratiā, qua nos præter meritum noſtrum impertit, frui denique & experiri gratiæ ipſius dulcedinem.

Eò vſq; nos omnes progreſſos eſſe confido, atque ita fieri oportuit, hoc Paſchatis à nobis requirit feſtiuitas. Et cœperunt epulari. Tranſitus fuerit neceſſe eſt: nam alioqui non rectè Phaſe appellatur & genuinum ſuum
Ioā.13. vocabulum amittit. Et quemadmodum Chriſtus hoc Paſchatis die, ex mundo ad patrem, de morte ad vi-
Luc.24. tam, & de cruce ad gloriam tranſiit ac commigrauit; ita nobis quoq; de peccatis ad iuſtitiā, de vita priori ac veteri in nouam tranſeundum & proficiſcendum eſt.

Hoc, inquam, Paſchalis iſte dies à nobis poſtulat. Peſſimè idcircò cum illis agetur, qui in terris adhuc exteris degunt, & ſiliquis delectantur. Quis illinc eos auellet, quos tam multiplices adhortationes & exempla non permouerunt? Serò ad peccatorum cognitionem venient poſthàc, quibus, vt cognoſcerent, in paſſione ſtudio non fuit. Paucorum animos de ſupremo Dei iudicio ſolicitabit cogitatio, poſtquàm in paſſione Chriſti animo non fuerint perculſi. Quis nunc faciet, vt cupidi ſint ad menſam patris ſui, cùm tanta eos dilectio non pertraxerit, quam vidimus & experti ſumus proximis his diebus? In maximo profectò diſcrimine verſatur, quem cōmune Eccleſiæ exemplum ad pœnitentiam non compulit, Chriſti paſſio non cōmouit. Paſcha non ſummoperè exhilarauit.

Sed meliora de vobis omnibus ominor. Ac ea de cauſa vos iterum hodie vt in proximis duobus ſermonibus feci, compellare volui. Manducemus & epulemur. In ſacratiſſimo ſacramento & paſſione Chriſti noſtri

noſtri conuiuii principium eſt, quòd hodie abſoluitur perficiturque. Viuificabit nos (inquit Oſee) poſt duos dies: in die tertia ſuſcitabit nos. Oſeæ 6.

Hodie dies illa eſt, in qua illud nobis expectandum fuit, aut potius iam accepimus. Hæc eſt dies, quam fecit dominus, dies ſancta, dies nunquam tranſitura, dies lucis & lætitiæ, dies immortalis gloriæ & decoris, dies in qua omnis noſtra miſeria finem conſecuta eſt, contrà verò gaudium initium cœpit. Hodie nãque apparet gratiam Dei omnibus noſtris peccatis longè maiorem eſſe, hodie conſpicimus Chriſtum ſuperiorem longè eſſe morte ac diabolo. Hodie demum experimur, quid vocabulum illud poſſit, quod Chriſtus in cruce veluti cygneam cantionem edidit: Conſummatum eſt. Etenim læti iam canere poſſumus: Chriſti pugna fortiſſima, ſalus noſtra eſt vera. Iam ſcimus Chriſtum victorem eſſe mortis & inferni. Iam ſcimus Diabolum nihil amplius poſſe in fideles. Iam ſcimus Deo ſacrificium Chriſti pro peccatis noſtris gratum fuiſſe & acceptabile. Traditus eſt enim propter delicta noſtra, & reſurrexit propter iuſtificationem noſtram. Et in ſumma iam certò cognouimus nos cum corpore reſurrecturos. Quemadmodum enim IESVS mortuus eſt & reſurrexit, ita & Deus eos, qui dormierunt per IESVM, adducet cum eo. Et ſicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Chriſto omnes viuificabuntur. Pſ. 117. Ioan. 19 Rom. 4. 1. Th. 4. 1. Co. 15

Hæc eſt dies, quam fecit Dominus: Gaudeamus & epulemur, nam mortui eramus, ſicut & filius Prodigus fuit, & reuiximus: perditi eramus, & inuenti ſumus. Adam nos peſſundedit, Chriſtus redemit: Si quid incommodi illinc acceptum eſt, hìc nobis hodie eſt reſarcitum. Quare gratulari nobis debemus Chriſto noſtro exiſtente conſolatore, qui niſi reſurrexiſſet, actum de Chriſtiano orbe fuiſſet, omnes adhuc in peccatorum ſordibus hæreremus morti obnoxii, vana eſſet fides & ſpes noſtra. Pſ. 117.

Deo autem gratias, qui dedit nobis victoriam per 1. Co. 15

Dominum noſtrũ IESVM Chriſtum. De talibus gratiæ operibus manducemus & lætemur. Exẽpla ex Apoſtolis ſumamus, qui in paſſione Chriſti non ſolum diſperſi & mœſti, ſed ad extremam diffidentiam adacti mortuis ſimilimi erant, neq; id iniuria, nam ſolatium illorum in vnico Chriſto poſitum erat, qui iam è medio ſublatus erat. Audire iam cogebantur. Alios ſaluos fecit, ſeipſum non poteſt ſaluum facere. Si Rex Iſraël eſt, deſcendat nunc de cruce, confidit in Deo, liberet nunc eum ſi vult: dixit enim, quia filius Dei ſum. Quid mirum, ſi diſcipuli tum temporis dubitarint, num vera illorum in Chriſtum eſſet fides? Tempus illis proculdubio triſtiſſimum fuit, cùm animo vſq; adeò perplexi eſſent. Quid enim conſcientiam hominis magis diſcruciat, quàm cùm in biuio ita hærere cogatur, incertus de ſua fide & an gratiæ ſpes aliqua ſuperſit nec ne? Hoc, inquam, ſancti Apoſtoli & diſcipuli in paſſione Chriſti experti ſunt.

Mat. 27.

Hodie verò in reſurrectione Chriſti, omnium rerũ mutatio facta eſt. Qui anteà opinabantur Chriſtum filium Dei eſſe non poſſe, poſtquàm de cruce non deſcendiſſet mortem oppetens, confuſi ſunt. Qui anteà animo puſillo & conſternato fuerant, confirmati ſunt & gaudio affecti, atque ita, vt gaudium eorum ab illa hora, nemo ab illis tollere potuerit, ſicut illis à Chriſto fuerat promiſſum. Lege Euangelia, ex quibus intelliges, quo pacto gaudium in illis initium ceperit, ac creuerit, ac poſtmodum completum ſit, quõ eo vſi ſint & alter alteri id cõmunicarint, & in ſumma quomodo per totum illum diem non conquieuerint, donec omnium corda perfecto gaudio repleta eſſent.

Ioã. 16.

Iſtud illorum paſcha erat: Exemplum hinc nobis ſumamus, ita loquamur nos quoque, ita cogitemus & faciamus. Ad quod meritò adducimur, quãdoquidem ad ſolatium noſtrum & vtilitatem perpetuam ſpectat. Quocircà paulò plura de iſto feſto mihi dicenda duxi, quò abundantius in domo & in menſa patris noſtri

gaudere

gaudere queamus. Decreui autem non egredi terminum verbi illius, quod Chriſtus in cruce protulit. Conſummatum eſt, oſtenſurus videlicet, quam multę figuræ & ſcripturæ veteris teſtamenti in Reſurrectione Chriſti adimpletæ ſint. Totum ad id nobis inſeruire debet, vt cum filio Prodigo tanto maiore lætitia perfundamur. *Ioã. 19.*

Primò in confeſſo eſt, rem nullam in tota ſacra ſcriptura toties expreſſis verbis nunciatã eſſe, & tectis figuris ſignificatam, quàm ſalutaris Paſſio & lætiſſima Reſurrectio Chriſti ſignificata fuit. Neque id iniuria, poſtquam ex illis duobus omnis noſtra ſalus pendeat. Paſſio Chriſti peccata noſtra abſorpſit, Reſurrectio ipſius vitam nobis attulit. Horum itaq; duorum potiſſimum Deus ſuis fidelibus iam inde ab initio ſpem dedit, Meſſiæ morituri & reſurrecturi à mortuis. Quæ duo non verbis tantum illis prædici, ſed figuris ac exéplis veluti ob oculos poni curauit. *Apoc. 1.*

Quod vt verum eſſe fateamini, aliquot ex ſcripturis loca & figuras commemorabo, præbiturus interim vobis occaſionem ea de re plura inquirendi. Quapropter audi id, quod Dauid de Paſſione & Reſurrectione Chriſti cecinit. Beatus vir, inquit, qui intelligit ſuper egenum & pauperem: in die mala liberabit eum Dominus. Dominus conſeruet eum, & viuificet eum, & beatum faciat eum in terra: & non tradat eum in animam inimicorum eius, &c. Totus hic pſalmus haud dubiè de Paſſione & Reſurrectione Chriſti ſcriptus, & cantatus eſt, cuius rei euidens teſtimonium eſt, quòd ipſe Chriſtus verſum ex eodem pſalmo in ſuum proditorem protulit ac interpretatus eſt. *Pſal. 40*

Poſtquam enim ſuorum diſcipulorum pedes lauiſſet, ac interim pulcherrimis vſus eſſet verbis: inter reliqua ita ait: Non de omnibus vobis dico: ego ſcio, quos elegerim. Sed vt adimpleatur ſcriptura. Qui manducat mecum panem, leuabit contra me calcaneum ſuũ. Hic verſus, atque adeò eadem verba in illo *Ioã. 13.*

Pſalmo continentur, ex quo liquido patet, totum pſalmum de Chriſto agere ab initio ad finem vſque.

Primò enim, quis pauper ille, egenus & miſerabilis eſt, cuius Dauid rationem haberi tantoperè velit, vt beatum illum hominem prædicet eique bona plurima denuntiet, cui egenus iſte & pauper curæ ſit. Alioqui non minimũ inter pietatis opera habetur & omni laude dignum iudicatur, ſi quis pauperum memor ſit, illorum calamitatem conſideret, illis condoleat & opituletur. Maius quiddam ac laudabilius eſt, ſi quis intelligat ſuper illum, qui animæ & conſcientiæ morbo laborat, eique & re & verbis ferat opem. Dauid autem, quemadmodum numerus ſingularis innuit, hoc loco non de quouis, ſed peculiari aliquo paupere & egeno loquitur. Non dicit: Beatus qui intelligit ſuper egenos in genere, ſed qui intelligit ſuper egenum ſingulariter. De certa quapiã perſona paupere loquitur, cui peculiariter vult, vt benefaciant homines in egeſtate ſumma degenti. Quod qui facit, beatum illum appellat, bonorum vim inæſtimabilem ei promittit, vt cui ob hoc ipſum gratia & auxilium à Deo tam tẽporale quàm ſpirituale continget.

Quis igitur pauper hic, & egenus alius eſt, quàm Chriſtus in ſua paſſione? Et quæ ipſius demum fuit calamitas? Inimici mei, inquit, dixerunt mala mihi, quãdo morietur & peribit nomen eius? Etſi ingrediebatur vt videret, vana loquebatur cor eius: Egrediebatur foras, & loquebatur: in idipſum aduerſum me
Pſal. 40. ſuſurrabant omnes inimici mei. Verbum iniquum cõſtituerunt aduerſum me, nunquid qui dormit nõ adiiciet vt reſurgat? Etenim homo pacis meæ in quo ſperaui, qui edebat panes meos, magnificauit ſuper me ſupplantationem. Ecce hic eſt ille pauper & egenus. An verò non ſunt eadem, quæ in paſſione Chriſti au-
Matt. 26 diuimus? An non Euangeliſtæ apertè ſatis ſcribunt de impio proditoris oſculo, de falſis teſtimoniis, de iniquis & contumelioſis accuſationibus, de furioſis ac in-

ſanis

ſanis vociferationibus, de amarulétis & acerbis ſubſan nationibus ac lædoriis, quibus Iudæi per totam paſſionem à principio ad finem vſque Chriſto illuſerunt?

Verùm quid Chriſtum ad tantam calamitatem ac miſeriam adduxit? Haud aliud quicquam, quàm ineffabilis ipſius erga genus humanum charitas, qua noſtra delicta ſibi imputari voluit, & noſtram vicem ſubiit, nec aliter ſe geſſit, quàm ſi ipſe nocens eſſet. Ego dixi, inquit, Domine miſerere mei: ſana animam meam, *Pſal. 40.* quia peccaui tibi, hoc eſt, peccata eorum, quæ in me admiſerunt, ſuſcepi in me. Ad eundem modum loquitur alio in pſalmo, Opprobria exprobrantium tibi *Pſal. 68.* ceciderunt ſuper me, & quæ non rapui tunc exoluebã.

Hęc cauſa fuit, cur Chriſtus eò miſerię venerit. Beatus itaque homo, qui intelligit ſuper hunc egenum, qui diligenter cogitat, pro quibus & qua de cauſa tanta paſſus ſit, quid illum ad id mouerit, & quæ commoda inde enata ſint. Quod qui facit (inquit Dauid) atq; *Pſal. 40* ita intelligit ſuper hunc egenum & pauperem, in die mala liberabit eum Dominus, ſiue fames & bellum, ſiue peccatum & mors in eum ſæuierint, conſeruabit eum rebus adhuc integris, eriget & viuificabit iam lapſum, beatum faciet in terra, vt poſt hàc nullum periculum timere neceſſe ſit, ſed incipiat poſſidere Dei bona, dum iſta adhuc fruitur ora. Ac inſuper non tradet eum in manus inimicorum eius, ſed ſuppetias feret, reficietque eum, vbi lecto præ corporis doloribus fuerit affixus. Quòd ſi verò contingat eum in animi anguſtias incidere, vt quocunque ſe vertat, nuſquam tamen quietus eſſe poſſit, & ſi conſcientia eum pungat ac cruciet non ſecus ac ſi ſentibus & ſpinis intricatus ſit, memoria tamen & conſideratio de paupere & crucifixo Chriſto ita lectum ipſius verſabit, vt videatur ſibi nunquam mollius cubuiſſe.

Vide hæc, pſalmus iſte de Chriſto & paſſione eius commemorat, deque omnibus iis, qui eiuſmodi ipſius paſſionem expendunt, & verè intelligunt. Audite iã

quædam

quædam vis de reſurrectione Chriſti? Aduerte, quid Chriſtus in pſalmo iam dicto ſubiecerit.

Tu autem Domine, inquit, miſerere mei, & reſuſcita me, & retribuam eis. In hoc cognoui quoniam voluiſti me: quoniam non gaudebit inimicus meus ſuper me. Me autem propter innocentiam ſuſcepiſti, & confirmaſti me in conſpectu tuo in æternum. Benedictus dominus Deus Iſraël à ſeculo & vſque in ſeculum.

In hiſce verbis clariſſimè reſurrectio Chriſti commonſtratur. Nec interim ſilentio præteritur, quid bonis & improbis hominibus, quid amicis ac maleuolis inde ſperandum ſit. Verba quidem pauca ſunt, ſed talia, quæ pondere non carent. Domine reſuſcita me (inquit Chriſtus.) Hìc opus ipſum & reſurrectionem habes. Quod tamen non ita accipiendum eſt, tanquàm Chriſtus non propriis viribus reſurgere potuerit, ſed illum ab alio reſuſcitari oportuerit, quemadmodum Lazaro impoſſibile fuiſſet reſurgere, niſi eum ex monumento euocaſſet Chriſtus.

Mar.16. Alia cum Chriſtó res eſt. Siquidem Angelus luculenter de illo teſtatur inquiens: Surrexit, intellige propriis ſuis viribus ac diuina virtute. Chriſtus

Ioan.10 quoque ipſe ait: Poteſtatem habeo ponendi animam meam, & poteſtatem habeo iterum ſumendi eam. Quod autem precanti ſimilis ait: Domine reſuſcita me, & quòd aliis quibuſdam in locis legatur reſuſcitatus à mortuis, ipſius id humanitati tribuendum eſt, quæ mortem ſuperare haudquaquam potuiſſet, niſi diuinitati fuiſſet conglutinata.

Tali quoque modo hìc Chriſtus pro ſua deprecatur humanitate, quemadmodum in paſſione fecit,

Matt.26 vbi in hæc verba erumpit: Pater mi, ſi poſſibile eſt, tranſeat à me calix iſte: veruntamen non ſicut ego vo-

Mat.27. lo, ſed ſicut tu. Et rurſus, Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquiſti me?

Quæris nūc, quid ſecum ferat Chriſti reſurrectio,

aut

aut quid ex ea expectandum ſit? Reſpondetur, Diſcrimen inter amicos & hoſtes ponendum eſt. De hoſtibus dicit: Retribuam eis. Quod quò breuius dictum, tanto terribilius & atrocius eſt. Non diſſimile eſt ab eo, quod Ioannes ex propheta Zacharia introducit: Aſpicient ad me, inquit, quem confixerunt. Et quod Chriſtus dicit, Cum exaltaueritis filium hominis, videbitis, quòd ego ſim. Et iterum, Amodò videbitis filium hominem ſedentem à dextris Dei &c. Item ad Pilatum, Qui me tradidit tibi, maius peccatum habet. Et alibi ad Iudæos, Multa habeo de vobis loqui & iudicare. Minæ tantum ſunt hęc omnia, & grauius animum feriunt, quàm ſi certum ſupplicii genus & vindictæ modum expreſſiſſet. Omnibus qui Chriſtum odio proſequuntur dicta ſunt, atque Iudæos ſenſiſſe opinor, quibus abundè retributum eſt, & merces, qua digni fuerunt data. Chriſtum opprimere & funditus delere conati ipſi ſibi malum tam temporarium, quàm ſpirituale & æternum conſciuerunt. Domine reſuſcita me (inquit Chriſtus) & retribuam inimicis meis. Iſtud vnum eſt.

Zach. 12 *Ioã. 12.* *Ioã. 19.* *Ioan. 8.*

Pergis verò percontari, quid ad nos Chriſtianos ſolatii redeat ex reſurrectione Chriſti? Audi quid Chriſtus pergat dicere. In hoc, inquit, cognoui quoniam voluiſti me, primum hoc eſt. Et non gaudebit inimicus ſuper me: alterum eſt, Et confirmaſti me in conſpectu tuo in æternum: tertium eſt, En iſtud ſolatium noſtrum eſt, quod ex reſurrectione Chriſti capimus, nempè quòd luce clarius illinc euaſerit, Deo nihil amabilius, nihil iucundius & acceptius, nihil denique coniunctius eſſe ipſo Chriſto, quem & ſuſcepit & confirmauit, ita vt ipſius hoſtium nemo vnquam ſibi ſit gratulaturus de eius incommodo. Quo quid gratius audire poſſumus & optandum magis? Vbi melius nobiſcum agitur? quid deſiderare poſſumus? quid incommodo nobis eſſe poteſt, cùm illum habemus, quem Deus ſummoperè amat, quem ſuſcepit

Pſal. 40

ſcepit, confirmauit & in conſpectu ſuo collocauit in æternum? Ad quod quid aptius quadrat, quàm lætiſſima illa cantio & hymnus, quo pſalmum prædictũ Dauid concluſit. Benedictus, inquit, Dominus Deus Iſraël à ſeculo & vſque in ſeculum.

Sed nunc mihi conſidera, obſecro, an non Dauid expreſſè ſimul & aperte de chriſti reſurrectione cecinerit, idque in vno tantum pſalmo. Quot exiſtimas pſalmos alios eſſe, qui non minus præclarè eadem de re agunt? Quot itẽ alias ſcripturas ex Prophetis quis poſſet adducere, quæ Chriſtum aliquando reſurrecturum verbis planiſſimis conteſtantur? Verùm enimuerò tẽporis anguſtia non patitur, vt omnes eiuſmodi ſcripturæ vna vice indicari poſſint. Satis eſt, quòd ſciatur audiaturque hunc fidei noſtræ articulum ex veteri teſtamento quoque teſtimoniis niti, & fundatum eſſe, nec nos eſſe ſolos, quos reſurrectio Chriſti exhilarat. Etenim optimis quibusque & electis gaudium attulit, eã
Ioan. 8. aliquãdo futuram ſperãtibus. Abraham (inquit Chriſtus) pater veſter exultauit, vt videret diem meum: & vidit & gauiſus eſt.

Nonnullas autem figuras quoque in medium adferemus, quibus reſurrectio Chriſti adũbrata fuit. Cain fratrem ſuum germanum ferre non poterat, eò quòd pietate & vitæ innocentia ipſum longè antecelleret, gratiaque apud Deum plus valeret ipſo, quocirca etiã illi necẽ intulit. Verùm quid nefario hoc ſcelere profecit? Æternam maledictionem, tremorem perpetuũ, metum & periculum ineuitabile ſibi conciliauit. Fratrem verò ſuum ad immortalem gloriam promouit, & nomen perenne apud omnes fideles illi comparauit.

Quid aliud iam in paſſione & reſurrectione Chriſti accidiſſe conſpicimus? Iudæi cùm Chriſtum perditum & extinctum vellent, ipſi interim peſſum iuerunt, Chriſtum ad ſummam gloriam & dignitatẽ pro-
Phil. 2. uehentes. Humiliauit ſemetipſum, factus obediens vſq; ad mortem, mortem autem crucis, propter quod

& Deus

& Deus exaltauit illum: & donauit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen, vt in nomine IESV omne genu flectatur, cæleſtium, terreſtrium, & infernorũ, &c. Idipſum per Cain & Abel præfiguratum eſt.

Optimo Ioſepho per inſomnia proditum erat, ſe dominium habiturum aliquando in fratres ſuos, quod cùm modis omnibus impedire conarẽtur, homicidium penè incurriſſent, tandem latronibus facti deteriores. Vinctum enim in cauernam proiecerunt, vt periret ibi & fame conficeretur, poſteà autem mutato conſilio diuiderunt eum, vt in terram peregrinam veniret, & longè à conſpectu illorum ſubmoueretur. Sed cui obſtare volebãt id maximè adiutabant. Nam Ioſeph à ſuis fratribus venditus, in Ægypto ad tantos honores & poteſtatem euectus eſt, vt cuncti mortales, atque etiã fratres, illi ſupplicare cogerentur, & ex arbitrio ipſius pendere, vt qui ſolus rebus deſperatis & famis neceſſitati ſuccurrere poterat, penes quem erat ſumma poteſtas, & qui annonæ ſatis aduerſus imminentem calamitatem pro vniuerſis hominibus repoſuerat. *Gen. 37* *Gen. 47*

An non his congruunt ea, quæ in paſſione & reſurrectione Chriſti geſta ſunt? Iudæi illum pro fratre ſuo & Rege agnoſcere non dignabantur, adeò vt homicidium in eo committere non vererentur, quem tamen vel inuiti iam dominum eſſe factum cernere coguntur, quem vniuerſus terrarum orbis colit, qui poteſtate præditus eſt tam in cælis quàm in terris, quem denique ipſi quoq; ſupplices adorabunt, niſi fame ſempiterna enecari malint.

Moyſes primum æditurus miraculum virgam ab ſe abiecit, quę in colubrum verſa eſt. Pharao rex Ægypti duos habebat præſtigiatores, ſeu maleficos, qui in exhibendis ſimilibus portentis Moyſen imitabantur, ſed cũ ſinguli piecisſent virgas ſuas in dracones verſas, illorum virgas Moyſis virga deuorauit ac abſumpſit. *Exo. 7.*

Et quid aliud in Reſurrectione Chriſti videmus? Duplicem Diabolus mortem in mũdum inuexerat inter

ter humanum genus, vt & corporis & animæ morti obnoxii eſſent, quæ per duos dracones incantatorum Regis ſignificabatur. Chriſtus alteram, nempè corporis mortem in ſe ſuſcepit, qua duplicem illam & corporis & animæ mortem deuorauit & abſorpſit.

Num. 21 Cum populus Iſraëliticus in ſolitudine quadam vice, Deo ac miniſtro eius Moyſi obmurmurarent, miſit in illos Dominus ſerpentes ignitos, quorum ictibus & attactu multi interimebantur. Moyſes à Deo admonitus æneum erigebat ſerpentem, qui tametſi ſpeciem tantum ſerpentis referret, nec vt verus ſerpens haberet virus, attamen qui eum aſpiciebat, illum ſanitati reſtituebat.

Quod quid aliud fuit, quàm typus & imago paſſionis & reſurrectionis Chriſti? Diabolus poteſtatem in omnes mortales habens, veneno eos infernali perdebat. Chriſtus in cruce pendere voluit tanquam peccator, cùm tamen peccatum non feciſſet, nec inuentus eſſet dolus in ore eius, nunc qui eum ſyncera fide intuetur, incolumis eſt & liberatus à veneno infernali, nunquam perit, nunquam moritur, ſed vitam æternam habet.

1. Pet. 2.

Ioan. 3.

4. Re. 2. Eliſeus propheta cùm aſcenderet in Bethel, à paruis & malè educatis pueris ludibrio habitus eſt, mox verò duo vrſi de ſaltu egreſſi ſunt, & lacerauerunt ex eis non paucos. Et quid aliud factum cernimus in paſſione & reſurrectione Chriſti? Nonne hoſtes ipſius acerbè ſatis in eum luſerunt dicteriis, & conuicia congeſſerunt? Poſtq̃ autem à mortuis reſurrexiſſet, duo venerunt immanes vrſi, Veſpaſianus & Titus, qui eos ad vnum omnes lacerarunt diſſiparuntque.

1. Re. 18 Sanctiſſimus Dauid non à gentibus modò, verùm etiam ab Iſraëlitis deriſus, afflictus, odio habitus & ad mortem denique quæſitus fuit, nemo tamen efficere potuit, quò minus Imperium conſequeretur ac obtineret. Cui autem magis vnquam, quàm Chriſto homines aduerſati ſunt? Iudæi dicebant, Nolumus

Luc. 19.

hunc

hunc regnare ſuper nos. Quanquam etiam Reges & Principes huic vncto Dei ſeſe opponerent, omnemque lapidem mouerent, vt conatus ipſius impedirent, videre tamen & audire debebant id, quod Chriſtus inquit: Ego conſtitutus ſum Rex ſuper Sion montem ſanctum Dei, &c. *Pſal. 2.*

In Samſone non vnam ſed plures figuras habemus. *Iud. 14.* In via cùm ei leo occurreret, eumque impeteret, Samſon quamuis non armatus, leonem tamen veluti hœdum diſcerpſit. Iſraëlitæ funibus eum ligarunt *Iud. 15.* in manus hoſtium eum tradituri. Samſon ſolutis vinculis, arripuit in agro maxillam aſini, qua mille viros ex hoſtibus ſuis deleuit. Cùm ſemel in vrbem *Iud. 16.* Gazam veniſſet, ciues obſeruantes eum, omnem illi exeundi viam præcluſerunt. At ille intempeſta nocte ſurgens apprehenſas ambas portæ fores cum poſtibus ſuis & ſera, impoſuit humeris ſuis & ad verticem montis portauit. Poſtremò, cùm vitæ finis *Ibidem.* inſtaret, concuſſis fortiter columnis, domum collabi fecit, in qua principes aliique ipſius hoſtes erant, ita vt plures moriens, quàm viuus interficeret.

Et quid per hæc omnia denotatum fuit aliud, quàm inuicta fortitudo, quam Chriſtus in ſua reſurrectione oſtenſurus erat? Nam tum primum leonem diabolum diſcerpſit, eique omnem poteſtatem ademit, omnibus vinculis ſeſe exoluit, morte, ſepulchro nec non ipſis tartaris ſuperior vniuerſos ſuos hoſtes deuicit.

Ionas in mare mittebatur, & erat in ventre piſcis tribus diebus ac tribus noctibus, poſt triduum *Ion. 1.* piſcis eum terræ reddidit, tum primum incœpit Niniuitis iisque Gentibus prædicare, quo effecit, vt pœnitentiam agerent, per quam decretam à Deo pœnam à ſe auertebant. *Ion. 3.*

Et quid aliud in Chriſto videmus? Chriſtus ipſe hiſtoriam de Iona ad ſuam paſſionem & reſurrectionẽ refert. Generatio, inquit, mala & adultera ſignũ quęrit, & ſignum nõ dabitur ei, niſi ſignũ Ionæ prophetæ. *Matt. 12*

Sicut enim Ionas in ventre fuit ceti tribus diebus & tribus noctibus: ſic erit filius hominis in corde terræ tribus diebus & tribus noctibus. Vnde quoque conſe-
Luc.24. cutum eſt, vt Chriſtus Gentibus per ſuos diſcipulos Euangelium prædicarit, per quod æternæ morti exempti ſunt.

Id genus hiſtorias vel innumeras adducere poſſem, quas nunc ſilentio prætereo, partim quia temporis breuitas obſtat, partim quia neceſſe non eſt omnes hiſtorias & ſcripturas vna vice recenſere. Satis eſt, nos nõ ignorare bona & felicitatem eam, qua hodie nobis gratulamur, in veteri quoque teſtamento, prædictam, notam & exoptatam fuiſſe. Tantò minus dubitare nobis licet, vel potius tantò certius credere poſſumus, Chriſtum ſua lætiſſima reſurrectione nihil non boni attuliſſe nobis ac dediſſe, tantò confidentius ipſius pręſidio niti debemus in omnibus noſtris tribulationibus, tantò voce hilariori debemus canere, Chriſtus noſtrũ ſit ſolatium, tantò magis ex intimis affectibus gaudere debemus, vitam nobis ad hoc vſque tempus protogatã eſſe, tanto illi ſtudioſius agere debemus gratias, quòd talium nos bonorum participes fecerit, tantò eſſe debemus paratiores ad ea quę honeſta & laudabilia ſunt, tantò minus frangi debemus rebus aduerſis. Tanto auidius debemus contẽdere, vt eò peruueniamus, vbi Chri-
Coloſſ.3. ſtus ſedet à dextris Dei, tantò quoque diligentius cauebimus poſthac ne peccatorum mancipia rurſus fia-
1.Pe.1. mus, poſtquàm ſemel ptetio incomparabili empti ſumus non auro, non argento, ſed ſanguine nobiliſſimo ac precioſiſſimo immaculati agni IESV Chriſti. De talibus cibis, chariſſimi fratres, manducemus & epulemur, laudum Dei non immemores. Mortui nãque eramus in peccatis noſtris, ſed per Chriſtum reuiximus. Perditi eramus longè à vera noſtra patria oberrantes, per Chriſtum verò paſtorem noſtrum omnium fideliſſimum, ad ſalutem æternam reducti ſumus.

SERMO VNDECIMVS, *feria ſecunda Paſchæ.*

ADmonui vos ſuperioribus temporibus, cur hoc potiſſimum anno, parabolam de filio Prodigo prædicãdam ſuſceperim, eam nimirũ ob cauſam, quòd illa ſimilitudo inſeruire nobis poſſit ad omnia ea, quæ in Eccleſia aliquãdiu iam in vſu fuerũt & tractata, necdum in vſu eſſe deſierunt. In ipſo ſtatim exordio me dixiſſe vobis memini, parabolæ huius materiam non ſolum Quadrageſimæ ac pœnitentię accommodam fore, ſed multum quoq; profuturam ad cõmunionem ſeu ſuſceptionem ſacri Sacramenti, ad paſſionem, ad Paſcha. Nec diffido, quin euentus verbis meis fidem fecerit, quod tum vel imprimis factum fuiſſet, ſi & ego ſatis rectè conſtitutus fuiſſem, & tempus me non defeciſſet ad amuſſim ſingula verba excutiendi ac perſcrutandi.

Agite, in ſimilitudine illa iam eò deuentum eſt, vt quæ ad nos ſpectare poſſunt, propemodum omnia in medium ſint allata. Vidimus in ea incõſtantiam & malitiam animi humani, miſeriam & calamitatem peccatoris, tyrannidem ac improbitatem Diaboli. Vidimus quoque, quomodo in peccatore pœnitentia initium ſumat, augeatur, compleaturque. Vidimus inſuper in hac ſimilitudine incredibilem Dei charitatem & gratiam, quomodo videlicet obuiam procedat peccatori reuertenti ac priſtinam vitam deteſtanti, quomodò in eum irruat, oſculetur, veſtiat, ornet, calciamẽtis ac victu illi proſpiciat. Vidimus poſtremò, quomodò Deus benigniſſimus pater, noſtræ ſalutis ergo, ſaginatum vitulum Chriſtum cæleſti numine plenum

occidi & mactari ſiuerit, vt ipſius gratiæ nos partici-pes fieremus. Vnde certò Paſcha noſtrum ſubſecutum eſt, nimirum gaudium cordi noſtri & conſcientiæ, Dei laudem decantantis, atque illi gratias agendi indefa-tigabile ſtudium.

Epheſ.2 Deus (inquit Paulus) qui diues eſt in miſericordia, propter nimiam charitatem ſuam, qua dilexit nos, & cùm eſſemus mortui peccatis, conuiuificauit nos in Chriſto, & conreſuſcitauit, & conſedere fecit in cæ-

1.Co.15 leſtibus in Chriſto IESV, &c. Et in alio loco, Sicut per hominem mors, ita & per hominem reſurrectio mortuorum. Et ſicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Chriſto omnes viuificabuntur, &c.

Agite, eò loci iam peruenimus cum noſtro filio Prodigo, in domum patris noſtri nos iam recepimus: priſtina dignitas nobis reddita eſt, propicium habe-mus patrem, fauorabilem & munificum. In Chriſto habemus, quicquid ad ſolatium, gaudium, iucundita-

1.Co.5. tem, & felicitatem denique facere poteſt. Is agnus noſter Paſchalis, is vitulus noſter ſaginatus eſt. Atque hoc quidem contenti eſſe poſſemus; nam ad altiora in terris aſpirare nequimus. Quamobrem etiam viſum eſſet hîc conſiſtere & ſermonibus iſtis Paſchalibus fi-nem imponere.

Veruntamen, quoniam Chriſtus ad parabolam de filio Prodigo quædam appendit, illa ſilentio præter-eunda minimè putaui. In principio parabolæ Chri-ſtus loquitur de duobus filiis. Hactenus ſolummo-dò de vno filio minore natu audiuimus. Sed iam non latere nos debet, quid pater cum altero maiore na-tu filio agat. Non enim Deo cum peccatoribus tan-tum res eſt, ſed iuſtis quoque, vtriſque vult ſuccur-ſum eſſe: peccatoribus, vt in viam redeant & reuer-tantur: iuſtis, vt perſeuerent & conſtantes ſint. His itaque duobus diebus audiemus, quid Chriſtus de fi-lio natu maiore dicat. Lucæ verba hunc in modum ſonant:

Erat

Erat autem filius eius ſenior in agro, & cùm ueniret & appropinquaret domui, audiuit ſymphoniam & chorum: & uocauit unum de ſeruis, & interrogauit, quid hæc eſſent. Iſq; dixit illi, Frater tuus uenit, & occidit pater tuus uitulum ſaginatum, quia ſaluum illum recepit. Indignatus eſt autem, & nolebat introire. Pater ergo illius egreſſus cœpit rogare illum. At ille reſpondens dixit patri ſuo: Ecce tot annis ſeruio tibi: & nunquam mandatum tuum præteriui, & nunquam dediſti mihi hœdum ut cum amicis meis epularer, ſed poſtquam filius tuus hic, qui deuorauit ſubſtantiam ſuam cum meretricibus, uenit, occidiſti uitulum illum ſaginatum. At ipſe dixit illi: Fili, tu ſemper mecum es, & omnia mea tua ſunt: epulari autem & gaudere oportebat, quia frater tuus hic, mortuus erat, & reuixit: perierat, & inuentus eſt.

Habetis iam parabolæ huius & ſimilitudinis reliquam partem, qua docemur Deum nobiſcum perpetuò occupatum eſſe, non minus cum iuſtis, vt animo infracto ſint & perſeuerent, nec interim tamen inſoleſcant, quàm cum peccatoribus. Vt in ſui cordis penetralia deſcendant, ipſi ſe noſcant & conuertantur. Minor natu parenti multum negotii faceſſerat & curas generarat, donec in amplexus ipſius rediiſſet, nunc cũ pater omnem poſuiſſet ſolicitudinem & animo pacato eſſet, nouam incipit tragœdiã maior natu, res illi magnoperè diſplicet, domum ingredi recuſat, patri ſuccenſet eò, ꝙ filium, qui tantum ęris diſſipauerat, in gratiam recepiſſet, ita, vt plus conſuetudinis ferè cum illo, donec in viam eum reduxiſſet, haberet, quàm cum altero. Hunc minus decebat patri obſtrepere, quàm illum: cùm ille nondum ætatem haberet, & idcircò nõ multum ſaperet, hic verò quoniam ætate præibat, prudentior meritò fuiſſe debebat, quam vt fratri talem fortunam ac ſalutem inuideret, atque ea de cauſa aduerſus patrem ira accenderetur, & quod plus

eſt, ſeipſum à patris conſortio ſegregare in animum induceret.

Age, pater vtrinque obſtabat. Poſtquam illum in domum recepiſſet, nunc omnem mouet lapidem, ne hic fugam ineat. Ambos quidem foras excludere potuiſſet, & ita dicere: Quod ſi adeò pertinaces eſſe vultis & quiſque ex ſuo ingenio viuere, ambo meis illicò abſcedite tectis. Tam durus autem non fuit: nam pater erat. Eadem quoque, fratres dilecti, Deus erga nos vtitur lenitate. Parabola iſta in hoc dicta eſt &
Pſ.102. deſcripta. Quomodò enim miſeretur pater filiorum, ita miſeretur etiam Dominus nobis, quoniam ipſe cognoſcit figmentum noſtrũ. Nos omnes domo eiicere
Ibidem. poterat, ſed pater eſt. Quõ ſecundùm altitudinem cæli à terra corroborauit miſericordiam ſuã ſuper nos. Quapropter etiam ſeſe aſſimilat paſtori in Ezech. ait ſe ita inter nos verſaturũ, vt inter oues ſuas paſtor, qui nunc hìc, nunc illic opem ferre debet, aliis nunc hoc, aliis
Eze. 34 nunc illo defectu laborantibus. Sic quoq; (dicit Dñs) agam cum hominibus, quod perierat, requiram: & quod abiectum erat, reducam: & quod confractum fuerat alligabo: & quod infirmum fuerat, conſolidabo: & quod pingue & forte, cuſtodiam, &c. Talem pa-
Sap.1. trem & paſtorem habemus Deum, vt qui non lætatur
1.Tim.2 in perditione noſtra, ſed potius vult omnes homines
Eze. 18 ſaluos fieri, ſecundùm Paulum. Idem teſtantur ipſius Dei in Ezechiele verba. Quare, inquit, moriemini domus Iſraël? Quia nolo mortem morientis, dicit Dominus Deus: reuertimini & viuite. Denuò iam optimo cuique Chriſtiano data occaſio eſt prædicandi
Pſ.102. miſericordiam Dei, & dicendi cum Dauide: Benedic anima mea domino: & omnia, quæ intra me ſunt nomini ſancto eius. Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis: qui ſanat omnes infirmitates tuas. Qui redimit de interitu vitam tuam: qui coronat te in miſericordia & miſerationibus, &c.

Age videamus nũc, quid de maiore natu fiat. Quod ſi al-

ſi allegoricè interpretari lubet, dum filii duos populos ſignificabunt, Iudæos ac Gentes, ambo filii Dei ſunt creationis nomine: nam idem dominus omnium, diues in omnes, qui inuocant illum. Sed diſpar vtriuſque populi ratio eſt ac natura. Iudæi per maiorem natu intelliguntur: hi enim Gentibus plus cognitionis & ſcientiæ de rebus diuinis habebant. Illorum nanq; adoptio erat filiorum & gloria, & teſtamentum, & legiſlatio, & obſequium, & promiſſa. Gentes verò per minorem natu intelliguntur, qui cupiditatibus ſuis morem gerens, perditè viuebat. Nam Gentium olim vita à pecudum more nihil diſtabat, quemadmodum multis in locis Paulus illis indicat. Iam verò Deus vtrunque populum ſaluum facere decreuerat. Quo circà Chriſtus nõ ſolum pro Iudaica natione vitam profudit, ſed vt filios Dei, qui per vniuerſam terrarum orbem diſperſi erant, colligeret, quemadmodum & ipſe dicit: Et alias oues habeo, quæ non ſunt ex hoc ouili: & illas oportet me adducere, & vocẽ meã audiẽt. Rom. 9. Rem. 9. Ioan. 20

Sed quid accidit? cùm Deus minorem natu iuuare inciperet, maior natu incipit excandeſcere. Cũ Chriſtùs cum Publicanis aliiſque terrena amantibus familiaritatem iniret, Phariſæi murmurare ſtatim incipiunt. Poſteà cùm Chriſtus Gẽtes quoque ſuo Euangelio dignaretur & ſancto afflarentur ſpiritu, non minus ac Iudæi, nimio odio & liuore penè inſaniunt. Ab eo tempore nolunt amplius in domo patris eſſe, in hodiernum vſque diem foris ſtant, audiunt totam domũ gaudio & lætitia perſtrepere, at introire nolunt, malè eos habet, quòd minor natu, hoc eſt, Gentes quæ turpiter & flagitioſe vitã exegerant, æquali honore præditæ eſſent, & nihil eſſet tam lautum in domo Dei, quod cum ipſis commune non haberent. Act. 10. & 11.

Idem cum illo eſt, quod in alia quadam parabola memoratur de vineam colentibus. Ex quibus nonnulli quoque ægrè ferebant & patriſamiliàs ſeſe obiiciebãt, quod totum diem laborando deſudaſſent, & tamẽ vi- Mat. 20.

dere cogerentur, aliis, qui vix laborem aggreſſi erāt, tantundem reddi mercedis: hoc arbitrari, vt qui plus operis feciſſet, ampliorem meritò habiturus eſſet mercedem, ſed non ſuccurrēbat illis, quòd nouiſſimis ex mera gratia, & non ipſorum meritis integra merces perſolueretur.

Iſthoc ipſo vitio Iudæi quoque laborāt, iſtuc ipſum in nos Gētes eos ſuperbos reddit ac inuidos. Suum tātummodò laborem & non Dei gratiam, reſpiciunt. Et quidem ſi Deus externa opera ſolum commendata haberet, iuxtaque illa nos remuneratione dignos iudicaret, Iudæi nobis longè præferēdi eſſent. Nam cùm nos Gentes in peccatis variisq; ſordibus volueremur, porcorum ritu viuentes, & hæreditatem noſtram, id eſt gratiam & dona, quibus nos Deus ornauerat, in vſus conferremus peſſimos, iampridem Iudæi in vinea erant, laborabant, circuncìſionem, legem, aliasque conſtitutiones ac cæremonias habebant, quibus perficiendis pro virili eos inſudare oportebat.

Conueninnt cum his ea, quæ in noſtra parabola dicuntur. Maior natu in agro erat. Per ſe ſanè reprehendi non poteſt, quòd maior natu ex obedientię officio erga patrem in agro eſſet, & operi gnauiter inſtaret, hoc eſt, quòd Iudæi ex mandato Dei ſtudioſè legem obſeruarent, quinimò lex Dei multum illis adiumenti adferre potuiſſet, ſi eam ſanè intellexiſſent. Sed ſuis tantum incumbebant operibus, ob quæ putabant Deum ipſis plurimum debere, quemadmodum

Luc.15. maior natu quoque ad patrem ſuum ait: Ecce tot annis ſeruio tibi, & nunquam mandatum tuum præteriui, & nunquam dediſti mihi hœdum, vt cum amicis meis epularer, &c.

Ex his verbis vnuſquiſque animaduertere poteſt, eum plus fiduciæ collocaſſe in ſuum laborem, quam in charitatem & benignitatem patris. Eiuſdem omninò ingenii ſunt Iudæi, pluris faciunt circuncìſionem & legis obſeruationem, quàm Dei gratiam, quam nobis

bis Gentibus inuident, cum tamen illis nihil inde decedat, pereatúe. Deus enim eſt diues gratiæ & miſericordiæ cum in Iudæos, tum in Gentes, atque adeò in omnes, qui inuocant illum. Attamen Iudæi nihilo legis onere fatigari malunt, quam nobiſcum Dei gratiam agnoſcere & prædicare. *Rom.* 10

Hoc illud eſt quod Chriſtus mira verborum deſcribit venuſtate. Filius, inquit, ſenior cùm rure reuerteretur & domui appropinquaret, audiuit ſymphoniam & chorum. Cæterum ſymphonia illa quid aliud eſt, quàm prædicatio Euangelii? Et chorus quid aliud eſt, quàm vt nos qui in Chriſtum credimus, nuſquàm non laudes Dei decantemus ob gratiam illam, quam nobis indignis & præter meritum noſtrum per Chriſtum exhibuit? Quod vident nunc & audiunt Iudæi vel inuiti etiam, & eam ob rem inter omnes Gentes & nationes per totum orbem terrarum diſperſi ſunt, vt aut ſeſe nobis iungant & noſtri eorumque patris tectum ſubeant & nobiſcum gaudeant, aut æternam crucem ac pœnam ſuſtineant. Prædixit enim illis Deus, ſe prouocaturum eos in eo, qui non eſt populus, & in gente ſtulta ſe irritaturum illos, nec non daturum eis ſpiritum compunctionis, qui nunquam animo quietos illos eſſe ſinet. *Deut.* 32 *Pſal.* 68

Iſtud vnum eſt, quod per maiorem natu filiũ Chriſtus innuere voluit. Maior natu rogabat, quid ſibi gaudium iſtud, & tantus ſtrepitus in domo paterna vellet: præter morem & æquitatem illi videbatur, ſe ſolum agris colẽdis operam nauare debere, alios verò interim in paternis ædibus epulari ac frontem exporrigere. Qua de cauſa etiam introire nolebat. Haud ſecus Iudæi faciunt, nunquam ſatis demirari potuerunt, quòd & Gentes a Deo in gratiam receptæ eſſent. Quem virulentum Iudæorum animum Apoſtoli probè experti ſunt. Nam cum primò Petrus Gentibus prædicaſſet Euangeliũ Cęſareæ, grauiter cum illo Iudæi propterea expoſtulabant. Poſtquàm autem eis volun- *Act.* 10.

tatem Dei exponeret, nihil amplius habebant, quod poſſent contradicere, præſertim cùm viderent, Gẽtes quoq; Sancto ſpiritu afflatas à Deo eſſe, ergo, inquiũt,
Act. 11. & Gentibus pœnitentiam dedit Deus ad vitam.

Hos in parabola ſubnectitur, Maior natu vnũ de ſer uis ad ſe vocat, percunctatus, quid cauſæ ſit tam noui tamque inexpectati gaudii in domo ſui patris. Quod verbis planiſſimis ideò dictum eſt, vt nos omnes eò melius intelligamus, Iudæos non ex ignorantia, ſed liuore & inuidia peccare. Ex prophetis norunt idque multifariam, Gentibus etiam ęternam promiſſam eſſe ſalutem, attamen adeò inuidia eorum animos occupauit, vt ferre non poſſint, aut ægrè admodum, nos in eo loco eſſe.

Scire flagitas, vnde hoc reſciuerint? Reſponſum accipe. In domo patris noſtri duos habemus ſeruos, qui nobis patefaciunt, quicquid diuino decretum eſt conſilio. Vetus & nouum teſtamentum eſt. Iudæi non niſi vnum ad ſe ſeruum accerſerunt, vetus tantùm teſtamentum conſulunt, quod vtique ſatis illis veritatẽ prodit. Nihil in veteri teſtamento, & præcipuè in Prophetis tam vulgare eſt, quàm quòd populus Gentilicius in gratiam recipiendus erat, conuertendusque, & vitulus ſaginatus propter ipſum mactandus.

Gen. 12. Vel ex primo ſaltem verbo Iudæi deprehendere po
Gen. 22. tuiſſent, quod Deus ad Abraham dicit: Benedicam tibi, atque in te benedicentur omnes cognationes terrę. Et in ſecunda promiſſione Deus Abraham ita affatus eſt: Per memetipſum iuraui, quia feciſti hanc rem, & non peperciſti filio tuo vnigenito propter me, benedicam tibi, & benedicentur in ſemine tuo omnes gentes terræ.

Ex his verbis excæcati Iudæi ſuam agnoſcere poſſent dementiam. Quamuis enim ſingulari pollerent ſanctimonia, & Dei dicto audientes eſſent, ſicut fuit Abraham, quid poſſent aliud præmii poſcere, q̃ quòd à Deo Abraham promiſſum fuit? Quid autem illi promiſit?

promiſit? Non cælum, non paradiſum, &c. ſed ſemē ſeu prolem, in qua benedicerentur omnes gentes. Quæ illa proles eſt? Nemo alius præter Chriſtum. Quæ denique benedictio eſt, quæ per illum contingit? Remiſſio peccatorum per ſanguinem ipſius acquiſita & comparata. Benedictio non minus Gentibus, quàm Iudæis debebatur, nam ita Abrahamo promiſſa erat, non ſemel, ſed bis, idque iureiurando. Quid igitur eſt, quod iure quæri poſſint? An oculus eorum neqaam eſt, quia Deus bonus eſt? *Mat. 20.*

Agite, fratres chariſſimi, quibus modis erga fratrē noſtrum maiorem natu Iudaicum populum geremus nos, qui conſortium noſtrum & patris noſtris domum fugitat? Gratiam nos conſecutos indignè fert. An ꝑpterea odio rurſus eos perſequemur? aut domúmne relinquemus, eo, quòd inuiti nos in ea videant? Nequaquam. Primò, non debemus non dolere, fratrem illum noſtrum ad eam deueniſſe peruicaciam ac cæcitatem, vt ipſemet ſui mali autor exiſtat, & peſſimè propriis rebus conſulat. Ad hunc modum Paulus ſui populi deplorat cæcitatem. Et ſecundum doctrinam Pauli, etiamſi nos non fugiat illorum in nos odium ac maleuolentia, non tamen conuenit, vt illos viciſſim vel odio, vel contemptui habeamus. Quod ſi aliqui ex ramis fracti ſunt, tu autem cum oleaſter eſſes, inſertus es in illis, & ſocius radicis, & pinguedinis oliuæ factus es, noli gloriari aduerſus ramos. Quod ſi gloriaris, non tu radicem portas, ſed radix te. Et ſi Deus naturalibus ramis propter incredulitatem non pepercit: ne fortè nec tibi parcat vide. Quaprópter ſi fide ſtas, noli altum ſapere, ſed time. Si vides Iudæos ex genuina arbore reſectos eſſe, habes vnde poſſis ſeueritatem Dei & iudicium ipſius terribile diſcere, in te verò perſpicere benignitatem illius & miſericordiam. Hunc modum Paulus nobis perſcribit, quo erga fratrem noſtrum maiorem natu vti debemus. Ante omnia verò Dei gratiam propter ipſorum in nos maleuolentiam

Rom. 9. *Rom. 11* *Ibidem.*

uolentiam & inuidiam curare debemus, neglectui habeamus. Quod ſi eam Dei gratiam ſibi communem nobiſcum eſſe volunt, per nos illis licebit: ſin verò curæ eis nō eſt, nihilominus tamen pro beneficio ſummo accipimus, quòd poſt tot tantaque crimina & peccata, in gratiam recepti ſumus. Deus quoque tale gratiæ opus, quod in nobis Gentibus feliciter auſpicatus eſt, benè fortunare perget, nec propter Iudæorū murmurationes intermitteret. Attamen Deus filium hūc maiorem natu Iudaicum populum non penitus repudiauit, vt Paulus perſpicuè docet. Fores adhuc illis patent. Poſtremò pater foras prodibit, & hunc maiorem natu filium rogabit, vt & ipſe domum ingrediatur, cumque minore natu filio gaudium peragat.

Ibidem.

Atque illud ipſum eſt, quod Paulus in loco iam memorato habet. Nolo vos ignorare fratres, inquit, myſterium hoc, quia cęcitas ex parte contigit in Iſraël, donec plenitudo Gentium intraret, & ſic omnis Iſraël ſaluus fieret, ſicut ſcriptum eſt: Veniet ex Sion, qui eripiat, & auertat impietatem à Iacob. Et hoc illis à me teſtamentum: cùm abſtulero peccata eorum.

Ibidem. *Eſa. 59.*

Tum demum gaudium filiorum Dei ſolidum & integrum erit, tum numerus conuiuarum erit completus, tum vnum ouile erit & vnus paſtor, tum fratres iſti duo Iudæi & Gentes ſeſe mutuò agnoſcent, vnaq; voce laudem Deo dicent. Interim, quod Paulus nobis iubet, facere debemus. Gentes, inquit, ſuper miſericordia Deum honorent. Vide, hoc Chriſtus in calce & poſtrema parte huius parabolæ nobis indicare voluit, & hic quidem ſimilitudinis allegoricus ſenſus eſt.

Ioan. 10 *Rom. 5.*

DVODECIMVS ET VLTIMVS *ſermo habitus Feria tertia Paſchæ.*

IN heſterna cõcione cauſam oſtendi, cur frater noſter maior natu Iudaicus populus in hodiernum vſque diem foris ceſſet, nec velit ſe committere Chriſtianę Eccleſię ſeu cõgregationi, nec comedere de vitulo noſtro ſaginato Chriſto, nec communi gaudio Paſcha noſtrum nobiſcũ celebrare, propterea, quòd per Chriſtum reuiximus & inuenti ſumus, qui mortui eramus & perditi.

Primò in cauſa eſt, innata eis ſuperbia, qua ſemper reliquos mortales omnes præ ſe contẽpſerunt. Deinde liuor & inuidia eos impellit, qm̃ nihil dolendum magis illis accidere poteſt, q̃ ꝙ gratiam Dei in nobis conſpiciant, idq; ob eam rem potiſſimũ, ꝙ cùm tot ſeculis ſub legis Moyſi onere ipſi laborarint, videant nos tã facilè in gratiam recipi. Hoc illos malè habet, cùm tñ ipſis non minus, ac nobis pateant fores. Nos autẽ perlibenter hunc eis honorẽ deferemus, ꝙ nobis priores in domo Dei fuerint, ꝙ ad diuinum cultũ & Dei cognitionem nobis citius peruenerint, quodq; ii fuerint, ex quorum patribus Chriſtus ſecundum carnem moriun- *Rom. 9.* dus eſt, & quibus Chriſtus ipſe primò omnium Euan- *Mat. 15.* gelicam doctrinam tradidit, palamque profeſſus eſt, ſe miſſum non niſi ad eas oues, quæ ex domo Iſraël periiſſent. Iſtud honoris & priuilegii ad eos pertinere libenter pateremur, modò pro fratribus nos agnoſcerent nec inuiderent nobis noſtram partem gratiæ, cuius nos participes voluit eſſe Deus.

Ad hæc Deus plus quàm per ſeſquimille annos eos rogauit per ſuos, hortatusque eſt, vt tandem ad nos in

domum

domum noſtri ac ipſorum patris domicilium velint
Pſal. 68. intrarre, cibũ vnà capere, & gaudere. Verùm nequicquam, incaſſum, fruſtrà omnia fiũt. Iudicium Dei ceruici illorum impendet. Domine (inquit Dauid) obſcurentur oculi eorum ne videant, & dorſum eorum ſemper incurua. Fiat menſa eorum coram ipſis in laqueum, & in retributiones & in ſcandalum, &c.

Non eſt profectò, cur nos Chriſtianos cæcitas fratris noſtri Iudaici populi magnoperè delectare debeat.
Rom. 9. Dolorem potius debebat nobis adferre eorum calamitas. Fratres enim noſtri ſunt & illorum cuncta fuerunt, quibus nunc magnificè gloriamur, ſcriptura, teſtamẽtum, filiorum adoptio, gloria, hæreditas, &c. Verùm quòd gratia Dei nobis donata eos offendat, haud mutare poſſumus, neſciunt meliora, ad eos damni maxima pars redibit. Non enim idcircò ex domo patris rurſus fugiemus, quòd ipſi noſtra præſentia lædantur & inniti nos ibi videant, nec certè Deus inceptũ gratiæ opus in nobis miſeris Gentibus propter illorum
Pſal. 58 murmurationes imperfectum relinquet. Conuertentur ad veſperam, ſed famem patientur vt canes, inquit Dauid. Hactenus de Allegoria.

Sed optimus quique Chriſtianus habet hîc, quod prętereà expendat. Non ſunt ſoli Iudæi, in quos hoc vitium competit, qui ob gratiam aliis à Deo datã anguntur. Omnibus temporibus hypocritæ inuenti ſunt, ac etiãdum inueniuntur, qui peccatores odio non mi-
Mat. 9. nus atroci proſequuntur, quàm Iudæi nos Gentes. Vel in Euangelio ſolum reperimus Phariſæos erga ſuos peccatores, qui ex eodem genere nati erant, nulla penitus miſericordia motos fuiſſe, cuius rei illuſtria
Mat. 9. extãt exempla, Mathæi primò, quem Chriſtus ex te-
Luc. 19. lonio vocabat. Item Zachæi, apud quẽ in Ierico Chri-
Luc. 7. ſtus diuertebat, nec non miſeræ illius peccatricis, quæ Chriſto pedes lauabat, &c. Quinimò ſi Euangelium penitus introſpicimus, comperimus Chriſtum hanc ipſam parabolam de filio Prodigo dixiſſe in eiuſmodi

immi-

immitia ac turgida pectora erga hominem peccatoré. An verò non exiſtimas tales inter nos Chriſtianos exiſtere Phariſæos, qui propter merita ſua, ipſi ſe iudicāt dignos gratia Dei, & idcircò ægrè ferunt, quòd paria vel etiam maiora Dei dona aliis ſine magno negotio contingant? Sed quid de hypocritis ſolis loquor? Fieri quandoque ſolet, vt etiam piorum animi eiuſmodi cogitatione ſolicitentur, vt exiſtiment, Deum plus æquo ad ignoſcendum propenſum eſſe, nō tam facile debere in gratiā recipere peccatores, aut ſi in gratiam reciperet, non tamen debere eos extollere ad gratię faſtigiū, in quo iuſti collocati ſunt, qui tam grauiter non deliquerunt, &c.

Talis nonnunquam optimorum hominum animos ſubit cogitatio. Quapropter non ad ſolos Iudæos referendum eſt, tanquam Chriſtus de illis ſolis locutus ſit, ſed ad nos pertinere quoque arbitrari debemus, vt ſicubi maior natu filius egreſſus modum eſt, nobis caueamus. Id enim pro certo habere debemus ex parabola hac, quòd quemadmodum Deus filium ſuum perditum propter priorem ipſius leuitatem non auerſatur & reiicit, ſi modò reſipiſcat & veniam roget: ita quoque minimè ſit paſſurus, ſi maior natu ferociat ac ſuperbiat propter ſuum laborem ac perſeuerantiam. Et quemadmodum Deus magnoperè delectatur, ſi peccator frugi eſſe incipiat, ita multis nominibus deteſtatur eum, quem ſua probitas & iuſtitia inſolentem facit. Quinimò quemadmodum ſimplex ac humilis confeſſio homini ſua peccata certiſſimò tegit & aufert, ita faſtus & tumor iuſto omnem probitatem ſine dubio inanem reddunt.

Vide, hoc per parabolam iſtam docemur, quòd nimirum non ſolum peccator nullus animum deſpondere, ſed iuſtus quoque nullus ſeſe efferre debeat. Duo ſunt, quæ ſimul doceri debent. Non ſufficit, vt peccatorem ſolemur, monendus eſt quoque iuſtus, ſui diligentem cuſtodiam vt habeat. Nec ſatis eſt, vt iuſto

indi-

indicetur, quid faciendum ſit, ſed peccatori oſtendendum quoque eſt, quarum rerũ præſidio tutò confidere poſſit. Chriſtus vtrunque coniunxit, per minorem natu filium docuit, quid peccator ſperare poſſit ac debeat, per natu autem maiorem, quid iuſto metuendũ. Nihil homini peccatori periculoſius eſt deſperatione ac puſillanimitate. Nihil iuſto pernicioſum magis, præſumptione & φιλαυτίᾳ, hoc eſt, amore ſui. Quod ſi inualeſcat deſperatio, actum eſt de peccatore: præſumptio rurſus ſi vires acquirat in iuſto, nulla eſt ipſius iuſtitia.

Quapropter cordi illi ſit parabola hæc, quia ſcopo nolit aberrare. Nunquam mihi crede diffides, quantumuis magnus peccator, ſi cogitaueris, qua voluntate fuerit pater erga filium perditum. Nunquam ſanctimoniæ laudem ipſe tibi aſſumes, ſi reputaueris, quẽ ſermonem Deus cum maiorem natu communicarit, etiamſi reuera ad Deum dicere queas, quod tamen nemo mortalium poteſt, tot annis ſeruitio tibi, & nun-

Ioã. 1. quàm mandatum tuum præteriui. Nam ſi dixerimus, quoniam peccatum non habemus: ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt, ait Ioannes. Hæc iam dicta de filio minore natu ſufficiant, quoſque videlicet Dei erga nos miſericordiæ fidere & debeamus & poſſimus. Poſthàc declarandum quoque paucis eſt per maiorem natu, quid fugere nos conueniat. Primò factum probè erat & laudabiliter, quod maior natu domi patris ſui maneret & labori vacaret, cùm alter interim luxum & inertiam ſectaretur. Illud enim filii Dei officium eſt, cuius Chriſtus ipſe de ſe nobis exemplum præbuit.

Ioã. 4. Meus, inquit, cibus eſt, vt faciam voluntatem eius

Ioã. 14. qui miſit me. Et rurſus, Sicut mandatum mihi dedit pater, ſic facio. Quamobrem laudem meretur maior natu, quòd in agro opus faciendo ſuum tempus conſumat & officioſus in parẽtem inueniatur. Quod haud temerè dico, ſunt enim qui hunc & pleraque alia id genus ſcripturæ loca ita accipiunt, tanquam Deus flocci-

cifaciat

ſifaciat opera noſtra & obſequium, ſeu obedientiam. Quando legunt in Matth. quòd ii, qui in vinea non niſi vnam horam laborant, æqualem recipiant mercedē cum illis, qui totius diei æſtum laborantes ſuſtinuerant, & quòd adoleſcens hic, qui patrimonii ſui portionem turpiter dilapidauerat, benignius & honorificentius à patre tractetur, quàm morigerus filius, illicò hic inferunt & aiunt: Quid igitur me multum macerabo? cur id faciam? Genio meo morem ieram, cum filio Prodigo ſuauiter viuam: aliis relinquam, vt cum filio maiore natu laborent, quantum velint, ego tamē tam facilè, quàm ipſi, gratiam impetrabo &c. Sed alia Chriſti mens eſt ac ſententia. Parabolam de iis, qui in vinea laborant, Chriſtus non in hoc recenſuit, quòd multus & diligens labor in vinea Dei nec vtilis ſit nec promoueat, ſed ne quiſquam in labore ſuo fiduciam ponat. Ita quoque filium Prodigum nobis propoſuit non ea opinione, vt illius leuitatem & corruptos mores imitari ſtudeamus, ſed vt nos iuxta exemplum illius pœnitudine ducti conuertamur, & in peccatis noſtris ne deſperemus. Mat. 20.

Ibidem.

Eodem modo hîc de maiore natu filio loquitur, nō obiurgat illum ob ſolertiam ipſius & diligens agri colendi ſtudium, ſed quòd laboraſſe ſe gloriaretur, & fratre ſuo melior ſibi videretur. Quapropter iudicio in ſingulis opus eſt. Scriptura non docet nos peccare, ſed ne in peccatis deſperemus. Sic etiam nemo à ſcriptura ob benefacta taxatur, ſed ii tātummodò, qui opera ſua bona iactitant, & in illis videri volunt & eſſe conſpicui, quemadmodum Phariſæis apud Iudæos in ſuis orationibus, ieiuniis, & erogandis eleemoſynis. Atque hoc vnum eſt, quod vitare filium Dei maximè decet; vt ne oſtendet ſuum laborem ac probitatem, ſibique propterea blādiatur. Alterum eſt, vt nullum peccatorem contemptui habeat, poſteaquàm videt Deum erga filium Prodigum tam fuiſſe beneficum. Filius maior natu vtrinque modum excedebat, quantum enim Matt. 6.

ſuos labores extollebat, tantum fratris quoq; peccata exaggerabat: De ſe dicebat: Tot annis ſeruio tibi, & nunquàm mandatum tuum præteriui, de fratre autem contemptim loquebatur, Filius tuus hic, inquit, deuorauit ſubſtantiam ſuam cum meretricibus. Verùm enimuerò haudquaquàm fraternè actum eſt. Alter alterius onera portare (dicit Paulus) & ſic adimplebitis legem Christi. Et alibi: Tu quis es qui iudicas alienum ſeruũ? Item: Nolite ante tempus iudicare quoaduſque veniat dominus, qui illuminabit abſcõdita tenebrarũ, & manifeſtabit conſilia cordium. Nemo diſcernere poteſt, quis alium peccatorum multitudine ac grauitate ſuperet. Fit quandoq; vt alter de altero iudicium ferat, eumque condẽnet, qui ſi ipſe in ſui cordis intima deſcẽderet, lõgè deteriorẽ ſe cogniturus eſſet. Qua de re caue quemquàm iudices vel etiã condemnes, nã iudicem ſuum habet. Quod ſi verò iudicãdi amore teneare, tui iudex eſto. Vide, rurſus iſtud vnum eſt, quod Chriſtus per maiorem natu filium nos docere vult.

Gal. 6. *1. Cor. 4* *Luc. 6.*

Tertiò, idque præcipuè noſtris animis infigere vult, ne iniquiores ſimus in peccatorẽ, propterea, quòd & illum Deus ſua gratia dignatur. Vera ac Deo placens iuſtitia compatitur, ficta autem iuſtitia ſuccenſet, nec alterius infortunio mouetur. Idcirco etiam pater ait: Oportet te fili gaudere, quoniam frater tuus inuentus eſt, & ſaluus ad nos rediit. Si verè Dei filius es, meritò afficiêre gaudio, ſi peccator ad meliorem mentem redeat. Deus illi ignoſcit, cur tu illi ignoſcere dedignaberis? Eſtote miſericordes (inquit Chriſtus) ſicut pater veſter in cœlis miſericors eſt.

Luc. 15. *Luc. 9.*

Ante omnia autem caue contra Deum murmures eò, quòd tam facile paratus eſt hominem peccatorem in gratiam recipere. Non fruſtrà nomina tam illuſtria illi attribuuntur, vt dicatur clemens, miſericors, benignus, patiens, præſtabilis ſuper malitia. Proprium namque illi eſt miſereri & parcere. Fidelis eſt, & ſe ipſum negare non poteſt.

Iohel 2. *2. Tim. 2*

Super

Super qua re optimus quiſque Chriſtianus non tam iraſcendi, quàm admirandi multas & iuſtas cauſas habet, quòd Deus tantæ ſit bonitatis, vt etiam eos, qui ex animi quadam inſolentia ſe ab ipſo alienarunt recipiat, eoſque reuocet ad ſeſe, à quibus contemptus fuit. Obſtupeſcere præ admiratione debemus, nec obſtupeſcere tantum, ſed etiam præ gaudio exilire, quòd tanta Dei ſit miſericordia. Nam quò plus peccatores recipit, eò certius ſperare poſſumus, eum noſtri quoque miſerturum.

Præter officium itaque fecit maior natu filius, quòd propterea patri obganniret, cùm tantò plus eum adamare debuerit, & ita ſecum reputare: Si pater hoc facit filio vſqueadeò rebelli ac inſolenti, meũ certè laborem & obedientiam non tradet obliuioni. Si in malos beneficia confert, quomodo auxilio deſtituere poſſet bonos? Quomodo miſeretur pater filiorum, ita miſeretur Dominus nobis, ac potiſſimum ſe timentibus: In ſumma Deus vtrinque ſibi vendicat gloriam & laudem, quòd ipſe benefactis hominum dignam mercedem reddat, pœnitentes verò in gratiam recipiat. *Pſ. 102.*

Quamobrem ſi peccator es, ſcias Deum eſſe, qui tibi tua peccata velit condonare, modò ex animo reſipiſcas, & gratiam roges. Sin iuſtus es, & laboras in Dei obedientia & ſeruitute, certò tibi perſuaſum habeto eum cumulatim tuo labori ſatisfacturum. Quieſcant oculi tui à lachrymis, & vox tua à ploratu (inquit ipſe per Hieremiam) quia eſt merces operi tuo. Et Chriſtus in Euangelio: Gaudete & exultate, quoniam merces veſtra copioſa eſt in cœlis. *Hie. 31.* *Matt. 5.*

Qua de cauſa optime Chriſtiane contentus eſto eo, quod Deus tibi dedit ac promiſit, ne moueat te, quòd cernis alteri quoque & miſero peccatori Dei gratiam contingere, nec enim tibi quicquàm inde decedit, etiamſi Deus ſingulis diebus multa hominum peccatorum millia in domum ſuam & in gratiã recipiat. Diues eſt in omnes, qui inuocant illum. Audi & conſi- *Rom. 10.*

dera, quid ipſemet ad te dicat, Fili, tu ſemper mecum es, & omnia mea tua ſunt. En hîc Deus te ſuum filium appellat. Spem tibi certiſſimam dat, te omni tẽpore ac per omnia ſecula apud ipſum acturum, promittit tibi, omnia, quæ habet, tua fore. Quid melius maiúſue optare potes?

Viciſſim verò quid à te petit? Vt æquo & patienti animo feras fratrem tuum, nec ſolus obtinere velis cœlum, ſed aliis quoq; aditum ad id concedere, cùm am-
Baruc 3. plum ſit ſatis, vt ait Propheta: O Domine, quàm ma
Ioã. 14. gna eſt domus tua, & ingens locus poſſeſſionis tuæ! Et Chriſtus, Multę ſunt mãſiones in domo patris mei.

Hoc iam nos docere vult Chriſtus ſub finem huius parabolæ, & tum præclarè agitur in domo patris noſtri, ſi peccator bonorum exempla admiretur & ad ſuã vtilitatem trahit, vt & ipſe hoc modo vitam ſuam rectè inſtituat, ſique is, qui bonus eſt eum patienter ferat, donec ad eundem gradum perueniat. Sic enim natura comparatum eſt, vt res mortalium ad ſimilem ſtatum nunquam redegi queant. Semper peccatores inueniuntur, inueniuntur quoque probi, hi ſe inuicem ferre debent in vna domo, in vna Eccleſia, alioquin nulla ſpes de pace futura eſſet in domo Dei. Deus opt. max. nobis ſuam gratiam omnibus præſtet, vt ex animo ad ipſum conuertamur, & per totum vitæ noſtræ tempus hoc vnicè ſtudeamus, vt voluntatem ipſius exequamur, quò manere etiam nobis cum illo in immortalitatis gloria cumq; omnibus electis cœleſtibus ipſius bonis frui liceat. Amen.

EIVSDEM

EIVSDEM FERI
SERMONES TRES,
Moguntiæ habiti, in Prouinciali ſynodo, Anno M D XLIX.

Sermo I. *& veluti præludium Synodi, cœpti Dominica Miſericordia Domini, ſuper Euangelio, ac Epiſt. eiuſdem Dominicæ,* Io. 10. 1. *Pet.* 2.

QVò BREVIVS eſt iſtud Euangelium in verbis, eò plura homini pio præbet cõſideranda, idque potiſſimum faciunt quintuplices ſimilitudines, quibus Chriſtus in eo vtitur. Et primò quidẽ ſimilitudo de bono paſtore; poſteà de mercenario. Tertiò, de fure. Quartò, de lupo. Quintò, de ouibus.

Hæ, inquam, quintuplices ſimilitudines iſtud Euãgelium alioquin perbreue, adeò latè patére faciunt, vt quis de vnaquaque earum non ſemel, ſed multoties dicere cogeretur, ſi perfectè eam explicare, nec præterire quicquam velit, quod ad eam pertineret. In prima namque ſimilitudine totius Chriſti imago nobis propoſita eſt, quid videlicet apud nos & pro nobis fecerit, & adhuc faciat, ac inſuper, quomodò ſuos Apoſtolos eorumque poſteros velit eſſe conſtitutos. In ſecunda habemus magnam illam multitudinem ambitioſorum, auarorum, proprii emolumenti ſtudioſorũ miniſtrorum Eccleſiæ, atque hi mercenarii rectè appellari poſſunt. In tertia ſimilitudine, graphicè depicta eſt vera hæreticorum indoles hi veri illi fures

ſunt ac latrones, vt qui nihil aliud agunt, quàm furantur & prædicantur. In quarta ſimilitudine ſanguinolenta diaboli Tyrannis expreſſa eſt, hic lupus eſt, qui abigit oues, diſcerpſit & vorat, quicquid poteſt nanciſci, reliquum gregem diſpergit. In quinta ſimilitudine expoſitam habemus veram hominis Chriſtiani naturam, hic ouis illa eſt, de qua totum agitur, quicquid vnquam verus paſtor, mercenarius, fur & lupus fecere vel adhuc faciunt. Hanc ouiculam omnes expetunt; ſed diſſimili ratione. Chriſtus ſaltem ipſius deſiderat, quod omnes boni paſtores faciunt. Mercenarius ſuam mercedem quærit. Fur & hæreticus ouem educunt ex ouili. Lupus eam diripit ac deglubit. Quis iam non videt quanta rerum copia in his pauciſſimis verbis comprehendatur?

Et quidem hæc adeò ſunt, quæ in ſynodis noſtris pertractari deberent. Nempè quomodo iſtud exemplum habeatur præ oculis, qui ſint paſtores, quomodò mercenariis proprii commodi ſtudioſis ſua auaritia, pernicioſis ſeductoribus fraus & machinæ, hoſti ſanguinis ſitienti, latrocinandi ſtudium impediri, oues Chriſti in optima diſciplina conſeruari, rebelles verò & factioſi coërceri & ſedari, & rurſus in rectum ordinem redigi poſſint.

Ad hunc modum maiores noſtri ſuas celebrarunt ſynodos. Non erat oſtentatio, ſed ſeueritas. Non erat ibi magnificus ornatus aut ſplendor, ſed cura magna & amor, Dei honor, Eccleſiæ vtilitas, & decus hominũ ſalus potiſſimum illis cordi erant. Cuius rei illuſtre exemplum habemus in Diuo Bernardo, qui olim in ſynodo quadam hodiernum Euangelium enarrauit, ſed ita, vt meritò omnes optare debeant illam concionem in omnibus ſynodis, aut conciliis de verbo ad verbum legi, idque ſtatim ab initio.

Chariſſimi Domini ac patres (inquit, ſed aliis verbis) quos tantis honoribus Deus dignatus eſt, & quos ratione muneris ac poteſtatis veſtræ non ſolum ſupra

Reges

Reges omnes ac Principes, verùm etiam ſupra Angelos ſtatuit, aduertite animum, iam verba huius Euangelii coram auribus noſtris lecta ſunt. Atque vtinam ſatis rectè ea percepiſſemus. Tum autem verba Chriſti ſatis rectè intelliguntur, quando in ipſum opus conferuntur. Intellectus bonus omnibus facientibus ea, inquit Dauid. Pſ. 110.

Homines mundo dediti in ſpeculo per viſum cognoſcunt vultus habitum, num formoſi ſint, an verò deformes. Nos ſpeculum habemus, in quo plus per auditum, quàm per viſum deprehendimus, quid deceat nos, dedeceátue, quid remoretur nos, aut quid promoueat. Noſtrum ſpeculum eſt iſtud Euangelium, in hoc obteſtor vos, contemplamini, non faciem nobilitatis veſtræ, ſed ſtatim quotidianæ veſtræ conuerſationis, conſiderate & præterire nolite, vnuſquiſque ſuam conſcientiam examinet, vt prout illa vobis teſtimonium dederit, ita vel plaudite vel contremiſcite. Nam quemadmodum illud conſcientiæ teſtimonium nonnullis ſummum adfert gaudium, ſicut in beato Paulo videre eſt, ita quibuſdam ſummo probro eſt & ignominiæ ſempiternæ. 1. Cor. 1

Ceterùm Chriſtus in tribus perſonis ſimul complexus eſt totum ordinem prælatorum, atque eorum, qui Eccleſiam adminiſtrant. Proponit nobis bonum paſtorem, mercenarium & furem. Si boni paſtores eſtis, gaudete, quoniam merces veſtra copioſa eſt in cælis. Si mercenarios agitis, eſt quod timeatis: ingens enim vobis imminet in terris periculũ. Sin verò fures eſtis, ingemiſcite & trepidate, nam locus veſter certiſſimò vobis paratus eſt in tormentis, niſi ad pœnitentiam properetis. Hæc omnia Diuus Bernardus exponit in illa concione, tanta cum verborum grauitate, vt certè, qui ea attentè vel audiat, vel legat, negare non poſſit conſcientiam ſuam cõmotam eſſe. Ad hunc modum Eccleſiæ iſte doctor olim in concilio hodiernum Euangelium adhibuit ac vſurpauit. Sperabimus Deum Matt. 5

iſtam quoque inſtitutam ſynodum & congregationem Eccleſiæ prælatorum, ſuo ſpiritu ac gratia adiuturum. Vt hoc aliaque plura ſeriò perpendantur, proponanturque. Quapropter preces ad Deum fundemus, vt ſuo ſpiritu ſynodum hanc regere ac moderari velit ad ſuam gloriam, animarum ſalutem, & vtilitatem ſanctæ Chriſtianæ Eccleſiæ, ſicuti ſummoperè neceſſariũ eſt. Quamobrem id negotii, quod ad paſtores & mercenarios, fures & lupos attinet, illis pertractandum relinquemus, qui ad ſynodum vocati ſunt, & ad quos præcipuè ſpectat.

Interim tamen nos ex vulgo minimè ocioſi eſſe debemus. Sunt alia plura in hodierno Euangelio commemorata quæ nos contingunt. Exemplum Chriſti eſt & noſtra vocatio. Quod illud exemplum rogas?

Ioã. 10. Ego, inquit, ſum paſtor bonus. Iſtud exemplum nobis proponere debemus, noſtrum eſt, quod circa hodiernum Euangelium diligenter animis noſtris infigemus.

Eze. 3. mus. Chriſtus ipſe bonum paſtorem ſe appellat, hoc nomen ipſe ſibi aſcribit, ita vocatur, & talis eſt, ita illum nominarunt antiqui Prophetæ, talem ſe declarauit iam inde ab initio, curam pro nobis geſſit omni tempore.

Creauit, aluit, conſeruauitq; nos, verbum ſuum nobis dedit, & fideles miniſtros, qui illud mortalibus

Luc. 15. prædicarent. Poſtremò ipſe ad nos venit, oues ſuas nonagintanouem in ſolitudine reliquit, illam vnicam ouem palantem ac errabundam ſecutus eſt, & in medio luporum inuenit, domum humeris ſuis in cruce depor

Ioan. 20 tauit, & vitam pro illa expoſuit. Porrò nouos paſtores poſt ſuam reſurrectionem nobis conſtituit. Et ipſe quoque adhuc nobis patrocinari, nos ſub tutela ſua habere, nos docere, nos protegere, nobis victum tam tẽporalem q̃ ſpiritualem comparare non deſinit.

Ita Chriſtus ſe erga nos geſſit, vt bonus paſtor optimò iure dici poſſit. Nec factum mutat, talem adhuc ſe oſtendit, talem oſtendet ſe, q̃ diu vna in terris ouicula

cula & in periculo fuerit cōſtituta. Hoc certò nobis de illo perſuaſum eſſe, hoc gaudium incredibile circa Euangelium iſtud nobis adferre, hoc cōfidentes nos reddere in omnibus afflictionum procellis debet.

Interim tamen nobis videndum eſt, vt ipſius oues & ſimus & maneamus, illum pro vero noſtro habeamus & cognoſcamus paſtore, illum audiamus, illi obtemperemus, & ita mutuo inter nos viuamus, non vt cōtentioſi, & inuidi canes, ſordidi porci, crudeles leones, lupi rapaces, vafri vulpes, ſuperbi equi, pigri & imperiti aſini, ſed vt innocentes, ſubmiſſæ, & patientes ouiculæ, quæ nemini officiunt, ſed proſunt omnibus. Hoc, inquam, nos omnes in communi circa hodiernum Euangelium conſiderare oportebat. *Ioā. 10.*

Idipſum quoq; Petrus habet in hodierna epiſtola, in qua ſimiliter Chriſtum nobis proponit, tanquam paſtorem & Epiſcopum animarum noſtrarum. Oues etiam nos appellat, quæ diutinis erroribus actæ, nunc ab hoc, nunc ab alio lupo abreptæ, iam verò ſuum rurſus paſtorem inuenerunt & intra ipſius ſepes iterum collectæ ſunt. Vult nos huic adhærere paſtori, vt qui nobis omnibus ſufficiat, de cuius fide & amore nobis dubitandū non ſit, præterea veſtigia eius vt ſequamur, nobis præcipit, præcipuè in innocentia: is enim peccatum non fecit, nec inuentus eſt dolus in ore eius. Deinde quoque in humilitate, qua ſe exinaniuit formam ſerui accipiens. Tertiò in dilectione, ex qua peccata noſtra ipſe pertulit. Poſtremò quoque in patientia & animi manſuetudine, ex qua cùm pateretur, non comminabatur, ſed illi vindictam relinquebat, qui iuſtè iudicat. Hæc vera & genuina indoles ac natura eſt ouium Chriſti, hoc eſt, omnium Chriſtianorum, nimirum humilitas, innocentia, dilectio, manſuetudo, & patientia. *1. Pet. 2.* *Phil. 2.* *1. Pet. 2.*

Quod ſi itaque paſtores noſtri & Magiſtratus Eccleſiaſticus in ſynodo fecerint, vt bonos paſtores facere æquū eſt, & fideles Eccleſiæ miniſtros conſtituerint ac

ordina-

ordinarint, eoſque promouerint, hæreticos & impoſtores reiecerint, & ſuas ouiculas à lupo, hoc eſt, à malo ſpiritu conſeruauerint, nos verò intereà cogitauerimus, cur Chriſtus ſe noſtrum paſtorem, & nos ſuas oues appellet, Euangelium quidem iſtud & epiſtolam non ſine fructu audiuimus, nec dubium eſt, quin exinde Deus honore afficiatur, ſacroſancta Eccleſia inſtauretur, nos verò bonis omnibus accumulemur.

SERMO SECVNDVS,

in ſynodo dominica Iubilate, habitus ſuper Euangelio illius Dominicæ. Ioan. 16.

POSTQVAM prouincialis ſynodus iam incepta eſt, & proptereà paſtor veſter ordinarius Reuerendus dominus Suffraganeus, vir vndequaq; doctiſſimus, aliis, quæ ſynodum cōcernunt negotiis occupatus, muneri prędicandi hac vice nō poteſt vacare, in me rurſus manè concionandi deuoluta eſt prouincia, qua certè carere nunc amplius libenter & velim & poſſem, hoc præſertim tempore. Nam ſanè videtur mihi in ſynodo, qualis modo habetur & celebratur, ad quam tot tamque eximii prælati, tot tamque raræ eruditionis viri, ex tot diœceſibus & regionibus conueniunt, huic loco melius prouiſum eſſe debere, quàm per me, præſertim cùm omnibus notiſſimum ſit, emendari poſſe, laus ſuperis, & me ad hoc munus magis idoneos apud nos inueniri. Nec mihi dubium vllum eſt, quin aliqui ſint, qui tantò libentius huc conceſſerunt, vt illis ſaltem Suffraganeum noſtrum virum facundiſſimum audire liceat, iam verò pro theſauro inueniunt carbones. Eaque res, vt ingenuè fatear, me ad hanc concionem

nem aliquanto difficilem & tædioſum reddidit. Attamen rurſus me conſolatur, quòd tale ſit argumentum, propter quod ſynodus iſta coacta eſt & congregata, de methodo nimirum & via quærenda, qua Eccleſiis paſſim prædicatoribus melius proſpici poſſit.

Non enim apud nos ſolum defectus eſt, quo nomine illius minus diſplicebimus, ſed eadẽ, qua nos ipſi quoque inopia laborant. Idem fermè iam multis ab hinc annis vbique locorum ſtudium & diligentia fuit erga Eccleſiam. Verùm ſpem concipimus maximam, ſynodum iſtam cùm hoc tum alia plura correcturam cui nunc iſtud negotii demandabimus, noſque ad prædictum Euangelium conuertemus.

Primò itaq; aperiam vobis, cur iam à feſto Paſchatis legatur, cùm tamen neminem fugiat, Chriſtũ verba hæc priuſquàm pateretur dixiſſe. Deinde paucis vocis vobis monſtrabo, quæ ſit huius Euangelii ſentẽtia. Poſtremò, quomodò ad noſtram ſynodũ accõmodari poſſit, nec illis ſolum vſui futurũ ſit, qui peculiariter ac nominatim ad eã vocati ſunt, ſed iis quoque omnibus, quibus volupe eſſet videre, vt ex congregatione hac honeſtiſſima enaſcerentur fructus incomparabiles. De his tribus dicere vobis aliquid decreui, ſed duo priora quàm pauciſſimis expediam, vt tanto plus ſpatii mihi ſit, de tertio paulò fuſius dicendi.

Quod autem Euangelium nunc poſt feſtum Paſchatis in Eccleſia legatur, id ea de cauſa fit, quòd Chriſtus gaudium ſuæ reſurrectionis certiſſimè in eo prædixit, quemadmodum Apoſtoli deinde ipſa experientia didicerunt, & omnes verè fideles indies adhuc diſcunt, tale nempe gaudium, quo non corpus, ſed animus totuſque internus homo reficitur, gaudium, quo omnes hominis perturbationes & triſtitiæ tolluntur, gaudiũ, quod perpetuum eſt.

Hoc eſt gaudium reſurrectionis Chriſti, quod apud nullos alios inuenitur quàm apud eos, qui firmiter & conſtanter credunt id, quod Paulus ait: Deus, qui di- *Eph. 2.*

ues

ues eſt in miſericordia, cõuiuificabit nos in Chriſto, & conreſuſcitauit, & cõſedere fecit in cæleſtibus. Et quod
Act. 2. Petrus dicit, Certiſſimè ſciat omnis domus Iſraël, quia & dominum eum, & Chriſtum fecit Deus, hunc Ie-
Act. 4. ſum, quẽ vos crucifixiſtis. Hic enim lapis eſt, qui reprobatus eſt ab ædificantibus, qui factus eſt in caput anguli: & non eſt in alio aliquo ſalus. Nec enim aliud nomen eſt ſub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos ſaluos fieri, &c. Hoc qui credit & cui perſuaderi poteſt, is proculdubio tale in animo ſuo ſentit gaudium, de quo iam dixi. In Reſurrectione namque Chriſti primò videmus, peccata noſtra ablata à nobis, expiata & abolita penitus eſſe, quandoquidem Paulus
1. Co. 15 inquit, Quod ſi Chriſtus non reſurrexit, vana eſt fides veſtra: adhuc enim eſtis in peccatis veſtris. Quod autem gaudium animo & conſcientiæ maius optabiliusúe contingere poteſt, quàm ſi à peccatis liberetur? Secundò, in reſurrectione Chriſti videmus mundum cum ſuo principe deuictum eſſe, quod etiam externas tribulationes & aduerſitates nobis faciliores reddere poteſt. Tertiò reſurrectio Chriſti nobis certiſſimũ argumentum, nos quoque reſurrecturos eſſe, quod gaudium noſtrum confirmat & perpetuum facit.
Ioã. 16. Hæc omnia Chriſtus in iſto Euangelio prædixit: Iterum, inquit, videbo vos, & gaudebit cor veſtrum. Hîc habes gaudium conſcientiæ. Mulier cùm pepetit puerum, iam non meminit preſſuræ propter gaudium, quia natus eſt homo in mundum. Hic habes gaudium hominis Chriſtiani in afflictionibus & anguſtiis conſtituti. Et gaudium veſtrũ nemo tollet à vobis (inquit tertiò) hic habes gaudium Chriſtiani hominis nulla calamitate interrumpendum, atque adeò ſempiternũ.

Vſque adeò certò Chriſtus in hoc Euangelio prædixit, quod poſteà ſui fideles poſt ſuam reſurrectioné experti ſunt, & adhuc experiuntur. Non itaque mirum eſt, à Paſchate hoc Euangelium legi, etiamſi in paſſione aut ante paſſionem dictum ſit. Et hoc quidem vnum

eſt,

eſt, quod circa iſtud Euangelium expendi debet, quod homini pietatis ſtudioſo etiam in hoc inſeruire poteſt, vt & in aliis rebus ad antiquas ceremonias & Eccleſiæ inſtituta tantò diligentius animum adhibeat, nec vllo modo temerè ea improbet damnetúe, poſtquàm per hoc Euangelium eluceſſit, pro temporis ratione ordinari melius non potuiſſe.

Gaudium nobis attulit reſurrectio chriſti, ipſum nobis gaudium per hodiernum nuntiatur Euangelium, ſed iis ſolum, qui prius cũ Chriſto acerbitatem crucis deguſtarunt. Eius enim gaudii mundus nullam partem habet, quemadmodum etiam ſpiritus, quem Chriſtus ſuis dedit ac promiſit. Ignarus planè mundus eſt iſtius gaudii, quanquam nihil non excogitat, nihil intentatum relinquit, quod ad gaudium facere poteſt. Attamen illius gaudium externum tantummodo gaudium eſt, nec pectus & conſcientiam penetrat, prætereà amaritudine mixtum ex ſæpiusque grauiſſimis tribulationibus interturbatur, nec porrò durabile eſſe poteſt, eò quòd fundamentum infirmum eſt, & temporalibus tantummodò nititur. Sed alias hac de re. *Ioã. 14.*

Cauſam accepimus, cur Euangelium iſtud hodie in Eccleſia legatur. Quid Chriſtus in eo ſibi velit, deinceps quoque audiendũ eſt. Curioſa hìc oſtenſione non admodum opus eſt. Suis per hoc diſcipulis ac fidelibus, animum, fiduciam & robur addere voluit, vt ne eos offenderet crux, quam primò in ipſo viſuri eſſent, poſteà ipſimet experiri cogerentur. Hæc, inquam, præcipua & tota ſententia eſt, ad quam omnia iſtius Euangelii verba dicta ſunt & directa, ac potiſſimum exemplum de muliere parturiente. Hoc Apoſtoli in paſſione Chriſti conſiderare debebant, & in memoriam reuocare, quando ipſimet paſſuri eſſent. Hoc Chriſtiani conſiderare vſque debent, quãdo tentationes ingruunt, & in anguſtias coguntur.

Sententia lata eſt in mulierem, vt in dolore filios ſuos pariat, nec aliud hìc ſperandum eſt. Non poteſt

redimi

redimi argento. Ita etiam ordinatum à Deo & decretum eſt, vt omnes mortales, qui ab æterno prædeſtinati ſunt, nunc autem ad gratiam per Euangelium vocati & iuſtificati, vel etiam glorificandi cæleſti beatitudine, conformes fieri cogantur imaginis filii ſui, & per varias afflictiones ingredi in regnum cælorum. Quemadmodũ prius Chriſto pati neceſſe erat, quòd Deus ordinarat & Prophetæ ſcripſerant, & poſteà demum in gloriam ſuam ferri.

Rom. 8.

Luc. 4.

Hæc, inquam, ſententia Dei & voluntas eſt. Per ſtultitiam crucis ſuos fideles vult ſaluos facere, quod nemo mutare poteſt mortalium. Quemadmodum igitur mulier inſtante partu, tametſi norit horam ſui doloris ſe effugere non poſſe, hanc tamen conſolationem habet, quòd aliter fieri nequeat, quòd cum aliis mulieribus communis dolor ſit, & quòd ſenſus illius doloris non ſit diuturnus, poſtremò quòd gaudium ſequatur ineffabile, atque hoc pacto ſit, vt dolor mulieri parturienti facilior ſit & tolerabilior.

1.*Co.*1.

Ita quoq; homo Chriſtianus cogitare debet in ſua cruce & paſſione. Primò, aliter fieri non poſſe. Nam crux via eſt ad regnum cælorum. Secundò, ſe ſolum non eſſe. Tertiò, vix horam, vel potius, vt Eſaias loquitur, ad vnum momentum durare. Quartò breuiſſimam illam & momentaneam ærumnam allaturam nobis ac generaturam æternam & ſupra modum inſignem gloriam.

Matt. 16

Eſa. 54.

Iſtud eſt, quod Chriſtus in hoc Euangelio vult ac ſentit, & hoc modo ſuis fidelibus ſermone ſuo, animũ, robur & fiduciã indere vult aduerſus omnes malorũ tempeſtates & cruciatus. Quod vnuſquiſque in ſuũ vſum ſic accõmodare poterit, vt patientius eò ferat crucem à Deo ſibi impoſitam, cùm videat Deum præter crucem quoque adhibere varias conſolationes. Et hæc quidem ea de re dicta ſufficiant.

Tertium illud, latius explicandum eſt. & diducendum, vt intelligamus videlicet, quid ex hoc Euangelio

in

in noſtra iam ſynodo perpendere ac facere debeamus, non ii tantum, qui peculiariter ad eam vocati ſunt, ſed nos omnes quoq; in communi quotquot noſtrûm ſunt, qui ex animo cupiunt, vt ſynodus hæc ad profectum Eccleſiæ inſeruire poſſit. Et hîc proferenda rurſus eſt ſimilitudo de muliere parturiente, ſed alio modo. Opinabimur, tanquàm Deus non niſi de vna & peculiari muliere locutus ſit, quæ nunc temporis cùm immenſis doloribus penè differatur, poſteà tamen mirabiliter gaudiis reficienda ſit. Sancta, Catholica, Chriſtiana eſt Eccleſia, ſeu multitudo omnium fidelium, qui vnquam fuerunt, qui adhuc ſunt, quique futuri vſque ad finem mundi.

Hæc mulier illa eſt, de qua euangelium iſtud allegoricè intelligitur, magnifica mulier, ſancta mulier, de qua tam illuſtria paſſim in ſcripturis extant teſtimonia, mulier, cui Deus ſe fide perpetua obſtrinxit, & cum qua leges matrimonii iniuit, mulier, propter quam Chriſtus vitæ diſcrimen ſubire non veritus eſt, quam ſuo lauit ſanguine, vt ipſe ſibi exhiberet glorioſam ſponſam non habentem maculam aut rugam, mulier, quàm Ioannes cõſpexit amictam ſole, & corona ſtellarum ornatã. Idcircò autem mulier vocitatur, in literis ſacris, quò certius ac manifeſtius oſtendatur vtrunque, amor ineffabilis, quo Deus tenetur erga ſuos fideles, & ſincera fiducia, quam viciſſim erga ipſum habere debent.

Eſaia 54 *Oſeæ 2.* *Epheſ. 5* *Apoc. 12*

Melius ſuum in nos amorem Deus haud declarare potuiſſet, quàm quòd dicit: Sponſabo te mihi in ſempiternum: & ſponſabo te mihi in iuſtitia & iudicio, & in miſericordia, & in miſerationibus, & ſponſabo te mihi in fide, & ſcies, quia ego Dominus. Nos verò nihil gratius illi viciſſim facere poſſumus, quã ſi fide noſtra, ſpe, & charitate illi adhæreſcamus ſoli, quemadmodum proba mulier nullũ tã deſyderat, ſuſpicit ac veneratur, quàm ſuũ maritum, ad nullum refugiũ habet, præterquàm ad eũ, cui ſemel fidem dedit. Et ſic quidẽ *Oſeæ 2.*

con-

coniugem habemus, quam obſeruare oppidò quam diligenter debemus. Quid igitur Euangelium habet?
Ioã. 16. Mulier cùm parit, triſtitiam habet, quia venit hora eius. Veriſſimum ſanè eſt, & ita res ſeſe habet.

Chriſtiana Eccleſia, haud eſt mulier ſterilis, quoniã ſemper ſemen ſuum cęlitus accipit, hoc eſt, Dei verbum, quo Deo ſuò coniugi liberos parit. Sed difficulter parit, & proles ſuas in maximis doloribus producit. Quos dolores ſentiebat in Ægypto? quot obſtacula occurrebãt ei? quoties ad cælum vocem intendebat, donec difficultatem ſuperaſſet, & primum Deo ædidiſſet fœtum in monte Sinai? In quot quantiſque pericu-
Heſt. 4. lis hæc mulier, congregatio & populus fidelium conſtitutus fuit? quoties mors ipſius oculis obſeruata eſt, donec Chriſtum enixa eſt?

Poſt reſurrectionem Chriſti, quibus eam doloribus affecerunt Iudæi, Gẽtes, Tyranni, hæretici, & malè fidi paſtores, ficti Chriſtiani, & filii intractabiles ac feroces? Quid noſtra adhuc ætate perfert à paſtoribus ad rem ſuam plus æquo attentis, ab hæreticis & ſchiſmaticis, à Turca crudeliſſimo Tyranno, & à liberis ſuum ingenium ſequentibus, donec tandem ſuas proles in lucem proferat?

O ſi quis dolores ipſius & anguſtias poſſet & vellet animo complecti! O ſi quis gemitus illius, querelas &
Thren. 2 clamores audire poſſet! Cui comparabo te? (aiebat olim Hieremias de ſuo populo & ciuitate Ieruſalem) magna eſt velut mare cõtritio tua: quis medebitur tui?
Thren. 1 Iſtud in hanc quoque conuenit mulierem. Continuis enim temporibus in anxietate eſt, plorans plorat in nocte, & lachrymę eius in maxillis eius. Rogas quid tandem illi deſit?

Primò, ſemper adhuc grauida eſt, liberos ſuos nõdum omnes peperit, aut etiam ſi quos ſemel peperit ad vitam gratiæ cum labore & dolore maximo, eos ſecundò maiore cum labore & dolore parere debet ad vitam immortalis gloriæ. Vna hæc doloris cauſa eſt.

Altera

Altera cauſa eſt, quòd ſponſum & dominum ſuum *Luc.19.*
non videat, ſed nouerit illum profectum eſſe in longinquam regionem, ita vt propemodum vidua ſit, deſerta in mundo, vbi nihili ſit, nec quiſquam eſt, qui fidelitatem aliquam erga eam declaret. In his omnibus, quamuis Chriſtus inuiſibilis & proximus ei adſit, ita *Mat.28.*
tamen ſe gerit, ac ſi non noſſet eam, nec videret ipſius dolores ac pœnas.

Tertia doloris ipſius cauſa eſt, quòd non ſolum Chriſtum ſuum ſponſum non videat, verumetiam verſetur inter medios hoſtes. Sollicitat eam diabolus, vexant eam & oppugnant Tyranni, dilacerant ac ſcindunt eã ſchiſmatici & deſertores, diris conuiciis ac contumeliis eam inſectantur hæretici, grauant eam homines voluptati dediti, depopulantur eam Eccleſiaſtici. An non iuſtas ſatis tibi habere videtur cauſas lugendi lachrymandique?

Quarta doloris cauſa eſt, quòd liberi ipſius miſerè ſeducantur & ſeducti ſint, ita vt ne propriam matrem quidem velint agnoſcere, ſed quibus poſſint modis eã fugiant, ſenium ipſius contemptui habeant, rugas derideant, imbecillitatem eius deſpiciant, nihili faciant eius admonitiones, leges eius labefactent, doctrinam deſerant, ſacramenta reiiciant, hoſtibus illius ſeſe adiungant, omnem ſequantur leuitatem, variis ſeſe peccatorum ſordibus contaminent, ac erroribus denique multiiugis implicentur. Et quis omnem miſeriã enarrare poſſit, quæ apud multos Chriſtianos in peccatis & erroribus cernitur? Sic itaq; mulier iſta optima, noſtra verò mater omnium chariſſima: triſte hoc ſpectaculum videre cogitur, quòd ipſius filii in eius conſpectu in captiuitatem, hoc eſt, in peccata & errores varios, quinimò in certiſſimum & nunquam finiẽdum exitium pertrahantur. Quid autem fideliſſimæ matri contingere poteſt triſtius?

Quinta cauſa eſt, cur probiſſima hæc mulier mater noſtra multis nominibus nobis amanda luget ac plo-

ret, ꝙ paucos reperiat, qui fideliter & ſyncere cum ea agant, inter eos etiam, qui ſe amiciſſimos ſeruos, paſtores ac defenſores illius profitentur, nec ſolum victum & amictum, ſed honores quoq; & facultates, ſæpenumerò etiam principatus ex ea habent, attamen nulla eorum erga eã fides eſt & amor, nullaq; prorſus cura. Nõ eſt q conſoletur eã ex omnibus charis eius (inquit
Thr. 1. Hierem.) Amici appellantur, cùm qñq; hoſtibus plus noceant. Serui vocãtur Chriſti, cùm tñ ſępe mali ſpiritus imperata faciant libentius, q̃ Chriſti & Eccleſiæ. Succeſſores dicũtur Apoſtolorũ (vt verbis Bern. vtar) ſed non imitatores. Locum Apoſtolorũ tenere volunt, at ea, q̃ Apoſtolos feciſſe vident, præſtare nolũt. Sacris initiantur, vel potius vi ſeſe ſtatui Eccleſiaſtico ingerunt, nõ vt miniſtret Eccleſiæ, ſed vt lucrum inde referant: nõ vt laborent, ſed vt otium agant. Non in hoc tantum Eccleſiæ obſunt, ꝙ pro ſe non laborent, ſed potiſſimum quoque, ꝙ non parent idoneos, qui vicẽ ipſorum ſupplere poſſint, vel ob id præcipuè quòd apud horum nonnullos nihil ſit abiectius & vtilius iis, quorum induſtria & ſtudium erga Eccleſiam, quàm notiſſimum eſt. Vix tantum bonorum ab Eccleſia ad eos redire ſinunt, vt famem poſſint propellere.

Eiuſmodi homines Eccleſia plurimis in locis habet. & plus q̃ par eſt. Hi totam aliquot in locis Eccleſiam poſſident, & primas tenent. Hi hoſtes ſunt omniũ maximi, hi plus damni adferunt, q̃ omnis Tyrãnorum & hæreticorum multitudo. Nam hęreticum manifeſtum (inquit Bern. vir probitate eximius) foras excludere poſſet, non aliter, q̃ mẽbrum aridum à corpore diuidit.
Pſal. 54 Quòd ſi Tyrãnus publicus aduerſus Eccleſiã inſurgat, poſſet fortè ſeſe occultare & hoc pacto violentiã arcere.. Iſtos autem à ſe abigere nequit, poſtq̃ primum & digniorem obtinent locũ, nec poteſt ſe ſubducere conſpectui illorum, poſtq̃ tanta ſit frequentia eorum, qui Eccleſiam paſſim in ſuam redegerũt poteſtatẽ. Quo-
Eſa. 1. circà meritò optima mulier de talium iniuria queri-
tur,

tur, Educaui mihi liberos, eóſque ad honores promo-
ui, nunc verò ipſi ludibrio me habent. Cõmodè etiam
cum Eſaia dicere poſſet. Ecce in pace amaritudo mea
amariſſima. Hæc ſententia (inquit Bernardus) veriſ-
ſimè in noſtri ſeculi Eccleſiam quadrat. *Eſa. 38.*

Cum Tyrãni crudeliſſimè ſæuirent in Chriſtianos, amaritudo Eccleſiæ erat penè intolerabilis. Acerbius quiddã patiebatur, cùm vndiq; ab hæreticis infeſtaret. & amarulentiſſimè in eam calamũ improbi ſtringerẽt. Nunc cùm putemus Eccleſiam habere pacẽ, multò omnium indigniſſimis tractatur modis, & amaritudine nunquã audita affligitur, idq; fit à nullis aliis, q̃ à ſuis propriis filiis, & quorum curæ commendata eſt.

Atque ita arbitror neminem eſſe, qui non videat, euẽtum docere de ſanctiſſima muliere Chriſtiana Eccleſia rectiſſimè dici hoc verbum, quod Chriſtus ait, Mulier cùm parit, triſtitiam habet. Et hę cauſæ ſunt, *Ioã. 16.* cur triſtetur & continuò clamet ac dicat: O vos om- *Thr. 1.* nes qui tranſitis per viam, attendite & videte ſi eſt dolor ſicut dolor meus.

Tã multiplices dolores, gemitus & clamores probę ac honeſtæ mulieris matris noſtræ amãtiſſimæ meritò nos, ſi modò veri Chriſtiani ſumus, permouere debẽt, & ita permouere, vt omnes ad ferendam opẽ parati ſimus quiſq; pro virili. Q ũo autem ab omni miſeria eã liberabimus & lachrymas eius ſedabimus, q̃ p ſynodos & concilia? Ferro & armis Eccleſiæ nõ conſulitur, diplomatibus multò minus, poſtq̃ nemo ſit, qui vel tanti ea faciat. Scriptitare & libros magnos componere parum quoque ad rem attinet. In ſuggeſtu verò prædicari & vociferari, operam propemodum perdere eſt. Concilia & ſynodi faciant hoc neceſſe eſt. Hæc ſunt vera via & medium, quo iuuari Eccleſia poteſt.

Sæpe à conciliis ſolationẽ accepit, & dolores ipſius mitigati ſunt. Authoritate conciliorũ adhuc iuuari poteſt. Atq; vtinam concilia & ſynodi tam generales quã prouinciales ſemper habitę eſſent, queadmodum opti-

mis patribus viſum erat, & ab illis ordinatum, haud in eas anguſtias & calamitatem, qua nunc præmitur Eccleſia deueniſſet. Quippe certum eſt, lolii tantum in Eccleſia non aliunde ortum eſſe, quàm ex neglectu & intermiſſione conciliorum.

Qui enim fieri poteſt, vt in longum rectè omnia fiant & diſpoſita ſint, vbi nec cura nec animaduerſio vlla eſt? In domo quotidie in ſuum quodq; ordinem digerendum eſt, conclauia verrenda exornandaq;, vix tamen ad breue tẽporis ſpatium munda domus conſeruari poteſt, præſertim in qua hominũ magna frequentia eſt. In hortis, vbi arbores & vites educãtur, indies reſcindi debet quod inutile eſt, & plantari, quod frugiferum eſt. Ita quoq; in Eccleſia fieri oportebat, quę
Mat.20. in ſacris literis domus & vinea Dei appellatur. Ocu-
1.Tim.3 lus dñi pinguem facit equum. Pes dñi agrum reddit pinguẽ, ſicut vulgò fertur. Vbi paterfamilias ſæpe & diligẽter perluſtrat pecus & bona, multò felicius omnia ſuccedunt. Sic ſanè in Eccleſia tum optimè agitur: qñ ſynodi & cõcilia celebrantur maturè. Tũ enim apparet vbi Eccleſia præſenti medio maximè opus habeat.

Quamobrem poſtquàm Dei beneficio in tantũ adiuti ſumus, vt rurſus ſynodi in vſu eſſe incipiãt, & nos iam vnam habeamus ac celebremus, omnes pariter operire & conſilio eam prouehere debemus, quantum quiſque poteſt: atque ideò hac vice Eccleſiæ defectus volui, & coactus ſum ſuſius aliquanto commemorare, non eo animo, vt quemquam in inuidiam adducã aut calumniet, ſed vt præbeam occaſionem iis, qui vocati ſunt, ea de re deliberandi maiore ſtudio & ſeueritate. Non enim hactenus ſolitus fui magiſtratus & Eccleſię miniſtrorum imperfectionem apud vulgus, quod alioquin per ſe ſatis incitatum eſt, mouere & reprehendere. Nunc verò cõmodum videbatur, quãdoquidem ſynodus propterea inſtituta eſt, vt Eccleſiæ & Eccleſiæ miniſtrorum defectus emendentur.

Qua de cauſa viri ac prælati optimi, quicunque ad hanc

hanc ſynodum vocati eſtis & comparuiſtis, neceſſitatem & gemitus Eccleſiæ vobiſcum perpendite, moueat vos tam diuturna Eccleſiæ deſolatio. Ferte opem; conſulite in medium, quò Eccleſia mater noſtra dulciſſima priſtino decori reſtituatur. Populum beneuolum ſancietis, & recurſurum ad domum Dei videbitis, ſi eam prius purgaueritis & excolueritis, ſi ſuperſtitiones varias, abuſus & conſuetudines minus probatas abrogaueritis. Ne obſecro, ſuperbia, auaritia & propriæ vtilitatis ſtudium affectus veſtros vincant. Ne honores & diuitiæ temporariæ plus apud vos valeant, q̃ honor Dei, Eccleſiæ vtilitas, & animarum ſalus. Qua in re opus Deo feceritis gratiſſimum. Nam quicquid Eccleſiæ facitis, Chriſto, cuius ipſa ſponſa eſt, id factum putare, is cumulatim vobis recõpenſabit. Quicquid verò Eccleſiæ non facitis, id nec Chriſto facitis, qui vos ea de re accuſabit in extremo iudicio, & ſupplicium de vobis ſumet æternum. Idcircò curate, ne reos vos ipſi faciatis iacturæ tot animarum, quos magno & incomparabili pretio redemit, curæque veſtræ commiſit, requiſiturus aliquando à vobis veſtri officii rationem. Mat. 10. Mat. 25. 1. Pet. 5.

Similiter nos quoque, cui ex multitudine ſumus, noſtrarum partium memores ſimus, rogemuſq; Deũ, vt ſua gratia tale opus benè fortunet, & per ſpiritum ſuum corda omnium, qui in hac ſynodo acturi ſunt, eò dirigat, vt animo ſyncero & cum ſeueritate quærant emendationem & profectum Eccleſię. Omnem quoq; adhibeamus diligentiam, quiſque in ſe & ſuis, quò Eccleſia priſtinum decus recuperet, & proba mulier mater noſtra ſuauiſſima ex noſtra emendatione gaudium & voluptatem capiat perennem.

Quapropter benedicti ſint à Deo & ſponſa ipſius, quicunque ſeriò operam nauant, vt corrigatur, ſicubi Eccleſia vitium contraxit. Contrà verò maledicti ſint à Deo & ipſius ſponſa omnes ii, qui reformationem Eccleſiæ impedire conantur, aut opus iſtud ſanctum

& neceſſarium fraudulenter, infideliter nec ſyncere agunt. Amen. Hæc itaq; dicta ſint de iſto Euangelio, quãtum ad ſynodum inſeruire poteſt. Deus opt. max. ſuam largiri dignetur gratiam vt noſtris temporibus adhuc ſuperſtites videre queamus diu optatam Eccleſiæ reformationẽ. Qua de re pariter oẽs vnanimes ad Deum cõfugiemus, ex toto affectu eũ deprecaturi, &c.

SERMO TERTIVS,

Tempore Synodi Dominica Cantate, habitus, ſuper Euangelio eiuſdem Dominicæ. Ioan. 16.

IN hodierno Euãgelio & ipſius explicatione eundẽ mihi proponam & obſeruabo modum, quem in proximo Euangelio à me obſeruari vidiſtis. Nimirũ indicabo vobis, cur patres Euãgelium iſtud huic Dominicæ attribuerint, deinde, quis huius Euangelii genuinus ſenſus ſit & intellectus, poſtremò quid vnuſquiſq; ex primatibus non ſolùm in ſynodis, ſed apud ſe ipſum, & in ſua Eccleſia ac adminiſtratione conſiderare & inſtituere debeat, quod ad communis Eccleſiæ & orbis Chriſtiani reformationem vtile ſit & conducibile.

Hæc ordine de præſenti Euangelio dicã, etenim horũ triũ nihil ſilẽtio prẹterire cõmodè poſſum. Plurimũ quidem momẽti ſitum eſt in hiſtorica Euangelii enarratione, idque ſemper primum ac præcipuum eſſe debet, ſed plura accedũt obiecta. Ab vna parte video diabolum non ceſſare, vt quos, poſſit ab Eccleſia ipſiusque ordinatione auertat, hîc omnes neruos intendẽdos mihi puto, & velim quidem quantum pro virili poſſem, libenter laborare, vt hoſti tã infeſto obſiſtatur, ſimplices autem homines eò deducantur, vt diſcant Eccle-

ſiam ipſiusque ordinationes maiori habere in pretio.
Ab altera parte mouet me ſynodus, quæ etiam dũ celebratur, mouet me laudabile propoſitũ tot prçclarorũ virorũ cùm pietate tùm eruditione præditorũ, qui Eccleſiã reſtaurare & manu tenere magnoperè cupiunt. Quocircà vrgere & cohortari libenter velim, quò negotium iſtud tantò ſuccedat expeditius. Ob hãc & nõ aliam cauſam tria illa, quorum ſuperius memini, circá hodiernũ Euãgelium declarare decreui, ſperãs non infrugiferum fore, ſi eo animo, quo ego dico, accipiatur.

Et primò quidem non ignoratis, eam mihi antiquã eſſe conſuetudinẽ, vt plerunq; aperiã cauſam, cur vnũquodq; ſiue cantetur, ſiue legatur in Eccleſia, inſtitutum ſit, ac ordinatum. Quod eò libentius & diligẽtius facio, quanto plus animaduerto, multitudinẽ per alios ab hoc abſtractam & alienatam eſſe. Alius rem eã ſuperuacaneam minimeque neceſſariam iudicare poteſt. At ego experior, & Eccleſia magno ſuo malo experta eſt, eum qui errare incipit, primùm à minimis incipere plerũque, & à minimis in maximos deuolui errores.

Cùm ſuperioribus annis cæremoniæ Eccleſię rideri & negligi inciperent, nemo ſuſpicabatur ſacramẽta & Miſſæ ſacrificium, ac ipſam deniq; Eccleſiam in talem cõtemptum vnquam venturam. Ne ipſi quidem autores huius ſchiſmatis, tũ in animo habebant tã latè graſſari. Verùm diabolus, vbi ſemel principium conſecutus eſt, non amplius ociatur: vbi ſerpens infernalis caput immiſit, toto corpore deinde facile illabitur. Si perſuadere nobis poteſt, vt alterum pedem extra Eccleſiam efferamus, plura certè nobis perſuadebit.

Tutiſſimus itaq; tum erit bonus quiſq; & ſimplex Chriſtianus, ſi non adduci ſe patietur ab iis, quæ ab eccleſia tradũtur, & diligenter diſquirat ac perſcrutetur rationes, ob quas vnaquęque res introducta ſit. Quod ſi fecerit ſeriò, nũquàm profectò Eccleſiæ ordinationes contemnet, niſi Eccleſiam ſimul ipſam odiſſe velit, quemadmodum hęretici ac ſchiſmatici à natura

conſueuerunt, vt nihil ſibi placere ſinãt, quod in Eccleſia antiquum eſt, quoniam ipſius Eccleſiæ hoſtes ſunt & oppugnatores. Age, animum aduerte nunc, & tribus verbis accipe, quid homo pietati addictus colligere hinc poſſit, quòd Euangelium iſtud hodiernæ Dominicæ aſſignatum ſit in Eccleſia.

Hodierna dominica in medio poſita eſt, inter feſtũ Paſchatis & Aſcenſionis Chriſti, licet proximior aliquanto ſit huic poſtremo, quàm alteri priori. Verùm
2.Ti. 2. enimuerò reſurrectio Chriſti diuturna memoria repetenda eſt, veluti Paulus ad ſuum ait diſcipulũ: Memor eſto dominum Ieſum Chriſtum reſurrexiſſe à mortuis, &c. Porrò aſcenſio Chriſti quoq; diligenti curà proſpicieda eſt, ſicuti Chriſtus multo ante, quàm aſcẽderet, tale futurum Mariæ Magdalenæ prædicebat. Vade, inquit, ad fratres meos, & dic eis: Aſcẽdo ad patrẽ meũ & patrem veſtrũ, Deum meum & Deum veſtrũ. Quæ omnia eò ſpectant, ne homo Chriſtianus vnquã obliuioni tradat & memoria ei excidat. Vnde tot beneficia tamque admiranda bona acceperit, quocircà ſemper mente recolere præteritam paſſionem & reſurrectionem Chriſti, nec interim tamen obliuiſci futurorum, & ad quid vocatus ſit, ſed continuò aſcenſionem quoque præmeditare debet.

Hæc, inquam, animis noſtris obſeruari debent, quãdiu inter vtrumque feſtum agimus, hoc eſt, inter iuſtificationem noſtram & glorificationem. Id verò durat per totum tempus iã inde à regeneratione noſtra, vel vſq; ad vitæ noſtræ terminum. Baptiſmus & regeneratio, noſtrum Paſcha eſt & ſpiritalis reſurrectio.
2.Cor.5 Mors autem Aſcenſio noſtra. Nam ſi terreſtris domus noſtra huius habitationis diſſoluatur, ſcimus quòd ædificationem ex Deo habemus, domum non manufactam, æternam in cælis, &c. Quandiu itaque in terris degimus à Baptiſmo ad mortem vſque, nunquam non in memoria habere debemus, vnde bona omnia conſecuti, & ad quid vocati ſimus.

Verùm

Verùm quomodo hęc ambo ſimul melius & breuius nobis proponi potuiſſent, quam per hodiernum Euangelium? Primò namque vnde tantam bonorum vim habemus? Quis gratia, vita & regeneratione nos impertit? Quis nos facit filios Dei? Quis mundat & lauat nos à peccatis? Quis fidem nobis infundit? Quis nos facit membra ſpiritualis corporis Chriſti & Eccleſiæ? Quis meritorum Chriſti participes nos facit? Quis docet nos rudes & ignorantes? Quis infirmitatẽ noſtram fulcit? Quis conſolatur nos in omni tribulatione? Spiritus ſanctus. Et vnde ſpiritum ſanctũ habemus? Ex paſſione & reſurrectione Chriſti. Expedit (inquit Chriſtus) vobis, vt ego vadam. Si enim non abiero, Paracletus non veniet ad vos, &c. En hoc pacto maiores noſtri Euãgelio iſto in nobis memoriã paſſionis & reſurrectionis Chriſti conſeruare voluerunt. Ioã. 16.

Rogitas nũc, quomodo igitur Euãgeliũ hoc nos admoneat futuræ noſtræ glorificationis? Vado (inquit Chriſtus) ad eum, qui miſit me. Quæ ſanè verba rectiſſimè accõmodari poſſunt paſſioni Chriſti, quã tranſitũ ſuũ patrẽ vocat. Huic pulchrè cõcinit, id quod Chriſtus ad Magdalenã loquitur. Aſcẽdo ad patrem meum & patrem veſtrum, &c. Vult planè, vt poſthac oculos, animos, & cogitationes noſtras erigamus ad cæleſtia, vbi Chriſtus eſt in dextera Dei ſedens, omnemque adhibeamus operam, quo Chriſtum ſequi poſſimus. Ioã. 13. Ioã. 20. Col. 3.

Hac ratione Euangeliũ iſtud ad ea, quæ præterita, & ad ea, quæ futura ſunt nobis inſeruire poteſt, admonens nos acceptæ iuſtificationis & futuræ glorificationis. Quod igitur illi aptius tẽpus totius anni deligi potuiſſet, quàm quod eſt inter duo illa feſta Paſchatis & Aſcenſionis? Quis iam adeò cæcus eſt, qui in hoc Euãgelio cernere nequeat? quis tã peruicax & refractarius eſt, qui inficias ire audeat, Eccleſiæ ordinationes ſummo ſtudio excogitatas, & proculdubio per Spiritum ſanctum traditas eſſe? Inaudita igitur temeritas ſit oportet, ſi ex propria animi libidine & præſumptione

tales

tales ordinationes ab omni iuſta cauſa infringantur, abrogenturque, vel etiam ſimplices ab iis alienentur. Tantum de hoc dictum ſit.

Eadem Chriſti in hoc Euangelio ſententia eſt, quæ fuit proxima Dominica. Volebat nimirum Chriſtus hoc pacto ex animis ſuorum ſcandalū crucis eximere. Videbatur illis, ſi Chriſtus eſſet paſſurus, & potiſſimū in cruce, & in ea tam ignominoſam mortem oppetiturus, ꝙ non ſolum ipſe ſibi infamiæ notam eſſet cōciliaturus, ſed eos quoque damnū irrecuperabile manſurū eſſet. Haud aliter tū de cruce Chriſti ſentire poterant, quocircà etiam difficillimè precipiebāt, quicquid illis Chriſtus de ea diceret & prædicaret. Duo ſunt, quæ hodierno adhuc tēpore crucem noſtram grauem nobis, & penè importabilē reddunt. Arbitramur, ſi multa ferre debeamus, probro id nobis eſſe & nos rerum noſtrarū diſpendium non mediocre facere. Aduerſus eiuſmodi affectus Euangelium iſtud deſtinatum eſt, quod ita intelligi debet, ac ſi Chriſtus dicere voluiſſet. Nō ſic chariſſimi filii, non ſic de mea cruce conuenit vt ſentiatis. Non probrum aut ignominiam, ſed honorem inde conſequar maximū: nam per paſſionem & crucem migro ad patrem. Nec ea res vobis dānum aliquod, ſed vtilitatem ingentem adferet. Vbi enim à vobis ad crucem conceſſero, paracletum ſpiritum ſanctum vobis comparabo, qui vos voti cōpotes reddet, & dabit id, quod hactenus in me quæſiſtis, & nunc veremini, ne per paſſionem ac mortē meam cogamini amittere. Is conſolabitur vos & docebit, mundum quoque & principem eius conuincet iniuriarū & ſcelerum, quæ in me patrarunt: ita ſeſe geret, vt non ſolum vos, ſed vniuerſus orbis honorem meum & gloriā viſurus ſit, & intellecturus incredulitatem, iniuſtitiam, iudicium & condemnationē ſui principis, &c. Hic fructus ad vos redit ex mea paſſione, &c. Sic vult Chriſtus ſuam paſſionem & mortem conſiderari & accipi, ꝙ ad ipſius laudem & ad noſtram ſalutem pertineat. Ita nos quoque noſtram crucem æſtimare

ſtimare debemus, vt qua laudem maximam conſequimur, quoniam tranſitus eſt ad patrem, vt quę adfert nobis vtilitatem incredibilem, quoniam humiles nos facit, & Spiritui ſancto ac ipſius conſolationi habiles & idoneos nos reddit. Hæc præcipua illius Euangelii ſententia eſt & intellectus, ad quem etiam omnia verba directa ſunt. Quomodo autem crux Chriſti nobis ſcandalo eſſe poſſit, & noſtra crux nos grauare, ſi tali animo eam aſpiciamus? Dictum hoc ſit de altera parte, quæ ad Euangelii conſiderationem pertinet. De tertia parte dicere iā nos quoq; oportet, quid optimus quiſq; procerum, non modò apud alios in cōmuni ſynodo, ſed etiam apud ſe in propriæ diœceſeos adminiſtratione, attamen ad communis Chriſtianæ Reip. vtilitatem & cōmodum, ex hoc Euangelio inſtituere & proponere debeat. Varia hoc loco cōmemorare poſſem pro Euangelii huius amplitudine, ſed vnicum tantum excutiendum dabo, quod mea quidem ſententia omnium præcipuum eſt, & maximè conducere videtur ad præſentē ſynodum, nempè, ꝙ Chriſtus in hoc Euangelio occupatiſſimus ſit cum ſuis Apoſtolis, quos in futurum tēpus ad Euangelii prędicandi munus ordinarat & emittere conſtituerat, q̄ nullam omninò intermittat diligentiam in illis inſtruendis & ablegandis, & prçcipuè, ꝙ ad hoc munus & opus ſpiritum illis ſanctū promittat, eumq; exactè deſcribat depingatq; ſuis operationibus, quas erga Eccleſiam & fideles declaraturus eſſet docendo, conſolando, arguendo & explicando. Omnium, inquam, bonorum procerum eſt hoc, fideli mēte pertractare tam in cōmuni, q̄ priuatim, ſi modò nomini & officio ſuo reſpondere velint, & pro veris paſtoribus ac animarum curatoribus coram Deo & mūdo haberi cupiant. Paruuli petunt panem, Viri ſpectatiſſimi. Eccleſia eget doctrina & conſolatione, nec non digna in homines carni addictos animaduerſione. Videte ne in nos recidat id quod ſequitur: Et nō erat qui frangeret eis. *Thren.* 1

Defectus

Defectus hic,proh dolor, iam inualuit. Plurimis in locis atrociſſimam famem populus patitur, neminem habent, qui ipſis panem verbi diuini frangat ac diſtribuat, aut fame interire eos oportet,aut alium quærere cibum,qui tamen lethalis illis eſt & peſtiferus. Quas Deum immortalem dabunt pœnas, qui rei ſunt iſtius
1.Pet.1. mali? Quo patrocinio vnquàm cauſam ſuam tutari po-
Ioã.12. terunt coram tribunali Dei,ſi filios ipſius,quos magno emit, ſanguine ſcilicet pretioſiſſimo ſui proprii filii, quosque illorum curæ diligentiſſimè commiſit, fame perire ſinant? Aut qui ſe continere Eccleſia poteſt, vt non clamorem ad ſydera vſque tollat, crudeliſſimos iſtos animarum trucidatores accuſans?

Ibidem. Simon Ioannis (inquit Chriſtus) amas me? Paſce oues meas. Ter Petro oues ſuas cõmendabat, ter eum de amore rogabat. Nam qui Chriſtum non ex intimis affectibus diligit, nunquam rectè Chriſti oues curabit.
Eze.33 Fili hominis (inquit Deus ad Ezechielem) ſpeculatorem dedi te Domui Iſraël: Si me dicente ad impium, Impie, morte morieris, non fueris locutus, vt ſe cuſtodiat impius à via ſua: ipſe impius in iniquitate morietur, ſanguinem autem eius de manu tua requiram.
1.Cor 6. Væ mihi (inquit Paulus) ſi non euangelizauero, ſi volens hoc ago, mercedem habeo: ſi autem inuitus,
Act. 20. diſpenſatio mihi credita eſt. Hoc, inquam, dicebat Paulus, cùm in optimo curſu ſui muneris eſſet.

Poſtquàm verò iam metam propemodum & finem ſuæ vitę ac diſpenſationis eſſet conſecutus, teſtabatur & Deum & homines, ſe mundum eſſe à ſanguine omnium, quoniam conſcientia illi dictitabat, ipſum nihil
Deu.30. prætermiſiſſe,quod munus ipſius poſtulaſſet. Idē quoque Moyſes factitabat antequàm è viuis excederet. Chriſtus in terris nihil tã grauiter executus eſt, quàm munus prædicãdi,nec illi res vlla tantoperè cordi fuit.
Ioan. 4. Meus, inquit, cibus eſt, vt faciam voluntatem patris mei. Quapropter non in vna perperuò ſede morabatur,ſed huc illuc migrabat, nec in vno ſe detineri loco

patiebatur. Aliis etiam ciuitatibus oportet me euangelizare, inquit, quia ideò miſſus ſum. Idque vnicè in extremis, priuſquam mundum relinqueret, gloriabatur. Pater, inquit, clarificaui te ſuper terram, opus conſummaui, quod dediſti mihi vt faciã, manifeſtaui nomen tuũ hominibus quos dediſti mihi. Et paulò pòſt: Quos dediſti mihi, ego cuſtodiui: & nemo ex eis periit, niſi filius perditionis, vt ſcriptura impleatur. *Luc.* 4. *Ioã.* 17.

O felicem & piam iactantiã! O beatos illos omnes, qui tali conſcientia diſcunt! Benedicti (inquiebat olim Tobias) O Ieruſalem, qui ædificant te, & qui gaudent ſuper pace tua. Quod quamuis de terreſtri Ieruſalem dictum ſit, de ſpirituali tamen Ieruſalem, hoc eſt de ſancta Chriſtiana Repub. ſub figura prænotata intelligere debemus. *Tob.* 31.

At pauci ſunt, qui exempla iſta imitentur. Errauerunt (ait Deus in Ezechiele) greges mei in cunctis montibus, & non erat qui requireret, & (eandem vocẽ iterans inquit) nemo erat, qui requireret. Omnes quæ ſua ſunt (ait Paulus) quærunt. Quærunt non Dei honorem, non animarum ſalutem, non communis Eccleſiæ, & Chriſtiani orbis vtilitatem, ſed quæ ſua ſunt. Verbum paſcere, nemo rectè intelligere vult. Mallemus id ſemper ad dominium trãsferre, quàm ad miniſterium, quamuis nullum ſit dubium, nec quiſquam negare poteſt, quin paſtor quoddam etiam dominium & poteſtatem in ſuas oues habeat; oportet enim nonnunquam eum ſuam autoritatem oſtendere, non ſolum vt lupum profliget & arceat, ſed etiam vt virgis & baculis oues ſuas cogat & contineat, plura tamen ſunt quæ in paſtore deſiderantur. *Eze.* 34. *Phil.* 2.

Inueniuntur quidem, qui gubernandi modum optimè tenent, ſedulò faciunt omnia, quę ex poteſtate fieri debẽt, oues ſuas in officio ſeruant, diligenter cauent, ne lupus in eas irrumpat & impetũ faciat, ſed paſcere, quod præcipuum erat, negligitur. Quorſum enim attinet, oues in ouili vnà conſeruari, & à lupis vndique

defendi,

defendi, ſi fame deindè pereant? Quinimò quo pacto lupi & hæretici melius abigi poſſunt, q̃ verbo Dei? Nam ferro illis profectò non ſemper reſiſti poteſt,
2. Tim. 2 clàm enim irrepunt. Et vbi ſemel venenum ſuum ponunt, id inſtar cancri latius ſerpit & abſumit.

Quamobrem non ſolũ gubernatione opus eſt, verumetiam paſtu, nõ defenſione tantũ contra lupos, ſed medela quoque, ſi quis damnum accepit. Quid autem famem ſedare melius poteſt, morboq́; noſtro mederi,
Ioã. 6. q̃ verbũ Dei? Domine (inquit Petrus fame ſpirituali laborans) ad quem ibimus? Verba vitæ æternæ habes.
Sap. 16. Et alius: neq; herba, neque malagma ſanauit eos, ſed tuus domine ſermo. Atq; iſtud eſt, ſuper quo Chriſtus ſuos diſcipulos tam inſtructos reddidit. Iſtud eſt, ſuper quo illis ac Eccleſiæ ſuæ ſpem certiſſimam dedit, ſe miſſurum & daturum eis Spiritum ſanctum, qui edo-
Ioã. 14. cturus eſſet eos oẽm veritatem, nec abſque conſolatione vnquam relicturus.

Iſtud etiam eſt, quod vnuſquiſque Chriſtianorum procerum præcipuè, & abſque mora cogitare debet. Nulla re Eccleſia minus carere poteſt, quàm paſtorali & prædicationis officio, quo tamen nihil contẽptius iam apud homines. At aliis in rebus omnibus maior cura maiorq́ue diligentia adhibetur, ita vt quis non immeritò admirari poſſit, vnde tam execrabilis negligentia proueniat? quid Eccleſię proceres tãdem cogitent? Quod ſi vineam quis habet, vineatorem quærit, qui eam colere poſſit, nec dubitat augere mercedem, ſi eã colat diligenter. Si quis ſibi veſtem nouã parari vult, is de ſartore circumſpicit, qui eam poſſit concinnè & artificiosè parare, &c. Et vt craſſius exemplum proferã. Si quis gregẽ porcorum habeat, nemini eum cõcredit, niſi illum ſciat gregis curã gerere poſſe. Quot verò inueniuntur Eccleſiaſtici paſtores, qui aliquãdò viginti, triginta, quinquaginta, centum, mille animas curandas habent, nec tamen tantum ſoliciti ſunt, quomodo illis cibo ſpirituali proſpectum ſit, quantum operæ & labo-

ris impendunt in vineis colendis, domibus extruendis, veſtibus parandis, & pecoribus alendis?

Verbis quidem nonnunquā animi noſtri teſtamur dolorem ita volentes nos excuſare, quòd magna perſonarum ſit inopia, quòd nemo aliquid operæ cōferre velit, & quòd iuuentus Eccleſiaſtica tam in collegiis, q̄ monaſteriis noſtro ſeculo à ſtudiis abhorreat, præſertim theologico, &c. Quòd ſanè veriſſimum eſt, perſonarū laboratur penuria, hoc videt & nouit vniuerſus mūdus. Sed quorum id culpa ſit? Eorū haud dubiè, qui primò omnia ſtudia collabi patiūtur, ſecundò tot præclara ingenia & dociles pueros corrūpi ſinunt, & apud quos eruditus nullus emergere poteſt, aut prærogatiuam aliquam habet, & qui nondum etiam aduertunt, vt ſtudia reſtaurentur manuque teneantur, pueri verò ad ea adducantur, & doctis meriti honores ac ſtipendia præbeantur. Horum, inquam, culpa ſit, quòd petentibus panem pueris nemo ſit, qui frangat ac diſtribuat. *Thren.* 1

Ius noſtrū canonicū vult ac præcipit, vt præter generalia ſtudia in ſingulis collegiis etiam & monaſteriis magiſter habeatur, qui clericis ac aliis prælegat. Clericis habetur in textu, idque primò. Cathedralis autē ſeu metropolis Eccleſia doctorem habere debet, qui ſacerdotibus ſacram paginam interpretetur. Et hîc ſacerdotes primò memorantur. Sanctitum præterea eſt, vt tali doctori præbenda aſſignetur. Atq; ita antiquitus obſeruatum eſt, quod veſtigia adhuc teſtantur, teſtatur id ipſum nomen ſcholaſtici, qualis eſt in ſingulis collegiis, teſtatur emancipatio, quòd à ſcholaſtico quis ſe redimere debeat. Hoc, inquam, euidēs argumētum eſt, iuniores canonicos olim ſub ſcholaſtico fuiſſe non diſciplinæ tantum, ſed ſtudii quoque gratia. Iam verò ex nimia & deteſtanda negligentia prȩlatorū, qui ab hinc multis annis in Eccleſia fuēre, eò peruētū eſt, vt non ſolum magiſtri nulli, ex quibus iuniores clerici ſuas artes perdiſcere, nō ſolū doctores nulli habeātur, ex quibus ſacerdotes Theologiā ſuam audire poſſint, *Extra de Magiſtris lib. 5.*

ſed

ſed ſcholaſticus quoque nihil prȩter nomen ſine re obtineat. Primum ſemper eſt, vt quis ſeſe ab iis redimat, tunc iunioribus conceſſum eſt otiari, & quandoq; per omnem vitam ſine omni ſcientia permanere.

Quid igitur mirum, ſi tanta doctorum virorum inopia ſit? Nemo naſcitur artifex, nec eſt, quòd in cœlum ſuſpiciamus expectemusq; Chriſtum nos omnia per ſpiritum ſuum vno momento docturum. Minimè gentium. Studium, diligentia, & labor nobis eruditionem parere debent, Dei tamen accedente gratia. Hoc verum medium eſt, per quod Deus ſcientiam largitur. Qui igitur nunc temporis poteſt, & penes quē facultas eſt, nec tamen omnem adhibet diligentiam, vt reformentur ſtudia & iuuentus ad ea aſſuefiat, quãtum quidem in ipſo eſt, ii coram Deo reus agetur omnium eorum qui propter eiuſmodi defectum impediti ſunt. Iſtud vnum eſt.

Secundò rei ſunt talis interitionis animarum omnes ii, qui in Eccleſia ſunt, & Eccleſiæ fructibus aluntur, cum non ſolum ingenio & natura, verũetiam ſingulari gratia ad bonas literas præditi ſint, tamen malunt in peccatis & otio vitam tranſigere, q̃ moribus & literis bonis imbui, malunt equos & canes tractare, q̃ libros, malunt mundo, q̃ Eccleſiæ ſeruire, at interim nutriri

Eze. 34 volunt Eccleſiæ bonis, &c. Hi omnes rei ſunt perditionis tot animarum. Quocircà Ezechiel æternũ promittit ſupplicium illis, qui lac & lanam ab ouibus capiunt, oues verò famelicas relinquunt.

Munus & ſtatus noſter ſcientiam & eruditionem po-

Ioan. 15 ſtulat. Non enim vt otium agamus in Eccleſiam vocati ſumus, ſed vt fructum afferamus (inquit Chriſtus.) Nec in ſolis cæremoniis acta tranſacta omnia, ſed vt populo doctrina & admonitionibus præſimus. Cuius rei

Exo. 28. indicia in ſacris literis varia habemus. In lege Moyſi geſtabat ſummus Pont. in ſuis veſtimentis & in pectore duodecim lapides pretioſos, quibus inſculpta erant nomina duodecim tribuum Iſraëlitici populi, quo ſignificabatur,

gnificabatur, quòd ſacerdos vniuerſam populi multitudinem animi complecti,& ſemper ob oculos habere deberet,omniq; tēpore pro ea cura gerere. In rationali, quod etiam ex ornamentis ſacerdotalibus vnum erat,ſcriptum erat: Doctrina & veritas.ad indicandum, quòd ſacerdos non ignorare deberet veritatē verbi diuini. Deorſum ad pedes tunicæ ſacerdotalis aurea tintinnabula & mala punica appenſa erant, ad oſtendendum, quòd ſacerdos ſono prædicationis & odore boni veſtimenti in Ecclesia verſari deberet. *Ibidem.*

In arca Dei ſemper erant duo vectes, quibus portabatur,ne ſi quādo mouenda erat,immittere tum demū neceſſe eſſet, ad innuēdum videlicet, quòd ſacerdotes, qui arcam Chriſtum, in mundum portare debent, parati eſſe cogantur perpetuò,vt vnicuique,qui modò petit, ſuæ fidei rationem reddat, ſicut Petrus ait, & non diſcant tum primum,quādo rogantur.Moyſes & Aarō nunquam diſcedebant à tabernaculo Dei, eam proculdubiò ob cauſam, quòd primò diſcerent ac ſciſcitarentur à Deo, quod poſtea populo proponere poſſent. Dauid prius accipiebat donum Prophetiæ, quàm ad Regnum veniret. Hieremiæ Deus dedit verba in ore, antequam inciperet euellere malum, & plātare bonū. Vnus ex Seraphim Eſaiæ mundabat labia calculo,quē forcipe tulerat de altari, priuſquam ad prædicandum eum emitteret. Salomon ſtatim ab initio ſui regni ſapientiam à Deo flagitabat, quo rectè adminiſtrare regnum poſſet. Chriſtus in templo inter legiſperitos inueniri prius volebat, eóſq; interrogare & audire,q̄ prædicandi munus auſpicaretur, nec ſuos ad prædicandum à ſe dimittebat,donec benè eos inſtituiſſet. Intellectū illis aperiebat,vt intelligerent ſcripturas antequam ad eos diceret: Euntes docete omnes gentes,&c. Sic etiā cùm populū paſceret in deſerto, frāgebat primò quinque panes, ac tum demum porrigebat diſcipulis,vt diſtribuerent eos. Paulus vult ſuum Timotheum omninò attendere lectioni. Omnia iſta exempla demon- *Exo.37. 1.Pet.3 Hier.1. Eſa.6. 3.Re.3. Luc.2. Luc.24. Matt.28 Ioan.6. 1.Tim.4*

ſtrant officium noſtrum ſacerdotale exigere ſcientiam
Mal.2. & intellectum ſcripturarum. In Malachia expreſſe habetur à ſacerdotibus legem requirendam eſſe.

Atque hæc omnia in noſtris decretalibus comprehenſa ſunt. Illiteratos non eſſe promouendos habemus diſtinct. 36. Literis enim carens ſacris non poteſt aptus eſſe officiis, & ita decretum eſt in conſilio Gan-
Diſt.38. grenſi. Ad hæc Papa Leo dicit, inſcitiam in ſacerdote nec excuſatione nec veniam dignam eſſe.

Quamobrem nemini, cuiuſcunque etiam conditionis aut dignitatis ſit, in Eccleſia otiari conceſſum eſt, beneficium datur propter officium. Quod verò noſtrum officium ſit, antè dictum eſt. Porrò primariarum partium eſt inſtare, vrgere & impellere. Nec quemquam pudere debet literarum & ſtudii, de quocunque natum genere. Artes & virtutes nobilitati nihil adferunt detrimenti, quinimò vera nobilitatis ornamenta, ſunt & inſignia. Qui nobilitatem ſuam artibus, virtutibus & præclaris factis nō melius poteſt probare & ſibi aſſerere, haud magnæ apud viros pru-
Mat.25. dentes exiſtimationis eſt. Hîc itaque videat vnuſquiſque, quomodo talentum gratiam à Deo ſibi concreditam vſurpet, num in terram defodiat, an vſurariam faciat, ſtatim animaduertet quid ſperandum ſibi quidúe metuendum fuerit. Atque hoc alterum eſt, quod hac in re expendi debet.

Sed vnum adhuc adiiciendū eſt, quod obſeruari debebat, vt ii qui literis gnauiter incumbunt, & qui eruditionē aſſecuti ſunt aut aſſecuturi, in Eccleſia quoque meritos honores & vitæ neceſſaria habeant. Qua in re hactenus non parum neglectum eſt. Non deeſſent Marones, ſi eſſent Mœcenates. Inuenirentur adhuc, quos ſtudii non pigeret, nec laborem in Eccleſia detrectarent, niſi tanta hominum eſſet ingratitudo. Aduerſarii noſtri hac in parte nos longè ſuperant, qui nullis parcunt ſumptibus, vt ſaltem viros doctos habeant. Nos tam humaniter viros doctos tractamus,

vt ſe-

vt ferè nullus ſit, qui ſtudiorum amore amplius teneatur. Quod paſtoribus, verbi diuini præconibus, doctoribus, magiſtris qui legunt, aliisq; viris eruditis dãdum eſt, id nos totos perdit, & ad extremam inopiam redigit, at aliis in rebus omnibus plus æquo liberales, ne dicam profuſi ſumus. Quid igitur mirum, ſi omnes æquè laborem fugiunt? Quis ſuo ſtipendio militet? Quis laboret in vinea, ſi non conceſſum eſſet ſibi de vuis comedere, &c. 1. Cor. 9

Mercenarius dignus eſt mercede ſua, inquit Chriſtus. Matt. 10 Quin Deus in veteri teſtamẽto noluit, vt boui trituranti os obturaretur, quo minus frui poſſet fructibus, quos ipſe excutere cogebatur. Deut. 25 In hoc iã proceres optimi animos veſtros intẽdite, & omnes, qui poteſtis aut ratione officii tenemini, in medium conſulite. Facite ne affectus veſtros auaritia expugnet & vincat, ne proprii commodi ſtudium vobis anſam præbeat, quò Eccleſia bonis paſtoribus, & doctis concionatoribus orbata eſſe cogantur. In hos ſi Eccleſiæ bona conferuntur, optimè collata ſunt, & in hunc viſum potiſſimum data ſunt, hoc ſpectat ad honorem Dei, ad Eccleſiæ vtilitatem & ad animarum ſalutem.

Ad hanc rem hodiernum Euangelium cuiq; Chriſtiano primati occaſionẽ præbere deberet in eo, quòd docet, quanta Chriſtus diligentia ſuos Apoſtolos tanquam futuros paſtores vniuerſæ Chriſtianæ multitudinis inſtruxerit, & præterea quibus verbis vſus ſit, eisq; Spiritum ſanctum cælitus promiſerit ac dederit, ne in Eccleſia ſaltẽ fideles paſtores deſiderari poſſint. Quod & ego hoc loco indicare volui bono animo, poſtquàm occaſionem mihi dedit ſynodus noſtra, in qua nunc alioquin de talibus rebus agitur. Spero quoque ſapientem nullum hoc meum factum in malam partem interpretaturum.

Sum etenim cum aliis in communi Eccleſiæ naui, velim equidem libenter, vt nauis in hac grandi tempeſtate ſine damno in terram ſubduceretur. Si viri-

D. AVGVSTINI
DE POENITENTIA FRAGMENTVM
longe utiliſſimum, antecedentibus propter materiæ affinitatem connexum.

VITA HVMANA quantalibet præpolleat fœcunditate iuſtitię, ſine peccatorum remiſſione tamen non agitur. Quoniam filii Dei quãdiu mortaliter viuunt, cum morte confligunt, & ſic ſpiritu Dei excitantur, & tanquam filii Dei proficiunt ad Deum, vt etiam Spiritu ſancto, adgrauante corruptibili corpore tanquam filii hominis, in quibuſdam motibus deficiãt ad ſeipſos, & ideo peccent. Intereſt quidem quantum, neque enim quia peccatum eſt omne crimen, ideo crimen eſt etiam omne peccatum. Itaque ſanctorum vitam quandiu in hac morte viuitur, inueniri poſſe dicimus ſine crimine. Vnde Apoſtolus eligendum dicit Epiſcopum, ſi quis ſine crimine eſt. Peccatum autem ſi dixerimus quia non habemus, ait alius Apoſtolus, noſipſos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt. Sed neque de ipſis criminibus quamlibet magnis in ſancta Eccleſia remittendis Dei miſericordia, deſperanda eſt agentibus pœnitentiam, ſecundum modum cuiuſque peccati. In actione autem pœnitentiæ vbi tale commiſſum eſt, vt is qui commiſit, à Chriſti etiam corpore ſeparetur, non tam conſideranda eſt menſura temporis, quàm doloris. Cor enim contritum & humi-

liatum, Deus non ſpernit. Verùm quia plerunq; dolor alterius cordis occultus eſt alteri, nec ad aliorum notitiam per verba vel quęcunque alia ſigna procedit, cùm ſit coram illo cui dicitur: Gemitus meus à te non eſt abſconditus, rectè cõſtituũtur ab his qui eccleſiis præſunt, tempora pœnitentiæ, vt ſatisfiat etiam eccleſię in qua remittuntur ipſa peccata, extra eam quippe non remittũtur. Ergo cùm tanta eſt plaga peccati, atq; impietas morbi, vt medicamenta corporis & ſanguinis domini differẽda ſint, autoritate antiſtitis debet ſe quiſque ab altario remouere ad agendam pœnitentiam, & eadem autoritate reconciliari. Hoc eſt enim indignè accipere corpus & ſanguinem Domini, ſi eo tempore accipiat, quo debet agere pœnitentiam. Nam & ipſa pœnitentia quando digna cauſa eſt, vt ſecundùm morem eccleſiæ agatur, plerumque infirmitate non agitur, quia & pudor timor eſt diſplicendi, dum plus delectat hominum exiſtimatio quàm iuſtitia, qua ſe quiſque humiliat pœnitendo. Vnde non ſolum cùm agitur pœnitentia, verùm etiam vt agatur, Dei miſericordia eſt neceſſaria. Alioquin non diceret Apoſtolus de quibuſdam: Ne fortè det illis Deus pœnitentiam. Et vt Petrus amarè fleret, præmiſit Euangeliſta & ait: Reſpexit eum dominus. Iudicet ergo ſeipſum homo voluntate dum poteſt, & mores conuertat in melius, ne cùm iam non poterit, etiam præter voluntatem à Domino indicetur. Et cùm in ſe protulerit ſeueriſſimæ medicinę, ſed tamen medicinæ ſententiã, veniat ad antiſtites, per quos illi in eccleſia claues miniſtrantur, & tanquam bonus incipiens eſſe filius, maternorum membrorum ordine cuſtodito à præpoſitis ſacramentorum accipiat ſatisfactionis ſuæ modum, & ſupplex. Id tamen agat quod non ſolùm ipſi profit ad recipiendam ſalutem, ſed etiam cæteris ad exemplum, vt ſi peccatum eius non ſolùm in graue eius malum, ſed etiam in tanto ſcandalo aliorum eſt atque hoc expedire vtilitati eccleſiæ videtur ac plebis, agere pœniten-

Vt ſatisfiat eccleſiæ.

Quid retraheret à publica pœnitentia.

Et hæc primaria cauſa fuit inſti tuẽdæ pu

nitentiam non recuſet. Non reſiſtat, ne lethali & mor-tiferę plagæ per pudorem addat tumorem. Meminerit ſemper: Quia Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autẽ dat gratiam. Quid enim infelicius, quid peruerſius quam de ipſo vulnere quod latere non poteſt, non erubeſcere, & de ligatura plus erubeſcere? Nemo arbitretur propterea ſe conſilium ſalubre huius pœnitentię debere contemnere, quia multos forte aduertit, & nouit ad ſacramenta altaris accedere, quorum talia crimina non ignorat. Multi enim corriguntur, vt Petrus: multi tolerantur, vt Iudas: multi neſciũtur donec veniet dominus & illuminabit abſcõdita tenebrarũ, & manifeſtabit cogitationes cordis. Nam plerique propterea nolũt alios accuſare, quia ſe per illos cupiũt accuſare. Plerique autem boni Chriſtiani propterea tacent, & ſufferunt aliorum peccata quæ nouerũt, quia documentis ſæpe deſtituuntur, vt ea quæ ipſi ſciunt, iudicibus eccleſiaſticis probari poſſint. Quamuis enim vera ſint quędam, non tamen iudici facilè credenda ſunt, niſi certis indiciis demonſtrentur. Nos verò à communione quenquam prohibere non poſſumus, quamuis hæc prohibitio non dum ſit mortalis, ſed medicinalis, niſi aut ſpontè confeſſum, aut aliquo ſiue ſeculari, ſiue eccleſiaſtico iudicio accuſatum atq; cõuictum. Quis enim ſibi vtrumque audet aſſumere, vt cuiquam ipſe ſit, & accuſator & iudex? Non enim temerè & quomodo libet, ſed per iudicium ab eccleſiæ communione ſeparandi ſunt mali, vt ſi per iudicium auferri non poſſint, tolerentur potius velut palea cum tritico vſque ad vltimum ventilabrum, vel piſces mali cum bonis, vſque ad ſegregationem quæ futura eſt in littore, hoc eſt, in fine ſeculi. Pleriq; autẽ attendũt multos etiã in ipſis honoribus eccleſiaſticis prępoſitorũ & miniſtrorum, non congruenter viuere ſermonibus & ſacramentis quæ per eos populis miniſtrantur. O miſeros homines qui eos intuendo Chriſti obliuiſcũtur, qui & tãto ante prædixit, vt legi Dei po-

blicæ ſatisfactionis, ſiue pœnitentiæ.

Quos olim excõmunicarit eccleſia.

Iudiciũ.

Alterum quod retrahebat quoſdam ab agẽda publica pœnitẽtia

cata prodantur, quia propoſitum Dei quo decreuit ſaluare quod perierat, ſtat immobile. Et ideo quia voluntas eius non mutatur, ſiue emendatione vitæ, ſi tẽpus conceditur, ſiue ſupplici confeſſione, ſi continuò vita exceditur, venia peccatorum fideliter præſumatur, ab illo, qui non vult mortem peccatoris, ſed vt conuertatur à perditione pœnitendo, & ſaluatus miſeratione domini viuat. Sed fac incertum eſſe, vtrum ignoſcat Deus, quid perdit homo cum ſupplicat Deo, qui ſalutem perdere non dubitauit, cùm offenderet Deum? Quis enim certus eſt etiam quod Imperator ignoſcat? & tamen pecunia funditur, maria tranſeuntur, procellarum incerta ſubeuntur, & vt mors vitetur, penè mors ipſa ſuſcipitur, ſupplicatur deinde per homines homini. Sine dubitatione fiunt iſta, cùm ſit dubium quo fine proueniant. Et tamen certiores ſunt claues Eccleſiæ, quàm corda regum: quibus clauibus quodcunque in terra ſoluitur, etiam in cœlo ſolutum promittitur. Et multo honeſtior eſt humilitas, qua ſe quiſque humiliat eccleſiæ Dei: & labor minor imponitur, & nullo temporalis mortis periculo mors æterna vitatur. Hæc dicta ſunt de publica ſatisfactione, qua quiſque humiliando ſe non ſolum coram Deo, ſed etiam coram Eccleſia, quæ habet claues regni cœlorum, in qua fit remiſſio peccatorum, ad arbitrium antiſtitis ſatisfacere debet. Sed & ſecreta ſatisfactione ſolui mortalia crimina non negamus. Sed mutato prius ſeculari habitu, indefeſſo religionis ſtudio, per vitæ correctionem & iugi, imò perpetuo luctu, miſerante Deo. Ita duntaxat, vt contraria pro his quæ pœnitet, agat. De quotidianis autem leuibusq́; peccatis, ſine quibus hæc vita non ducitur, quotidiana fidelium oratio ſatisfacit. Eorum eſt enim dicere: Pater noſter qui es in cœlis, quia iam tali patre regenerati ſunt, ex aqua & ſpiritu. Delet omnino hæc oratio dominica quotidiana peccata. Delet & illa à quibus vita fidelium etiam ſcelerata geſta à ſe pœniten- do in

Claues eccleſiæ.

Secreta ſatisfactio.

Venalia peccata.

Per orationẽ dominicam etiam crimina pœnitẽti remittũtur.

do in melius mutata diſcedit, ſi quemadmodum veraciter dicitur, Dimitte nobis debita noſtra, quoniã non deſunt quæ dimittantur, ita veraciter dicatur: Sicut & nos dimittimus debitoribus noſtris, id eſt, fiat quod dicitur, quia & ipſa eleemoſyna eſt, veniam homini petenti ignoſcere. Ac per hoc ad omnia quæ vtili miſericordia fiunt, valet quod dominus ait: Date eleemoſynam, & ecce omnia munda ſunt vobis. Non ſolum ergo qui dat eſurienti cibum, ſitienti potum, nudo veſtimentum, peregrinanti hoſpitium, fugienti latibulum, ęgroto vel incluſo viſitationem, captiuo redemptionem, debili ſubuectionem, cęco deductionem, triſti conſolationem, non ſano medelam, erranti viam, deliberanti conſilium, & quodcũq; neceſſarium eſt indigenti: verumetiam qui dat veniam peccanti, eleemoſynam dat. Et qui emendat verbere, in quem poteſtas datur, vel coërcet aliqua diſciplina, & tamẽ peccatum eius quo ab illo læſus aut offenſus eſt, dimittit ex corde, id eſt, orat vt ei dimittatur non ſolum in eo quod dimittit atque orat, verũetiam in eo quod corripit, & aliqua emendatoria pœna plectit, eleemoſynam dat, quia miſericordiam præſtat. Multa enim bona præſtantur inuitis, quando eorum conſulitur vtilitati non voluntati. Multa itaque ſunt genera eleemoſynarum, quæ cùm facimus adiuuamur, vt dimittãtur peccata noſtra, ſed ea nihil eſt maius, qua ex corde dimittimus, quod in nos quiſque peccauit. Quiſquis autem roganti & pœnitenti ex corde non dimittit, nullo modo exiſtimet à Deo ſua peccata dimitti. Quę ſint autem leuia, quæ grauia peccata, non humano, ſed diuino ſunt penſanda iudicio. Videmus enim quædã ab ipſis quoq; Apoſtolis ignoſcendo fuiſſe conceſſa, qualè illud eſt quod venerabilis Paulus coniugibus ait: Nolite fraudare inuicem, niſi ex conſenſu ad tempus, vt vacetis orationi, & iterum reuertamini in idipſum, ne tentet vos Satanas propter incontinentiam veſtram. Quod putari poſſet non eſſe peccatum, miſceri ſcilicet

Ignoſcentia eleemoſynæ genus.

Caſtigatio, eleemoſyna.

Peccatorum diſcrimen.

cet coniugi non filiorum procreandorum cauſa (quod bonorum eſt nuptiale) ſed carnalis etiam voluptatis: vt fornicationes ſiue adulterium, ſiue cuiuſquam alterius immunditiæ mortiferum malum, quod turpe eſt etiam dicere, quò poteſt tentante Satana libido pertrahere, incontinentium deuitet infirmitas. Poſſet ergo, vt dixi, hoc putari non eſſe peccatum, niſi addidiſſet: Hoc autem dixi ſecundùm veniam, non ſecundùm imperium. Quis autem iam neget eſſe peccatū, cùm dari veniam facientibus Apoſtolica autoritas fateatur? Tale quiddam eſt, vbi dicit: Iam quidem omnino delictum eſt, quia iudicia habetis vobiſcum. Quare non magis iniquitatem patimini? quare non potius fraudamini? (vt ad illud redeatur, quod Dominus ait) Si quis voluerit tunicam tuam tollere, & iudicio tecum contendere, dimitte illi & pallium. Et alio loco, Qui aufert quæ tua ſunt, ne repetas. Prohibuit itaq; ſuos Apoſtolos de ſecularibus rebus, cum aliis habere iudicium: quod dicit eſſe delictum. Et tamen cū ſinit in Eccleſia iudicia talia finiri, inter fratres fratribus iudicantibus, extra Eccleſiam verò terribiliter vetàt, manifeſtum eſt, etiam hîc quod ſecundùm veniam concedatur infirmis. Sunt autem quædam, quæ leuiſſima putarentur, niſi in ſcripturis demonſtrarētur opinione grauiora. Quis enim dicentem fratri ſuo, fatue, reum gehēnæ putarent, niſi veritas diceret? Aut quis exiſtimaret, q̄ magnum peccatum ſit, dies obſeruare & menſes, & annos, & tempora, ſicut obſeruant qui certis diebus, ſiue menſibus, ſiue annis volunt aut nolunt aliquid inchoare: eò quod ſecundùm vanas doctrinas hominum fauſta vel infauſta exiſtiment tempora, niſi magnitudinem ex timore Apoſtoli penſaremus, qui talibus ait: Timeo vos, ne fortè ſine cauſa laborauerim in vobis. Quàm multa ſunt alia peccata, ſiue in loquendo de rebus & negotiis alienis, quæ non ad te pertinent, ſiue in vanis cachinnationibus, cùm ſcriptum ſit: Stultus in riſu exaltat vocem

ſuam,

ciborum, ſed mortificatio potius vitiorum. Propter quod tempora pœnitentiæ fide & conuerſatione penitus abbreuienda præcipiunt, & negligentia protelanda. Extant tamen pro quibuſdam culpis modi pœnitentiæ impoſiti, iuxta quos cęterę perpendendæ ſunt culpæ, cùm ſit facile per eoſdem modos vindictam & cenſuram canonum æſtimare.

FINIS.

ACT. XX.

Attendite uobis & uniuerſo gregi, in quo uos Spiritus ſanctus poſuit Epiſcopos *regere* Eccleſiam Dei, *quam acquiſiuit ſanguine ſuo.*

DEVT. XXXII.

Gens abſque conſilio eſt, & ſine prudentia. V*tinam ſaperent, & intelligerent, ac nouiſſima prouiderent.*

REGISTRVM,

†ABCDEFGHIKLMNOPQRSTVXY

Omnes ſunt quaterniones.

Venetiis, apud Ioan. Barilettum.
M D LXVII.



BIBLIOTECA NAZ.
ROMA

7-2-2



Digitized by Google

Digitized by Google